

IN S. GREGORII NYSSENI ET ORIGENIS

SCRIPTA ET DOCTRINAM

NOVA RECENSIO

CUM APPENDICE DE ACTIS SYNODI V.

OECUMENICAE

PER ALOISIUM VINCENZI

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM

PROFESSOREM

PARTES QUATUOR

IN QUATUOR VOLUMINA DIVISAE



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BERNARDI MORINI

1864


BIBLIOTHECA · BODLEIANA

SANCTI GREGORII NYSSENI ET ORIGENIS

DE AETERNITATE POENARUM

IN VITA FUTURA

OMNIMODA CUM DOGMATE CATHOLICO CONCORDIA

Pars 1.

ORIGENES

AB IMPIETATIS ET HAERESEOS NOTA

IN CETERIS INSTITUTIONIBUS VINDICATUS

Pars 2.

HISTORIA CRITICA QUAESTIONIS

INTER THEOPHILUM, EPIPHANIUM,
HIERONYMUM ADVERSARIOS ORIGENIS

ET INTER ORIGENIS PATRONOS JOANNEM CHRYSOSTOMUM,
THEOTIMUM, RUFFINUM, ET MONACHOS NITRIENSES

Pars 3.

VIGILII PAPAE ET ORIGENIS

TRIUMPHUS

IN SYNODO V. OECUMENICA

Pars 4.

SANCTI GREGORII NYSSENI ET ORIGENIS

DE AETERNITATE POENARUM

IN VITA FUTURA

OMNIMODA CUM DOGMATE CATHOLICO CONCORDIA


PER ALOISIUM VINCENZI

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM

PROFESSOREM

VOLUMEN I.

PARS I.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BERNARDI MORINI

1864

Erranti praefixa est damnationis poena, non autem non erranti..... Non erranti vero nec poena esse potest, quae non erranti non debetur inferri. Nec mutatur illa omnino, nec solvitur, quae debetur erranti. In suo ergo tenore illa praefixa est: in suo jure non potest omnino resolvi: in non suo tenore, quae esse non potest, jam docetur esse evacuata; et jus illic penitus non habere, ubi causam non habet existendi.

GELASIUS PAPA *I.* DE ANATHEMATIS VINCULO.



PROLOGUS



Si obtrectatorum lingua, insciorum, illusorum ac simplicium in humana societate quandoque comes incedens zelo immodico aliorum nimium in judiciis propriis praecipitum, ignominia affecerit homines probitate, sapientia et sanctitate praeclarissimos, adeo ut nedum praesentes, sed et posteri improvidi, nec illorum dolos, nec istorum sensus accurate investigantes, ideoque in pari illusione versati, eorumdem fuerint sanctorum virorum ignominiae suffragati: hoc sane Origeni, Gregorio Nysseno aliisque piissimis Ecclesiae viris infaustissime accidit. Qui licet spiritu acti sincero in dogmate catholico vindicando, et fidelium coetui ministrando, tum suae, tum aliorum prospicientes saluti: ob praefatas tamen causas contra ipsorum vota, spem

et studium, non tantum minus fecisse inventi sunt; verum etiam ceu veritati obsistentes, et apostolicae infesti doctrinae, aut haeretici, vel errantes, seu saltem dubiae fidei reputati.

Hoc autem ab Apostolorum aevo factum reperitur propter beati Pauli Epistolam *ad Romanos*; quam, cum quaedam caperet difficilia intellectu, *indocti et instabiles depravarunt, sicuti et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Si vero Paulus in Apostolo Petro (2. Epistola c. III. 16) invenerit, qui verborum suorum probarit sinceritatem et aliorum falsas respuerit interpretationes: hoc idem non benevertit Operibus nuncupatorum virorum. Quae, etsi sincero animo forent, zeloque pari dictata, sensusque praeferrent orthodoxos; nihilominus postea ab invidis, ab haereticis corrupta, aut ab ignaris bonae vel malae fidei, lecta, et exposita, his omnibus concurrentibus ac praevalentibus circumstantiis, tum cum in vivis degerent auctores, et praesertim cum supremum subierint fatum, tanquam haeretica, impiave fere universim passa sunt cum suis auctoribus despectum et aversionem. Sed et illud amplius aegreferendum est, quod posteri aut illusionem aut dolum priscorum parum attendentes, innocuorum culpam aggravarint et ignominiam, aliter quoque exponentes illorum sermones, ab antiquis tamen uti sinceros acceptos et irreprehensibiles.

Quisque porro hujus rei investigare propius causas velit, haud ignoret, tunc dogmata de Deo,

de Trinitate, de Libero Arbitrio, de Resurrectione, et cetera similia, alacriter, adversus incredulos ac praesertim contra omnium haereticorum illius aetatis phalangem (in quibus sane eminebant marcionitae, basilidiani, et valentiniani) fuisse propugnata orthodoxorum et eximiorum virorum studio. In quo conflictu unis cum alteris dimicantibus, uti par est, haeretici ex argumentorum vi prostrati, nec habentes quid responderent, ad calumnias seipsos receperunt falsantes et corrumpentes catholicorum dicta, aut horum fidem diverse exponentes, aut sermonis perspicuitatem confundentes, aut eisdem peregrina adscribentes dogmata, donec dubia aut incerta fieret istorum professio: et ita in conspectu ecclesiarum, fidei integritas et publica de pietate eorum fama periclitaretur, aut quoque periret omnino.

Ubique sane ac perpetuo veritas cum mendacio decertavit: et calumnia quotidie, improborum gladius, extitit adversus candidos veritatis patronos. Et hujuscemodi proinde fuit tristissima humanitatis conditio sub malevolorum et obtrectatorum imperium, ut hinc ob vix ab hominibus animadversam improborum astutiam, et illinc propter animorum simplicitatem, aut scientiae defectum, seu mentium praejudicium, vel alias propter circumstantias quandoque fere insuperabiles, saepissime fieret, quod docet Voltairius de calumniarum semine; quod undique diffusum hic, vel illic radices figat; et aliquod usque maneat adversus illum, in quem ceciderunt, vestigium. Et hic est incurabilis naturae pravatae

morbus; cujus in Ecclesia primus Christus Jesus expertus est vim, deinde martyres ipsius, in quibus Origenes supra modum a falsis fratribus, ab haereticis, et a tyrannis impetitus; et propter eum successive Monachi nitrienses, s. Joannes Chrysostomus, aliique sanctissimi viri.

Itaque nemo obstupescat intuitus, me manum meam lapsis porrigere: lapsis, dico, non ex conscientia culpabili aut errore voluntario, sed ex minus hominum accurato judicio, et perversorum fraude; eosque levare ab ignominiosa haereseos nota, qua quindecim ab hinc seculis inusti sunt. Neque vero, ut cernitis, hoc ajo de Nysseno Antistite, qui tamen aliqua excusatione dignus habitus, in sanctorum Patrum numero adscitus fuit; sed alterius causam suscepturus aggredior, qui universim existimatur auctor, magister, dux, et vindex sectae de suo nomine origenistarum dictae: quasi maxime conatus Dei mutare consilium, statuendo terminum daemonis ac reproborum torminibus in futuro seculo. Quem tamen errorem non solum non admisit, sed et refutavit, mente ideo captum vocans, quicumque de seipso hoc putaret; sicuti deinceps patefiet.

Praeterea nulli mirandum est, me tam alacriter inter falsas et calumniosas imputationes hunc, et ejus generis alios, mandare Origenis errorem de desituris reproborum poenis in vita futura; nec ideo temeritatis redarguendus erit labor meus in hac apologia: cum probe noverit, alios antea ex antiquis et ex recentioribus istud iniisse tentamen, val-

de de tanti viri fama sollicitos ob ipsius tam praeclara gesta verbo et opere in ecclesiis patrata; et de quibus ne adversarii quidem sui dubitarunt. Ideoque venerabilis Beda et paulo post Haimon Alberstatensis ex saniori veterum opinione, librorum Origenis adulterationem potius admisere quam haeresim. Quorum novissimus in libro VI. c. 3. de *christianarum rerum memoria :* « Ego sane, inquit, de eo salva fide Patrum dixerim, vel quod haec omnino non scripserit; sed ab haereticis ob praeclarum nomen ejus obfuscandum, maligne conficta sint, et praescripta, et nomine suo praetitulata: vel si scripsit, non statuit ex sententia, sed disseruit opinione. » Admodum vero utile et optatissimum fuisset, eosdem non adserere tantummodo, sed et actu demonstrasse hujusmodi interpolationem. Nihilominus, si tunc circumstantiae plurimae studio, quod eis erat in votis, restiterint, hodie nisi penitus cessarint, saltem valde imminutae sunt, tum typographiae ope, tum progressivo artis criticae usu, tum codicum variorum collatione, tum linguae graecae peritia, tum aliis adminiculis, quibus sane abundat litteraria nostri aevi conditio.

Ac interim consequenter praefatis, obsignare placet, quas C. V. Petrus Alloixius e Societate Jesu ex omnibus ferventissimus Origenis defensor, investigavit vias, hunc assequendi scopum. Quinque enim is praesentissimas tradit certas et auxiliatrices propositiones, sive canones in dijudicanda Origenis doctrina.

1. Siquando accidat, virum doctum ac probum in libris suis (uti nonnunquam evenire notum est) scribere aliqua inter se contraria, et modo in personae, aut rei cujuspiam commendationem et laudem effervescere, modo in vituperium ac depressionem incumbere; tum adhibita diligenti temporum affectuumque consideratione, majoris fidei censenda sunt, quae composito placidoque animo scripta sunt, quam quae turbido et inquieto, et quae ab amicis prolata sunt, quam quae ab inimicis. Nam siquis in amore excessus est: et longe major in odio. Sicuti enim amor aciem mentis offuscat: ita odium excoecat.

2. Neminem bonae antehac famae et aestimationis propter solam unius hominis licet gravissimi, auctoritatem praesertim inimici, talem habendum esse, qualem ille descripserit.

3. Neminem, seu vivum, sive mortuum propter repertos in scriptis suis errores quamvis graves, condemnari haereseos posse aut debere: nisi eum pertinaciae in iisdem erroribus convictum esse constet.

4. Qui tormenta pro Christi fide in vera Ecclesia volens, lubensque sustinuit: siquos forte errores ante habuit, quos vivens non revocavit, is existimandus est, ipsa pie obita morte, aut fidei catholicae publica confessione, sufficienter revocasse.

5. In quaestione facti particularia Ecclesiae concilia a generalibus posse emendari; et generalia a posterioribus itidem generalibus: *siquidem* (ait Augustinus lib. II. c. 3. adversus Donatistas) *aliquo*

rerum experimento aperiatur quod clausum erat, et cognoscatur, quod latebat.

Hos porro Canones sapienter ab Alloixio elaboratos, lubenter accipiens, omnes suo loco ac tempori destinatos alacriter consectando perficiam; quorum ope confido pertingere metam. Quinimmo absque Canonis quarti observantia (siquidem plurium gravisque momenti capax est quaestionum) Origenis ipsius orthodoxiam quoque vindicari posse autumo.

Ceterum in hac quaestione et maxime quod primam hanc Partem respicit, ubi de incessantibus agitur daemonum et pravorum poenis in vita futura, nullus aegreferat, me a s. Gregorii Nysseni Operibus exordientem, hinc ad Origenis Scripta descendisse; cum potius ex natura sua aliter incipienda esse videretur disceptatio. Amodo verum dicam, ac ingenue fatebor, me diversa ab his pro studiis meis pertractantem, fortuito in talem incidisse quaestionem; atque una ignorasse, me tam longius iturum, et praeter expectationem regionem peragraturum tam vastissimam, summaque cura et circumspectione discurrendam.

Beati enim Nyssae antistitis documenta investigans circa daemonum ac hominum pravorum sortem in altero seculo; atque in apertissima de hoc dogmate antilogia comperiens ipsum detineri, alias negando, alias affirmando cruciatuum perpetuitatem apud inferos; cumque simul putarem tam piissimum doctissimumque virum non posse admitti in tot frequentes lapsum contradictiones, sicuti nec fieri illum

ignorasse luculentissima Christi verba: *ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*, etsi obstantibus virorum nominatorum placitis; attamen cum diu perpenderim, aliqua arcana verba, aut sensum abscondi in sermonibus Doctoris, incertum, vel potius inconsideratum, quo reserato, sustolli omnimode potuisset mentis suae instabilitas, sicuti ejusdem ideo a Doctrina Catholica dissensus, libenter me submisi labori.

Postquam vero me perspexi scopum attigisse, et s. Episcopum sibi consentaneum ubique probasse, nec unquam a fide orthodoxa alienum de perpetua damnatorum poena, dubiis et latebrosis, et quae sibi contrariae videbantur, locutionibus illustratis; inita concordia, eodem tentamine, et quibusdam ipsius praemissis theorematibus circa animae statum post obitum et ante resurrectionis diem, tanquam a certis ad incerta transiens, cogitavi, plurimas quoque ejusdem generis reserari posse Origenis dictiones, dogmati catholico repugnare visas. Eoque magis quod compertum sit ex frequentissimis ac apertissimis ipsius testimoniis, interminabilem malorum sortem in altero seculo non solum credidisse, sed et hujus doctrinae adversarios confutasse alacriter Adamantium.

Quapropter ita inceptam eamdem tenere viam mihi visum est in ordine demonstrationis, Nysseni scilicet sensus praemittendo veluti praeliminaria examinis, quod subiturus est processus institutus olim contra Origenis libros, et ejus patronos Nitriae Mo-

nachos, iniquissime condemnatos a Theophilo, et hinc ignominiose expulsos ab Aegypto. Quibus omnibus discussis et comprobatis, consequenter quisque comprehendet, quali circumspectione, de Patribus praecipue graecis opinio in primis Ecclesiae seculis admittenda sit circa desituras aliquando daemonum et reproborum poenas, ea mediante regeneratione, in alterum, quam reapse sibi volebat, scopum et tempus retorta.

In hoc porro processu, si Theophili improbitas (cujus deinde testis fuit ecclesia universa) valde Origenis famae nocuit, deploranda sane insuper erit s. Epiphanii et s. Hieronymi illusio; qui per falsatos Origenis vel libros vel sensus, et praesertim per ejusdem Theophili ambitum, decepti sunt, Origenem ipsum et Monachos ipsius defensores, haereseos insimulantes. Theophili namque studium adversus praefatos aut prorsus, vel in parte periisset, nisi fallaciis suis ad se traxisset Hieronymum: cui praesertim debetur, cur per ecclesias occidentales, in tanto discrimine versaretur Origenis fama; cum antea auribus fidelium et maxime cleri, romanorumque pontificum gloriosum insonuisset ipsius nomen. Haec omnia in praesenti tantummodo praelibata, suoque loco remissa, pleniorem assequentur illustrationem. Nos interim promissis stantes, scripta Nysseni ineamus investigaturi, num, ut placuit potissimum Dionysio Petavio, et Danieli Huetio, daemones et reprobos post judicium novissimum, aliquando servandos, coelestique gloria vel istos cumulandos, vel illos

instaurandos docuérit s. Gregorius adversus communem Ecclesiae doctrinam.

Tandem nemo ignoret, me hoc suscepisse Opus non tantum pro divi Gregorii et Origenis vindiciis et ad illorum confutationem, qui hujusmodi errorem istis nullo jure exprobarunt: quo magis ad hoc tutandum dogma ab incredulorum, materialistarum, et rationalistarum hodiernorum insidiis. Qui simul divinae mentiti Revelationi, ac viventi Ecclesiae Catholicae magisterio ejusdem Revelationis interpreti, dominica verba pro lubitu explanantes, magno verborum apparatu et paralogismis hanc adversus dimicant veritatem, gravissimo pusillorum scandalo, ac lamentabili humanae societatis detrimento.

CAPUT I.

Bibliorum Sacrorum, Ecclesiae Patrum ante Origenis aevum, veterum Synagogae magistrorum, et Scholae Platonicae de aeternitate poenarum in futuro seculo doctrinae Schema.

« Naturalis aequitas, inquit s. Thomas in Libro III. contra Gentiles c. 144. naturalis aequitas hoc habere videtur, quod unusquisque privetur bono, contra quod agit. Ex hoc enim reddit se tali bono indignum. Et inde est, quod secundum civilem justitiam, qui contra rempublicam peccat, societate rei publicae privetur omnino vel per mortem, vel per exilium perpetuum. Nec attenditur, quanta fuerit mora temporis in peccando, sed quid sit contra quod peccavit. Eadem autem est comparatio totius vitae praesentis ad rempublicam terrenam, et totius aeternitatis, ad societatem beatorum, qui, ut supra ostensum est, ultimo fine aeternaliter potiuntur. Qui ergo contra ultimum finem peccat, et contra charitatem, per quam est societas beatorum et tendentium ad beatitudinem, in aeternum debet puniri; quamvis aliqua brevi temporis mora peccaverit. » Et sic prosecutus concludit: « Nulli autem dubium est, quia pro aeterno peccato, aeterna poena debeatur. Debetur igitur ei, qui ab ultimo fine avertitur, poena aeterna. Et in c. 145: « Sicut recte, scribit, agentibus debentur bona : ita perverse agentibus debentur mala. Sed illi qui recte agunt, in fine ab eis intento percipient perfectionem et gaudium; e contrario ergo debetur haec poena peccantibus, ut ex his, in quibus sibi finem constituunt, afflictionem accipiant et nocumentum. Hinc est quod divina Scriptura peccatoribus comminatur non solum exclusionem a gloria, sed etiam afflictionem ex aliis rebus. »

Et hoc ex philosophia, duce rationis lumine docet s. Thomas, ita ut nemo non videat, posito, ut est de fide, post hanc vitam, altero statu, tum proborum tum reproborum variam fore conditionem, pari tamen tempore perseverantem. Eadem enim justitiae ratione poena peccatis reddi-

tur, sicuti bonis actibus praemium. Istud autem adversus instabiles, vagas, et pravas hominum cogitationes rectum et sincerum parvipendentium rationis dictatum, divinae revelationis firmatum est testimonio. Et quod universim a priscis temporibus creditum fuit et confusis notionibus vulgatum inter gentes, instauratum et perspicue declaratum est a doctrina Christi

Quapropter in propositum pergens, ut optatissimam assequar tum s. Gregorii, tum Origenis in hoc de aeternitate poenarum dogmate concordiam cum ceteris Ecclesiae Patribus, et sic sibi vicissim suffragantibus, fulgeat amplius veritas; lectoribus praeire volui, summarie a Scripturis apostolicis, ab antiquis patribus Origeni praedecessoribus, a veteris Synagogae Magistris, et a Platonis quoque Schola, quaedam argumento nostro accommodata delibans. Et quibuscum ceu fundamentum ponere magni aedificii, et propugnaculum adversus non tantum hujus doctrinae mentitores, sed et contra illos, qui aut inscii, sanctorum Patrum de hac re non adverterunt mentem, aut intelligentes depravarunt, offendicula huc illuc spargentes in propriam et aliorum ruinam.

Ac interim si Ecclesiae Patres apostolica scripta traditionesque juxta divi Pauli effatum in 2. ad Thessalonicenses c. II: « *Itaque fratres state; et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam* » ubique terrarum integre sarteque servare studuerint; hoc potissimum dogmate de altera vita, christianorum animos perspicue ac sine ambagibus imbuendi sollicitudinem parem, et amplius eosdem adhibuisse probatur. Evangelicae namque institutionis illud erat opus, ea ratio, ille praecipuus divinae extitit Jesu Christi missionis a Patre in hunc mundum scopus. Ex Joannis itaque Evangelio cc. III. et X. inquit: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* .... et alibi *ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Praeterea quoties Christus Apostolis, discipulis, ac turbis de vita sive beatitudine aeterna loquebatur, ac de morte seu perditione perpetua, nunquam dubium aliquod eos incessisse

patet, utrum illud vocabulum *aeternum* finem aliquem in se comprehenderet; verum prorsus interminabile aevi spatium designare compertum habuere, adeo ut nec pro bonis beatitudinem variare quodammodo, seu desinere, sicuti nec reprobos in meliorem statum aliquando restitui, putarint.

Certum pariter est e Christi sententia *et ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam*, ipsum in pari conditione tam malos tam justos constituisse quoad tempus retributionis, quae primos et secundos manet in seculo futuro; sic ut, si aliquando a cruciatu eximendi sint reprobi, justi quoque a beatitudine destituendi erint. Ceterum in Parabola de divite et Lazaro, Abraham, qui unius cruciatum et alterius gaudium juxta vitae actus memorat, adjecit: *Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*. Et hoc perspicuis verbis apud divum Marcum c. III. Jesus docet, adjecta distinctione reatuum, qui hominibus dimittentur ab alio nunquam dimittendo: *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiae, quibus blasphemaverint: qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni judicii*. Ideoque Apostoli divinitus edocti Magistri mentem, nec non verba ejusdem interpretati, sive Petrus, sive Joannes, sive Judas, sive Paulus, idem vocabulum ἀιώνιον sub significatione sempiterni ac interminabilis aevi comprehenderunt, amplissime et luculentissime quod temporale est, ac terminum habet ab eo, quod aeternum est, ac sine fine secernentes. Itaque Paulus 2. ad Corinthios: c. IV. *non contemplantibus*, ait, *nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur ἀιώνια aeterna sunt. Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis.* » Si domus hujus habitationis dissolvitur; ergo altera aeterna in coelis indissolubilis est. Hinc 2. ad Thessalonicenses, c. I. scribit de iis, qui non obediunt Evangelio, *qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini.* » Item s. Petrus in Epi-

stola I. c. I. secernens quod corruptibile est ab eo quod nunquam decidit sub eadem voce ἀιῶνα significat: « *Exaruit foenum, et flos ejus decidit; verbum autem Domini manet in aeternum.* » Judas cap. I. porro de angelis apostaticis, *qui dereliquerunt domicilium suum in judicium magni diei vinculis* ἀϊδίοις *sempiternis sub caligine reservasse* Dominum docet; ubi vocabulum *ἀιώνιον aeternum* ab altero *ἀΐδιον sempiternum* explanatum, satis exprimit, nunquam desituras poenas, quibus doemones mulctantur.

Hunc autem indubium Bibliorum sacrorum sensum de ἀιώνιον voce, sive de aeternitate poenarum definitionem, Ecclesiae Patres, quique potissimum proxime successerunt apostolis, horum sectati traditionem, non solum statuerunt; verum etiam ampliori evangelica verba interpretatione cumularunt, firme tenentes, doemones ac reprobos igni inextinguibili, ac tormentis perpetuo duraturis excruciari. In his praesertim lucet Clemens Romanus: « Poena sempiterna, scribit, ab inextinguibili igne punitae (animae) neque morientes, magno suo malo nullum finem obtinere possunt. » Justinus martyr in Apologia I. c. 28: « quem (diabolum) ait, in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius et hominibus, qui eum sequuntur, in aeternum puniendos, Christus ante significavit. » Divus Irenaeus contra Haereses Lib. IV. c. 28 addit: « Quibuscumque dixerit Dominus: discedite .... isti erunt semper damnati; et quibuscumque dixerit: venite ... isti semper percipient regnum. »

Tertullianus item in Apologetico c. 48: « enim vero, docet, nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique aeternam ab eo poenam providemus .... et pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum sempiterni eum timentes. » De animae Testimonio c. IV « animam, scribit, pro meritis aut cruciatui destinari, aut refrigerio, utrique sempiterno. » In Ecclesiae Smyrnensis Epistola ad Ecclesias Ponti de s. Policarpi martyrio, sempiternos ignis cruciatus coram Proconsule ipse Polycarpus ita edicit, ut nullus terminus reproborum poenis sit unquam adinveniendus. Sic namque s. Martyr, collato igne, qui ad tempus exardescit, cum altero apud inferos, qui nunquam extinguitur, loquitur: « I-

gnem mihi minitaris, qui ad tempus exardescit ille quidem; sed paulo post extinguitur penitus. Verum illum ignem futuri judicii ad perpetuum impiorum supplicium et cruciatum reservatum, omnino ignoras (Proconsul). » Ita tradit Eusebius in Historia Eccl. Lib. IV. c. 14. Clemens Alexandrinus in Lib. III. Paedagogi. c. XI. celerorum Patrum more, scripsit: « In pulchritudine enim mulieris multi seducti sunt; et ex ea tanquam ignis accenditur amicitia, quae ad ignem ducit ἀκατάπαυστον nunquam desiturum. »

Minutius Felix seculi tertii initio, prope finem dialogi inscripti *Octavius* ex Bibliorum sacrorum auctoritate atque ethnicorum monimentis, poenarum apud inferos perpetuam adstruit durationem inquiens: « Expectandum nobis etiam corporis ver est. Nec ignoro plerosque conscientia meritorum nihil se esse post mortem magis optare, quam credere. Malunt enim extingui penitus quam ad supplicia reparari; quorum error augetur, et in seculo libertate remissa, Dei patientia maxima, cujus quanto judicium tardum, tanto magis justum est. Et tamen admonentur hominum doctissimorum libris et carminibus poetarum illius ignei fluminis, et de stygia palude saepius ambientis ardoris, quae cruciatibus aeternis praeparata, et doemonum indiciis, et de oraculis Prophetarum cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse rex Jupiter per torrentes, ripas et atram voraginem jurat religiose. Destinatam enim sibi cum suis cultoribus poenam praescius perhorrescit; nec tormentis aut modus ullus aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit, et reficit, carpit, et nutrit sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt. »

Tatianus Assyrius in oratione contra Graecos ita dogma de aeternitate poenarum tam doemonibus tam pravis hominibus infligendarum statuit n. 14. 15: « Neque tunc (doemones) vitae aeternae participes erunt; sed mortem quamdam in immortalitate sortientur . . . . . Quemadmodum enim nos nunc facile mori contingat, postea cum voluptate immortalitatem vel dolorem cum immortalitate percipimus, praedictis autem doemonibus ad aevum interminabile magis peccare continget. . . . . Propterea doemonum natura poenitentiae locum non habet. »

Hippolytus in Libro adversus Graecos, injustos inquit aeterno supplicio adjudicari et igni inextinguibili. Item: « Cum bene facientibus juste fruitio aeterna praebeatur; malorum vero cupidis aeternum supplicium distribuatur et expendatur; impios manet ignis inextinguibilis, et qui nunquam finietur; et vermis igneus non moriens, non corpus corrumpens; sed irrequieto dolore ex corpore effervescens et ebulliens. »

Theophilus in fine Libri. I. ad Autolycum scribit: « Sed credo obtemperans Deo, cui tu quoque (Autolyce) si vis obtempera, credens ei, ne, si nunc incredulus fueris, credas tunc suppliciis excruciatus aeternis. » Quae supplicia, addit Theophilus, non solum e Scripturis sacris probantur, sed etiam philosophi obtestati sunt ex eisdem libris sententias furati: « Lege quoque, ait, studiose propheticas Scripturas; ac lucem illarum habebis tutiorem ducem, ut fugias aeterna supplicia, et perpetua Dei bona consequaris . . . . Incredulos autem et superbos, qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati . . . tribulatio et angustia, ac tandem tales ignis aeternus detinebit. » Hujusmodi porro testimonia tum e Scripturis sacris, tum a primaevis Patribus desumpta, non tantum nunquam desituras apud inferos reproborum poenas ostendunt; quinimmo et, cum ab eisdem in definitione vocabuli *ἀιώνιον aeternum* secernatur, quod temporaneum extat ab eo, quod sempiternum, nimirum quod temporale est, terminum habeat, et quod aeternum sine fine sit, arguitur eosdem scriptores firmiter sensisse, et aperte nullo unquam tempore impiorum sortem immutatum iri docuisse.

Praeterea Misnici Synagogae Magistri et Rabbinorum scholae priscam traditionem sectati, eamdem amplexati sunt sententiam, poenas secernentes temporaneas ab aeternis ac sine fine in futuro seculo. Ita namque docuere: « Qui diluvio periere, vitae futurae exortes erunt, neque etiam sistentur judicio . . . seculum dissipationis exsors erit futurae vitae . . . viris Sodomae nulla pars erit in vita aeterna . . . . Coetus Corachi non emerget iterum: *et cooperuit eos terra* scilicet ea temporalis poena est; *et perierunt e medio coetus*, ea aeterna poena est etc. Ita in Tractatu de Synedriis c. XI. n. 3. » Rabbi Bartenora in capite IV. 17. Tractatus *Capita*

Patrum inscripti, verba interpretatus *melior est una hora cum resipiscentia* ad poenitentiam agendam *quam tota vita mundi futuri*, quia inquit in mundo futuro nec poenitentiae nec bonis operibus locus est: quia mundus futurus tantum destinatus est mercedem accipientibus pro eo quod fecerint in hoc mundo. Hoc idem docet Maimonides: « Propterea requiritur ut homo in hoc brevissimo temporis momento diligentiam adhibeat; et totam suam vitam in virtutibus conquirendis impendat per viam bonam, quia damnum illius ingens est, cum nullum excogitari possit remedium. » Et haec satisfiant ex Synagoga desumpta testimonia.

Quod autem satis interest pro quaestione, circa Platonis vertitur sententiam; quippe dogmati Catholico (nescio qua ratione) contrarius proindeque erroris causa in Origene evasisse vulgo existimatur. Attamen fatendum est, eumdem, cum de animae immortalitate deque vita futura post obitum disserat, vetustissimas gentium perscrutatum traditiones, luculentissime et animae immortalitatem, ac sempiternas impiorum poenas docuisse, ac insuper scripta sua ea saepe inspersisse opinione. Et haec cuique obvia sunt, qui ejusdem Opera vel leviter percurrat. In Phaedone scribit: « Quod si propter peccatorum magnitudinem insanabiles esse videantur, perpetratis aut sacrilegiis multis et magnis, ac caedibus injustis et exlegibus, aut facinoribus hujusmodi commissis, hos consentanea sors projicit in tartarum, unde ὄυποτε egrediuntur nunquam. » Item in Axiocho ait: « Quorum vita per scelera traducta esset, illos raptari a furiis ad Erebum et Chaos per tartara. Illic impiorum et profligatorum sedem esse destinatam, . . . ibi eos ferarum laniatu et ignis flammis supplicio affectos ἀϊδίοις sempiternis poenis et cruciatibus vexari. » In Gorgia prope finem peccata quae sanabilia dicit, tum hic tum in altera vita per expiationem fieri ab aliis, quae insanabilia sunt, distinguit, ideoque perpetuo mulctanda: « Hi videlicet, qui ex illis suppliciis utilitatem capiunt, et diis et hominibus dant poenas, hi sunt, qui sanabilia peccata commiserunt: ipsis autem e doloribus et cruciatibus tum hic tum apud inferos utilitas existit etc. . . . . Ex illis autem, qui extremae cujusdam injustitiae sceleribus

contaminati fuerint, iisque adeo injustis facinoribus insanabiles extiterint, proponuntur dumtaxat exempla: ipsi vero nullum inde capiunt adjumentum, quippe qui insanabiles sunt. Alii vero hos videntes, utilitatem percipiunt, quum videlicet illos conspicantur propter sua peccata, et maximas et horrendissimas et dolorosissimas poenas κατά ἀεὶ χρόνον sempiternas pati. »

Hisce tum ex Scripturis et Patribus, tum ex Synagogae Magistris et ex Platone, perspicuis de improborum sorte in altera vita nullo unquam tempore mutanda, testimoniis excerptis, undenam ergo Origenes et Nyssenus talia didicerint de futura aliquando doemonum, pravorumque poenitentia, deque eorumdem in meliorem statum conditione? Nec Christus docuit, nec Apostoli commenti sunt, nec Patres primaevi hoc excogitarunt; neque traditio hebraeorum hoc unquam animadvertit; neque tandem Plato, quamvis gentium priscarum vagos de animarum statu post mortem investigavit errores, proprioque studio decernens, varie sit interpretatus; attamen nullibi post humanitatis fatum fore docet reproborum poenitentiam; neque de beata vita spem aliquam homines pravos percepturos ait. Unde ergo hanc opinionem eruerunt Origenes et s. Gregorius? Numquid ex intimo sensu aliter interpretati sunt christianum dogma de aeternitate poenarum, Ecclesiae posthabita traditione, veterumque Patrum auctoritate pessumdata? Et hoc est quod quaeritur.



CAPUT II.

Theologorum sententiae de s. Gregorii Nysseni libris et praesertim qui Catecheticus *et* Dialogus ad Macrinam Sororem *inscribuntur, num fuerint alieno calamo falsati in iis, quae dogma pertingebant de aeternitate poenarum.*

Neminem latet quali sollicitudine Theologiae scriptores mutuo contenderint de hujus Patris sensibus circa hujusmodi dogma. Cum enim aliqui hunc haereticae opinionis studiosum existimarint, alii nec suspicionem quidem volentes de integra illius fide in hac re in contrariam abiere sententiam, ideo putantes ipsius fuisse depravatos libros. Photius ex his (ceu legitur in Prolegomenis operum ejusdem Doctoris in tres Tomos edit. Parisiis 1638.) testimonio suffultus s. Germani Patriarchae Constantinopolitani: « Legi librum, ait, auctore Germano, qui primum Cyzici ordinatus, post Constantinopoleos Patriarcha fuit, qui liber inscribitur *Retribuens et Legitimus*: quod perinde est ac si dixeris *de vera et legitima retributione hominibus rependenda prout vixerint.* Et haec quidem tituli inscriptio. Contendit vero, Gregorium Nyssae episcopum ejusque scripta ab Origenis errore esse immunia. Etenim quibus delirium illud placet, doemonibus et hominibus in aeternam poenam conjectis liberationem inde expectandam, illi quod virum doctrina singularem et eloquentia insignem eum agnoscerent claramque sanctitatis existimationem per omnium ora decantatam viderent, aggressi sunt claris et salutaribus ejus scriptis et obscura et perniciosa Origeniani somni venena admiscere, virtutique hominis et doctrinae celebri haereticam occulte amentiam subjicere. Quare additamentis falsis, partim rectis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehensibilibus ejus monumentis calumniari conati sunt. Contra quos Germanus pietatis patronus acutum veritatis gladium stringens, et vulnere prostratos hostes relinquens, victorem superioremque eum constituit, in quem haeretica colluvies insidias struxerat et posuerat. » Nonnullis interiectis subdit. « Ut breviter omnia

dicam, sancti hujus Patris scripta ab omni pravitate haeretica, et a calumnia, quae in impietatem vertit, immunia esse declarat.... Libri autem, quos insidiis excipere moliti sunt, et quos Germanus veritatis propugnator primarius ab latronum insultu sine noxa servavit, sunt Dialogus ad Macrinam sororem *de anima*, et *liber Catecheticus*, et ille qui *de Perfecta Vita* narrationem continet. » Una cum Photio insuper theologorum orthodoxorum plures, uti ajebam, catholicam Gregorii fidem propugnarunt de perpetuitate poenarum.

Alii vero, inter quos praesertim Casaubonus, Dionysius Petavius et Huetius contra stetere. Petavius namque libro III. *de Angelis* c. VII. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Origenis dogmati favisse Nyssenum putat, ac ideo plura ex Gregorii scriptis, *de libro Catechetico* nempe, ex Dialogo *de Anima et Resurrectione* et aliunde hausit, causa ejusdem Doctoris cum Origenistis consensum de poenarum fine instituendi; cujus Doctoris verba suo loco, sedulo expendenda aggrediemur. Porro scribebat Petavius: « Quo ex numero antea Gregorius Nyssenus commemorandus venit, qui ad idem Origenis dogma multum implicatus videtur. Nam in libro Catechetico de Christi Incarnatione locutus, Dei Filium ait pio ac salutari dolo circumvenisse mali inventorem et architectum diabolum, qui primos homines in fraudem imposuerat, humana illi objecta specie; qua ratione *non eum solum* inquit, *qui perierat, sed eum etiam qui perniciem contra nos molitus fuerat, affecit beneficio. Nam ex eo quod vitae quidem mors* et cetera » quae suo loco a nobis sub trutina posita repetenda venient. « Ista, sequitur Petavius, Gregorius, qui sane Domini adventum et Incarnationem non solum homini, qui perierat et a doemone circumventus erat, sed etiam illi ipsi, qui perniciem et interitum attulerat, utilem ac salutarem fuisse dicit. Atqui nullus et alius hic quam diabolus intelligi potest, quem *et inventorem auctoremque mali* vocat; et post longam ac laboriosam purgationem, velut aurum detersis igne maculis ac sordibus, pristinum in statum rediturum esse ait, ac salutem adepturum; ita ut communes ab creaturis omnibus tam iis, quae cruciatibus istis expiatae fuerint, quaeque nunc in vitio jacent, quam ab iis, quae integrae innocentesque fuerint, gra-

tiae Deo reddantur. Quod et clarius etiam in iis, quae sequuntur exponit his verbis Divus: *Haec et hujusmodi tradit magnum divinae Incarnationis mysterium. Hoc enim ipso etc.* »

Praeterea Petavius postquam de doemonum hominumque damnatorum salute juxta s. Gregorii scripta, et speciatim in Catechetico, ubi dissertam ait, et expressam fuisse Doctoris mentem, adeo ut aliorsum trahi nequeat; nec ulla interpretatione molliri, subdit Germanum Patriarcham Constantinopolitanum sibi defendendum proposuisse Gregorium Origeniani erroris suspectum. De qua re idem Petavius addit n. 6.: « Igitur Gregorio Germanus ita patrocinatur, ut pro certo et confesso habeat, illa, quae objiciuntur e libris illius loco, qualia sunt ea, quae descripsi, Origenianum istud dogma complecti; neque de iis explicandis, aut quoquo modo conciliandis laborat; uti nonnulli hoc tempore pie magis quam vere, aut etiam pudenter instituunt. Sed sola hunc exceptione defendit: nam libros ejus ab Origenis fautoribus haereticis corruptos esse causatur, iisque alienas istas insertas fuisse sententias. Verum non facile sibi hoc persuaderi sinet etc. »

Petrus Daniel Huetius Origenianorum libro II. n. 25. pariter ita de Nysseno scribit: « Gregorius alter Origenianam sententiam absque ulla dubitatione amplectitur in Disputatione *de Anima et Resurrectione*, qua animas corporibus exemptas et doemones quoque, omni olim deposita vitiositate, Christum esse confessuros declarat; at alio Dissertationis ejusdem loco Deum ait, non aliter esse posse omnia in omnibus, juxta Apostoli sententiam, quam avulsa funditus et extirpata omni nequitia. Alia deinde permulta huic adstruendo congerit, quae vitandae causa prolixitatis praetereo. Catecheticae insuper Orationis c. VIII. post hanc vitam curari a Deo pravos animi affectus affirmat, qui hac in vita sanari per virtutem non potuerunt. Tum c. XXVI. non homines dumtaxat nequam et impios, sed peccati etiam auctorem diabolum a Filio beneficio affectum docet, quem ita expurgari ait, quemadmodum aurum adhibito igne expurgatur, secreta et excocta sequiore materia; tandemque aliquando per longos temporum ambitus, consumpto quod naturae inest, omni malo, damnatos in integrum iri restitutum, ut uno ore crea-

tae res universae gratias Deo refundant. Aurum itidem in exemplum adsciscit cap. XXXV. Libri ejusdem, et ne futurae quidem spe salutis eos intercludit, qui neque Baptismi, nec poenitentiae, neque ulla denique purgatione vitae noxas eluerint. »

Non diffitear quidem, sed Huetio aliisque conveniam, s. Gregorii scripta ac praesertim *Catecheticum* et Sermonem ad Macrinam *de Anima et Resurrectione*, uti nunc habentur, nullam passos esse corruptionem, ac in sua adhuc manere integritate. Nihilominus non est negandum a seculo V. et ultra, aut data opera pravatos, seu ab aliquibus non probe consideratos, ita ut sub ipsius doctoris nomine vulgarentur et damnarentur errores, quos non admisit. Hoc autem adstruitur a Dialogo Barsanuphii, de quo infra, et potissimum a Codice Syro n. 100. in Bibliotheca Vaticana sito, in fine Librorum *De Resurrectione*: ubi Nyssenus objicitur hostilis dogmati de aeternitate poenarum: et ubi tractus quidam citantur Sermonis ad Macrinam, et quidem interpolati, in ordine rerum corrupti; illuc adscitis quae alibi scripsit et in pravum sensum retortis. Et ubi prope finem ejus pericopae non nulla collegit de statu animarum post mortem: quasi s. Pater assereret, una cum corporibus interire animas; ac novissime easdem et corpora simul in novissima die ad vitam redigi, secundum Haeresim in Arabia excitam ineunte seculo tertio. Et contra quam valde disputavit Origenes, ut ait Eusebius in Histor. Eccles. Lib. VI. c. 30. Quam opinionem Nyssenus abnuit penitus, refutavitque.

Ceterum nec est omittendum, alios contra Petavium et socios, insurgentes Nysseni fidem de aeternitate poenarum ab errore vindicasse; nihilominus fatendum est, eosdem quaestionis nodum secuisse potius, quam accuratam rationisque compotem praebuisse solutionem; et praesertim in locutionibus Doctoris disquirendis; quas Petavius aliique contra catholicam doctrinam venire putarunt. Quapropter tum quoad primos tum quoad secundos, universa quaestione simul sumpta, antequam singillatim divi Patris in Libro ad Macrinam *De Anima* sententias sive obscuras, sive dubias, seu aliter ab ejusdem Nysseni mente expensas; et priusquam ceteras

ejusdem Doctoris libris inspersas dictiones, quae minus dogmati catholico juxta praefatos scriptores facere videntur, sedulo percurramus; operae pretium existimo ob oculos ponere lectoris, quae ipse Gregorius clarissime prope Ecclesiae Catholicae doctrinam sensit et scripsit de impiorum statu in altera vita. Quibus ita expositis, iter ad tanti Doctoris mentem aeque explanandam in iis, quae latebris obvoluta hucusque interpretum mentem defatigarunt, patefiet.



CAPUT III.

De aeternitate poenarum perspicua testimonia e Gregorii scriptis juxta fidei et doctrinae catholicae sensum exposita.

« Nolite mutare terminos, inquit s. Gregorius in Epistola ad Ambrosiam et Eustathiam, nolite mutare terminos, quos posuerunt patres nostri: neque simplicioris praedicationis aspernari idiotismum; nec amplius traditiones varias existimetis, sed in antiquae fidei regulam incedite. » Late cuique interim patent, uti ab initio exposui, sententiae evangelicae de beatitudinum ac poenarum perpetuitate ex ore Christi indictae, quaeque deinceps ab Apostolis et successive a Patribus usque nunc eisdem verbis, eodemque sensu, ratione eadem recitantur: « *Et ibunt hi* ex. g. *in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam . . . Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* ... ubi *vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur*, etc. Ab Jesu Christi verbis ac eorumdem Patrum expositionibus et mente de hoc dogmate haud abscessit Nyssenus in variis sermonibus diversisque argumentis a se pertractatis; ubi par ei adstitit occasio de pravorum poenis in altera vita disserendi.

Revera Gregorius in Oratione V. *de Beatitudinibus* ex Evangelii locutionibus *Venite benedicti Patris mei* etc. Dei judicium extollens in retributione ita se se gerit, ut non ex auctoritate tantum divinam misericordiam erga damnatos excludat, sed et id logico sermone adstruat. Scribit enim: « Ita justum quoque Dei judicium nostris affectionibus assimilatur; qualiacumque a nobis commissa fuerint, tales nobis de suo praebens retributiones. *Venite*, inquit, *benedicti:* et *ite maledicti*. Ecqua necessitas externa in his est, quae ad dexteram quidem collocatis jucundam, ad sinistram vero stantibus acerbam vocem attribuat? An non hi quidem propter ea, quae fecerunt, misericordiam consecuti sunt; illi vero, idcirco quod adversus proximos et populares immites et inhumani fuerunt, saevum et immite sibi ipsis divinum numen reddiderunt? Dives ille deliciis diffluens atque luxuria men-

dici ad vestibulum abjecti atque afflicti misertus non est; idcirco misericordiam sibi praecidit, misericordia implorata non auditus: non quod gutta una de magno paradisi fonte dempta damnosa; sed quia misericordiae stilla commisceri atque communicari cum inhumanitate non potest. *Quae enim communio luci cum tenebris est? Qualia*, inquit, *seminaverit homo, haec et metet.* »

Insuper Oratione *de Beneficentia*, ob oculos auditorum objiciens novissimi judicii diem, omnesque gentes ante Judicis tribunal adstantes inter se divisas: « Audio eos, inquit, qui a dextra sunt, agnos vocari, haedos, qui a sinistra. Nam ex morum similitudine sumunt appellationem. Audio illic eos interrogantem judicem et rationes conficientem. Audio quid ipsi respondeant regi. Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni benignique fuerint, atque optime vitam egerint, summa et perpetua quies tribuitur in regno coelesti; inhumanis autem et improbis τιμωρία πυρὸς, καὶ αὕτη διαιωνίζουσα supplicium ignis et illud in perpetuum duraturum. Haec omnia diligenter scripta sunt. » Item *contra Usurarios*, eorum arguens malitiam et stultitiam, tales aequiparat foeneratori ventoso et levi, de quo in Evangelio legitur; « qui innumeris molestiis ipsaque fame cum laborasset, sibi quidem αἰώνιον κόλασιν poenam aeternam quasi haereditario jure comparavit. » De iis pariter, qui Baptismum differebant, ac sine eo defunctis ait, eisdem vetitam omnino salutem, nihilque boni ex certa et definita sententia ab iis expectari posse; ac frustra deinde flentes et poenitentes, non secus atque divitem, dicit, qui induebatur purpura et bysso; et cujus lautus et delicatus omnis generis cibus alebat ὕλην τοῦ ἀσβέστου πυρὸς materiam ignis inextinguibilis. »

In Libro *de Anima et Resurrectione*, de quo alibi disserendum erit, longo sermone parabolam *de Divite* interpretatus, doctrinam de beatitudine aeterna aeque justis, ac de supplicio perpetuo pravis retribuendo adstruens, hujusmodi profert sententias Nyssenus veluti ceteri Ecclesiae Doctores universim. Quocum removetur error de doemonum ac impiorum post diuturnum aevum instauratione ad vitam meliorem: *Et in his omnibus*, inquit Abraham, *inter nos et vos*

chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Haec exponens ait: « Quibus sane inexercitata ratio est, ut quid melius sit, considerare non possint, hi per ingluviem et intemperantiam in carnali vita, eam, quae naturae debetur, boni sortem ante tempus consumunt, atque profundunt, nihil in eam, quae post hanc futura est, vitam reservantes et comparcentes. Alii vero ratione sana ac dijudicatrice suam vitam gubernantes in hac brevi vita per ea, quae sensum laedunt, contristati atque vexati, in futurum seculum bonum comparcunt atque recondunt, ut sibi una cum vita sempiterna melior sors extendatur atque prorogetur. Hic igitur, ut mea quidem opinio fert, hiatus ille est, qui non terra discedente atque deducta fit, sed quem judicium per hanc vitam in contraria studia atque instituta divisum atque diductum. Nam qui semel quidquid in hac vita suave ac jucundum est, elegerit, nec poenitentia ductus, stolidum ac temerarium suum consilium corrigit atque emendat, inaccessum et invium sibi locum bonorum posthac efficit, cum hanc ἀδιάβατον imperviam (quae transiri non potest) necessitatem tanquam barathrum ἀχανές τε καὶ ἀπορόδευτον quoddam vastum et invium adversus se se perfoderit. »

Item in Sermone *contra eos, qui castigationes aegrefe-runt*, fideles hortatus, ut aequo animo sacerdotum correptionem sustineant; nec veluti insani in illos indignati, conviciis foris appetant, sed per poenitentiam Episcopo et Ecclesiae Dei se submittant, scientes, nihil falsi scriptum in Evangeliis, neque Christi praedictionem fallacem exitum habere; ideoque reminiscentes per Petrum sane episcopis dedisse Christum clavem coelestium bonorum: « Scito o homo, ait, quod solutus, solutus es, et ligatus, vinculis invisibilibus constrictus es. Si oculi tibi essent, quibus cerneres animi substantiam, ostenderem tibi, qui a communione separatus es, speciem condemnati, gravissimis vinculis cervice depressi, nullum membrorum liberum, aut solutum habentis. Atque utinam cum vita supplicium terminaretur! Nunc vero si quid humanum contigerit, et de repente mors accesserit, ut latro de nocte, scito tibi occlusa, quae illic sunt.

Constantes sunt, et qui non ludunt, illius regni janitores, vident animam separationis notas ferentem; quasi quemdam foetorem et sordibus carceris notatum, ab ea removent semita, quae ad bona ducit. Non concedunt, ut ordines justorum cernat et angelicam laetitiam. Misera vero tum suae se temeritatis vehementer accusans, lugensque ac plorans et gemens, in locum quemdam tristem tanquam angulum, abjecta permanebit, luctu nunquam finituro ac insolabili, in aeternum poenas luens. »

In Sermone (edito a C. V. Card. Majo) adversus Arium et Sabellium ex Apostoli verbis *omne judicium dedit Filio*, subdit: « Proinde ipse vindictam sumet de iis, qui non obediunt Evangelio; videsis quomodo contumaces perferent poenas, inquit, ὄλεθρον αἰώνιον exitium sempiternum. » Item *De Pauperibus amandis* Oratione II. illum regem formidandum describit, cunctos homines ad se congregantem, ex instituta anteactae vitae ratione praemia dantem, vel supplicia irrogantem, a dextris probos collocatos, et a sinistra improbos, illis dulcissimis verbis alloquentem: *Venite benedicti Patris mei;* istos horribili comminatione *ite maledicti*. Pariter in Libro *de Poenitentia*: « Absurdum, enim est, ait, eos .... qui animi curam gerunt, incertum mortis diem non antevertere, et ardorem illius excruciantis ignis, qui in aeternum comburit, ac nullum unquam refrigerium admittit. »

Denique palmare in hac re testimonium, iisque praestantius, quae adhuc dicta sunt, nobis exhibetur in c. 40. *Orationis Catecheticae*, quae sincerae veluti extat christianae professionis schema contra omnes gentilium errores elaboratum. De vitae namque regimine Divus disserens post acceptum baptisma, fideles hortatur, ut in melius mutati, sedulo incumbant, cum Deo unionem ac necessitudinem custodire, vitiis a se sublatis, et prorsus seipsos sanctos in operibus suis praebere; divinis amplius promissionibus inspectis, quae omnem sensum superant, et ex adverso poenas acerbissimas intuitos, pravis hominibus servatas: « Necesse autem, scribit, fuerit etiam his addere id, quod restat, nempe quod bona, quae in promissionibus sunt proposita iis, qui recte vixerunt, non sunt ejusmodi, ut verbis possint describi; quomodo enim,

quae neque oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt? Neque misera et dolore plena vita eorum, qui peccaverunt, est similis ulli ex iis, quae sensum hic cruciant. Sed et si aliquod ex iis, quae illic sunt, tormentis, nominatum fuerit nominibus, quae hic sunt cognita, non in modico constituit discrimen. Nam cum ignem audis, didicisti aliquem ab illo diversum intelligere ex eo, quod illi igni aliquod sit additum, quod non est in hoc. Nam ille quidem non extinguitur; hunc autem multa sunt, quae extiguunt. Magna porro est differentia inter eum, qui extinguitur, et eum, qui nullam admittit extinctionem. Est ergo aliquis alius et non hic ignis. Rursus cum vermen audieris, ne, propterea quod idem sit nomen, ad terrestre hoc animal tua feratur cogitatio. Adjectio enim ejus, quod non moriatur, suggerit, aliam esse intelligendam naturam, quam eam, quae cognoscitur ».

Ut autem satius divi Gregorii mens patefiat de ejus in hac re concordia cum Ecclesia Catholica, animadvertenda subeant vocabula αἰώνιον, ἀΐδιον *aeternum*, *sempiternum*; quae veluti christianae fidei tessera ad beatitudinis et damnationis perpetuitatem idest sine fine exprimendam, ubique ac semper adhibita sunt. In eisdem enim dictionibus Doctor parem ac talem interpretationem concinnavit, qua aevi terminus excludatur, ac in se interminabile tempus comprehendat. Quapropter contra Eunomium haereticum in Oratione X. de aeternitate Verbi locutus: « Si igitur, inquit, non est in Filio vita aeterna, mendax deprehenditur ille, qui dixit, *ego sum vita*; vita quidem est non aeterna, ἀλλὰ τὸ μὴ ἀιώνιον, πρόσκαιρον πάντως i. e. sed quod non aeternum est, omnino ad tempus est. Talis autem vitae species communis est belluarum etc. » Et in Oratione I. scribit: « Id sine fine est, quod mortis et interitus non est capax; eodem modo id aeternum est, quod non ad tempus dicitur. Quod ergo neque aeternum est, neque fine caret, hoc prorsus in natura corruptibili et temporali cernitur. » Qui ergo fieri potest, ut s. Gregorius, una simul resumptis ejus de hoc argumento testimoniis, eisdem vocabulis usus sit *aeternum* scilicet et *sempiternum*, modo ad tempus finitum, modo infi-

nitum decernendum? Sed (quod maxime consideratu dignum) in eodem libro et de eadem re nempe de altera vita locutum, uti deinde patefiet, nunc damnatos in tormentis ad tempus finitum degere, nunc ad aevum infinitum persistere, docuisse asserendum foret, praesumpta eorum opinione, qui poenarum finem pro improbis in inferno statuisse putant Nyssenum. Verumtamen absit a nobis tanti Doctoris error, animique incertitudo. Ideoque sub ejusdem munimine, et quoad nostra polleat intelligentia, dictiones, sententias suis huc illuc inspersas libris, et ad pravum sensum transversas, uti ex Codice citato patet, in medio proferamus.



CAPUT IV.

Verborum sensus expenditur, quae in Catechetico c. XXVI. Speciatim notantur, ubi Petavio, Huetio, aliisve visus est errasse Nyssenus de daemonum salute.

Cum autem Petavio, ceterisque ex capite XXVI. *Catechetici* praesertim visum sit, Nyssenum errori esse obsecutum; inde investigationes exordiar: eoque magis cum ibidem quaedam notentur dicendi formulae, alibi pro eodem argumento in quaestionem delatae. Scribit enim: « Sed in examinanda, ait, forte justitia et sapientia, quae consideratur in hac dispensatione, adducitur fortasse quispiam ut existimet fraude hanc viam et rationem a Deo pro nobis fuisse excogitatam. Quod enim non nuda divinitate, sed tecta ab humana natura, Deus ab inimico ignoratus, in eum, qui dominatum obtinebat, se insinuaverit, est quodammodo dolus quidam et circumscriptio; cum sit proprium eorum, qui decipiunt, ad aliud convertere spem eorum, quibus struuntur insidiae; et aliud efficere, quam quod fuit speratum. Sed qui aspicit ad veritatem, hoc quoque assentietur, omnium maxime esse justitiae et sapientiae. Nam justi quidem est pro meritis unicuique tribuere; sapientis autem neque justum avertere, neque bonum benignitatis scopum separare a judicio, quod fit ex justitia; sed apte et congruenter utraque inter se conjungere, justitiae quidem tribuendo quod datur pro meritis: bonitati autem, quod non recedatur a scopo benignitatis.

« Animadvertamus igitur, an non haec ambo considerentur in iis, quae facta sunt. Nam par pari pro meritis referre, per quod vicissim decipitur deceptor, ostendit justitiam. Ejus autem, quod fit scopus, est testimonium bonitatis illius, qui operatur. Nam justitiae quidem est proprium, unicuique illa tribuere, cujus principia et causas prius jecerat, quomodo terra convenienter seminibus, quae in eam jacta sunt, fructus reddit. Sapientiae autem est in modo reddendi similia, ab eo, quod est melius, non discedere: quemadmodum enim cibo pharmacum similiter admiscet et qui insidiatur,

et qui ei medetur, qui appetitus fuit insidiis. Ille vero venenum praebet lethiferum; hic autem veneni praebet medicamentum: modus autem curationis minime corrumpit scopum conferendi beneficium. Nam etsi ab utrisque in alimento fiat mixtio pharmaci, scopum tamen et institutum aspicientes, hunc quidem laudamus; illum vero odimus, et aversamur. Ita et hic, ratione quidem justitiae illa recipit deceptor, quorum semina suo libero jecerat arbitrio. Namque ipse quoque decipitur objecta hominis specie, qui esca voluptatis hominem prius deceperat. Eorum autem, quae fiunt, scopus et institutum habet mutationem ad id, quod est melius. Nam ille quidem fraude usus est ad perimendam naturam: hic autem simul justus et bonus, et sapiens excogitatam adhibuit deceptionem ad salutem ejus qui perierat; per haec beneficio afficiens non solum eum, qui perierat, sed eum quoque, qui nobis attulerat interitum.

« Nam ex eo, quod vitae quidem mors appropinquavit, luci autem tenebrae, interitus autem incorruptioni, deletur sane id quod est deterius, et ad id, quod non est, fit transitus; et juvatur id, quod ex iis expurgatur; sicuti enim, si vili materia auro admixta, aurifices per ignem, eo consumpto, quod erat alienum et rejiciendum, ad naturalem splendorem praestantiorem reducunt materiem. Neque tamen citra laborem fit illa secretio, cum ignis sua consumendi potestate, tempore deleat id, quod est adulterinum. Verum enim auri quaedam est medicatio, quod in ipso eliquetur id, quod ad boni exitium in eo positum fuerat. Eodem modo etiam cum mors et interitus et tenebrae et si quis est alius vitii foetus, inventori mali adnata essent; divinae virtutis appropinquatio, tanquam ab igne deleto eo, quod est praeter naturam, naturam incorruptionis afficit beneficio, etiamsi laboriosa sit secretio. Ergo ne dubitare quidem poterit adversarius, quin quod factum est, sit justum et salutare, si venerit ad sensum beneficii. Nunc enim quemadmodum qui, ut curentur, secantur et uruntur, irascuntur iis, qui curant, uti quibus acris et aspera sentiatur sectio. Quod si acciderit, ut per id jam fiant, et dolor transeat sectionis, habebunt gratiam iis, qui ipsos curaverunt. Eodem modo, cum per longum tem-

poris ambitum fuerit naturae malum, quod nunc est eis immixtum et coalitum, et eorum, qui nunc jacent in malis, in antiquum statum facta fuerit restitutio; una voce agentur gratiae ab universa creatura, et ab iis, qui castigati fuerunt in purgatione, et ab iis, qui ne omnino quidem opus habuerunt, ut purgarentur. Haec, et quae sunt hujusmodi, tradit magnum mysterium susceptae a Deo humanitatis. Per hoc enim, quod mixtum fuerit humanitati, cum fuerit in omnibus naturae proprietatibus, nempe generatione, educatione et incremento, et usque ad mortis pervaserit experientiam, effecit ea omnia, quae prius dicta sunt, et hominem a vitio liberans, et vitii medens inventori. Aegritudinis enim medela est morbi purgatio, etiamsi sit laboriosa. »

In his verbis enucleandis, ac aliter sensisse Gregorium quam existimarunt Petavius aliique, probetur, sedulo in primis ejusdem Patris mens animadvertenda, ac vocabula, quibus usus est: quaeque fateamur sub quodam involucro exposita fuisse. Quum enim in praeactis capitibus Dei Nyssenus extulerit clementiam, ex quo ipse factus sit similis nobis instar nostrae naturae humilitatis; nec ulla ratione mirandum ait, veluti novum et extraneum, Deum inter homines degisse nobisque contemperatum; ostensurus pergit, ob hujusmodi illius in carne contemperationem, nostram divinam factam esse naturam quippe morte exemptam, et ab hostis immunem tyrannide. Hisce positis, in hoc capite pergit Divus extollens mirum divinae oeconomiae opus in humanae carnis susceptione; ubi veluti dolo, ait, usus est Christus pro nostri generis instauratione, eamdem naturam induens. Talis porro natura, idest caro humana, et nobis et Deo hostilis ob protoparentum reatum et a Christo suscepta, objicitur a Gregorio sub nominibus graecis ἐχθρος *hostis*, ἀπατέων *deceptor*, ἐπιβουλεύων *insidiator*, εὑρετὴς τῶν κακῶν *inventor mali*, ἀντικείμενος *adversarius*, κακὸν τῆς φύσεως *malum naturae*, κακία *vitiositas*. Neque sub alio intuitu hujusmodi dictiones praebuit Gregorius; proindeque nullimode doemones, angelos nempe rebelles in eo sermone animadvertit: nec eorumdem saluti prospicere Deum aliquando voluisse, cogitavit. Sub figura namque metonymiae *hostem, insidiatorem, adver-*

sarium, seductorem etc. Nyssenus carnem humanam nuncupavit, quippe, ut ait Apostolus, *caro concupiscit adversus spiritum.*

Verumtamen nequid novi existimetur praesetulisse Nyssenum in his vocabulis, quibus humanam carnem dixit *malum, peccatum, adversarium,* etc., adstat nobis divus idem Paulus et speciatim in Epistola ad Romanos, ubi eadem dicit, ac simul harum dictionum interpres habetur. Apostolus namque in c. VI. 6. de veteri homine sub peccato vendito locutus, et semetipsum in ea conditione censens scribit: *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Alibi ait: *Nam peccatum, occasione accepta per mandatum seduxit me, et per illud occidit.* Item et paulo post in c. VII. *Ego carnalis sum, venumdatus sub peccato* nempe carni obtemperans, quae mihi adversata dominatur. *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum . . . Si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi τὸ κακὸν malum. adjacet . . . . Video autem aliam legem in membris meis, ἀντιστρατευόμενον repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis . . . . Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Praeterea in capite sequenti addit: *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati; et de peccato damnavit peccatum in carne . . . . Nam prudentia carnis mors est, ... Quoniam sapientia carnis ἔχθρα inimica est Deo . . . Qui autem in carne sunt, placere Deo non possunt.* »

Videas ergo Pauli et Gregorii analogiam verborum et sensum in ostendenda nostrae naturae corruptione per peccatum, inde asserentium ob peccatum in nostra degens carne, eamdem carnem evasisse nobis et Deo hostilem; ac ideo illam suscepisse Verbum Dei, ut peccatum in ea destrueret. Et quod Paulus dixit *caro, vetus homo, corpus mortis, lex membrorum, malum, peccatum, adversarius* etc. quae unam eamdemque rem significant; ita et Gregorius de Jesu Christo disserens, qui humanitatem in se suscepit, loco carnis,

in qua peccatum habitat, metonymice dixit in se suscepisse, *mali auctorem, deceptorem, seductorem, adversarium nostrum*, ibique, scilicet in carne, habitasse, ut ipsam redimeret, ad resurrectionem disponeret, in pristinum statum restituens, quo a Deo creata est, ut in aeternum vivat: quin aliter de doemone ejusque asseclis perpetuo supplicio damnatis, quidquam in eo capite indicaret.

Reapse carnem, sive naturam humanam sub his vocabulis comprehendisse Nyssenum, praesto adstat sermonis nexus; ubi proprietates quaedam sub his nominibus nuncupantur, quae a doemonum proprietatibus prorsus absunt. Ex g. *Quod enim*, ibidem scribit Nyssenus, *non nuda divinitate, sed tecta ab humana natura, Deus ab inimico ignoratus* ἐντὸς τοῦ κρατοῦντος γενέσται *intus ipsum, qui dominatum habebat, natus sit, est quodammodo dolus etc.* Quomodo sane Dei Verbum fas erit asserere in carnis assumptione intus doemonem se se insinuasse, in doemonem inquam, veluti ad liberandum illum? Sed absit hujusmodi blasphemia, Deum nempe intus doemonium natum, vel factum esse carnem. Potiori verum jure dicendum est, in humana carne factum esse Dei Filium, ut ejusdem opera carnis destrueret; quae nobis antea inimica et insidiatrix erat: ut ait Apostolus: *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati; et de peccato damnavit peccatum in carne.*

Quae Nysseni verba juxta divi Pauli locutionem, Methodius, apud Epiphanium de Haeresi 64. n. 61. eadem interpretatione censens, quandoquidem diabolus, quem peccati nomine insignivit Paulus, eo quod peccati sit artifex ac repertor, scribit: « Postremum genus autem est, quod per peccatum ex ipsa cupiditate in nostra carne occalluit, quam peccati legem Apostolus habitantem in membris nostris nominat; quam carnem etiam improbus ille hostis invadens, eique insidens, saepe adversus nos excitat; ac ad injustitiam et scelerata facinora compellit etc. »

Et hoc amplius ostendit Gregorius in *Mystica Vitae Moysis Interpretatione:* « Si animi, ait, peccati pater serpens nuncupatus est a divina Scriptura; et quod a serpente natum est, omnino serpens est; non ergo immerito peccatum illius,

qui illud peperit, synonymum est. At propter nos peccatum esse factum dominum apostolicus sermo testatur, peccatrice nostra natura indutum. Iure sane Domino aptat enigma (Paulus). Si enim serpens peccatum, et Dominus peccatum factus est (qui serpens nihil aliud est, quam peccatum) verum propter nos factus est serpens, ut serpentes aegyptios consumat. » Et paulo post carnem humanam sub doemonis nomine designans subdit: « Noxio enim et corruptori doemoni hoc contra homines curae est, ne in coelum oculos elevare possint; sed in terram continuo inclinari, et in se ipso ex luto lateres facere. »

Deinceps s. Doctor eisdem vocabulis ac ratione locutus, quomodo nimirum Christus naturam secum eamdem contulit, ut ab ea vitium dissolveret, addit: *Quemadmodum enim cibo* idest homini interiori, *pharmacum similiter admiscet, et qui insidiatur,* caro nempe, ubi habitat peccatum, uti ait Apostolus, ac ita nobis hostilis et exitiosa; *et qui* idest Christus, *medetur ei* homini scilicet spirituali, *qui appetitus fuit insidiis.* Vel aliis verbis, quemadmodum homini interiori insidiatur caro in ejusdem ruinam, utpote pharmacum noxium; sic Dei Verbum quippe haud Deo arduum hoc in sua sapientia et virtute perficere, eodem pharmaco usum est idest carne humana, ibique versatum ad illius veneni medicamentum eidem carni insiti, ut salutem homini conferret. *Minime porro,* addit Nyssenus, *iste modus curationis scopum conferendi beneficium corrumpit. Nam etsi ab utrisque ,* a carne nempe Deoque *in alimento fiat mixtio pharmaci; scopum autem et institutum* ex ipsa mixtione intentum *aspicientes , hunc quidem laudamus,* Christum scilicet, qui in assumpta carne pharmacum immiscuit ad salutare alimentum ejus, qui veneno affectus erat. *Alterum vero odimus et aversamur ,* idest peccati carnem, quae necem confert homini, praebendo pharmacum noxium ad illius interitum.

Ita quoque, sequitur, *ratione justitiae talia recipit deceptor* caro nempe peccati, *cujus semina per propriam electionem, seu suo libero arbitrio jecerat.* Sic reversus Doctor ad argumentum cum similitudinis applicatione, ait par pari rependi deceptori, idest carni, cum antea hominem deceperat; ac ideo

ipse, ut ait Apostolus, nesciebat quid ageret: *quod enim operor non intelligo:* proindeque ipsa caro eodem rependitur dolo, quo olim usa est in hominis interioris exitium. Verumtamen non in malam sed in bonam partem Deus in oeconomia susceptae carnis dolo usus est, et aliter ab eo, quo usus est deceptor in eadem carne ad protoplastorum animum seducendum in propriam ruinam et interitum. *Quorum semina* nempe doli originem ipsa caro *ex proprio arbitrio jecerat* in hominis interioris seductionem. Quae verba, manifestum est, ad doemones minime referenda sunt, sed ad hominem, qui libero arbitrio praeditus, doloque carnis deceptus, divinum mandatum transgressus est ad suum universaeque humanitatis exitium. Quod magis constabit ex sequentibus.

Nam, subdit Nyssenus, *ipse quoque* deceptor, nempe peccati caro *decipitur objecta hominis specie,* nempe Christi ob eamdem naturam hominis, quam assumpsit; veluti diceret; Verbum Dei dolo humanitatis exterioris decepit carnem nimirum eamdem, utpote inimicum et seductorem nostrum, *qui antea esca voluptatis hominem* interiorem *deceperat. Eorum autem,* addit, *quae fiunt, scopus mutationem habet ad id, quod melius est. Nam illa quidem,* idest caro, *fraudem adhibuit ad perimendam naturam. Hic autem,* nempe Christus, *simul et justus, et bonus, et sapiens expensam, sive ex consilio, adhibuit deceptionem* in eadem assumpta carne *ad salutem ejus, qui perierat; per hanc,* hujus nempe dolum salutarem, *beneficio afficiens non solum eum* hominem interiorem, qui *perierat, sed illum quoque* nempe eamdem peccati carnem, *qui nobis intulerat interitum,* convertendo scilicet per mortem et resurrectionem suam veterem hominem, qui corrumpitur, in novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Et revera Nyssenus hoc sub intuitu pergens scribit: *Nam ex eo quod vitae quidem mors appropinquavit,* caro scilicet veteris hominis Dei Verbo appropinquavit eique associata est, *et luci tenebrae, et interitus incorruptioni; deletur quidem id, quod est deterius,* nempe corruptio carnis, vetus homo, caro peccati, utpote adversarius, deceptor, hostis hominis spiritualis, *et ad id, quod non est, fit transitus, et utilitas fit ei qui ab*

illis expiatur, scilicet a tenebris, a corruptione et morte; quae omnia caro peccati in se admiserat. Quibus verbis satis insuper Nysseni mens clarescit, nequaquam se de doemonis salute ibi contendisse, quippe uti spiritus, in se non admittat nec tenebras, nec corruptionem, nec interitum.

Deinde sumpta auri similitudine per ignem expiati, seduli aurificis opera, quacum, ob ignis vim consumendi quidquid vile et alienum eidem auro inerat, (de qua similitudine alibi disserendum erit) adjecit: *Verumtamen auri quaedam est medicatio, quod in ipso eliquetur quidquid ad boni exitium in eo positum fuerat. Eodem modo etiam cum mors et interitus et tenebrae, et si quis est alius vitii foetus, adnata essent inventori mali*, idest carni, homini exteriori, qui talia subiit mala, *divinae virtutis appropinquatio*, Deus scilicet in ejusdem carnis assumptione, *illud delens, quod extra naturam erat*, peccatum in carne, *beneficium incorruptionis confert, quamvis laboriosa sit hujusmodi secretio.* Hisce positis, quanam ratione, si hujusmodi locutio de doemone accipienda foret, quanam ratione, inquam, asseremus, diabolo veluti sociam accessisse divinam virtutem, eique incorruptionem elargitam?

Quae vero divus Gregorius sub his dictionibus scribit menti apostolicae obsecutus, eadem objicit Methodius ex s. Epiphanio de Haeresi 64. n. 60. ubi ostendit, ex divini mandati violatione per cupiditatem in nos invectum esse peccatum, unde omnia prodierunt cogitationum malarum germina. « Ob enim, ait, illud peccatum, quod in carne nostra habitat, diaboli lege delectamur. Etenim lex illa, quae cum divina pugnat, eique resistit, in animi nostri cupiditate posita, illa ipsa est, quae turbulentas et materiae faece implicatas, et ad improbitatem dissipatas cogitationes producit: quaeque ingentes omnino ad voluptates habet illecebras. » In ea carne utique venit Christus, ibique se se insinuans, eamdemque quasi medicus curaturus. *Quapropter*, subit Nyssenus, *neque ambigere in se poterit adversarius* vetus nimirum homo in carne peccati, *quin quod factum est, sit justum, et salutare, siquidem beneficii sensum in se expertus fuerit*; quod

Deus per Incarnationis mysterium, siculi per mortem et resurrectionem suam illi comparavit.

Ubi autem s. Doctor divinae Redemptionis bonum extulit, quo non solum hominem interiorem, sed et exteriorem salute affecerat, adeo ut caro peccati et corruptionis et mortis denuo ad vitam et incorruptionem transferretur; idque a medicorum exemplo, quibus, primum qui curantur, irascuntur ob asperam sectionis sensationem, ac postea sani gratias agunt, disserens: *pari ratione*, subdit, *longo aevi intervallo, sublato naturae malo* carnis nempe peccato, *eis nunc immixto et innato, ubi in pristinum statum instauratio peragenda erit illorum, qui in ea modo vitiositate jacent, gratiae unanimiter ab universa creatura agentur, et ab iis qui* utpote ex veteris hominis vitio nati *per expiationem castigati fuerint*; *et ab illis, quibus ne initium quidem ablutionis necesse fuit*, angelis inquam, qui ob divinae Incarnationis mysterium ad humani generis salutem, gloriam in excelsis Deo cecinere.

Denique concludit, Deum in suscepta humanitate, cum omnes naturae humanae proprietates, generationem, educationem, incrementum in se admisisset usque ad mortis experimentum (quod praecipuum Doctoris argumentum constitueral) ideo ea omnia perfecisse, ut hominem interiorem a vitio liberaret, eumdemque vitii inventorem, carnem scilicet peccati, hominemque exteriorem sanaret, in eo ordine restitutum, quo a Deo primum conditus fuit. Praeterea, cum contra Incarnationem mysterii obtrectatores (veluti hoc Deo indignum reputantes) Nyssenus neque de coelis nec aliunde carnem secum trahere Deum, decere, docuisset, sed de eodem loco et materia, de nostra scilicet natura, quippe ibi sordes vitiique inquinamenta extiterant, ibique consequenter instauratio hominis tam spiritualis, quam animalis instituenda erat; ad cetera transit quin de satana ejusque asseclis supplicio perpetuo damnatis, ad beatitudinem aliquando restituendis, verbum non tantum haberet; sed nec unquam secum cogitaret; quod erat demonstrandum.

CAPUT V.

Quid s. Doctor verba apostolica interpretatus Deus erit omnia in omnibus, *sicuti et alia,* ipsi genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum, *voluerit, explanatur.*

Post haec ad alia transeamus investigaturi ex ejusdem Nysseni Libro *De Anima et Resurrectione* desumpta a Petavio; quae cum maximam praefatis analogiam retineant, adjumentum haud modicum conferent ad quaestionis solutionem; tametsi Petavio eidem in Libro III. c. 3. 4. de Angelis, visus sit sensisse s. Doctor, doemonum atque pravorum poenas apud inferos post longissimum tempus desituras: « Nam Pauli verba (scribit Dionysius) in priori ad Corinthios Epistola c.XV. *Deus erit omnia in omnibus*, sic explicat Nyssenus, tanquam vitiositas et malitia funditus destruenda, extinguendaque sit; ita ut in nulla re consistat. *Hoc,* inquit, Nyssenus, *in loco mihi videtur perfectum et absolutum interitum vitiositatis ac nequitiae tradere Scriptura. Si enim in omnibus rebus Deus erit, vitiositas nequitiaque nimirum in rerum natura non erit. Nam si quis vitiositatem etiam et nequitiam esse posuerit, quomodo servabitur illa sententia, qua dicitur in omnibus esse Deum? Siquidem illius exemptio, imperfectam ac non plenam efficit omnem comprehensionem. Sed qui in omnibus futurus erit, in iis, quae non sunt, non erit.* Quae postrema verba nonnihil obscura sunt (subdit Petavius) sed ita intelligi debent: quoniam Deus in omnibus futurus aliquando dicitur, nusquam malitia et peccatum debet consistere. Si enim alicubi reperiatur, Deus ibi non erit: atque ita falsum erit, Deum in omnibus esse. Nam illa exemptio, vel substractio, quod in aliqua re esse dicitur, obstat ne generalis haec enunciatio vera sit, *Deum esse in omnibus*. Deus enim in peccato esse non potest; quia peccatum nihil est. Haec Macrina apud Gregorium Nyssenum: quae quam firma et necessario conclusa sint, nihil hic dicere attinet. Origenis quidem dogma ista redolent; cum et damnatos homines et doemones, ac principem horum diabolum fore salvos indicat post longissimi temporis supplicia: adeo ut pec-

cati ac nequitiae ne levissimum quidem ulla in re vestigium supersit.

« Sed in eodem Libro *De Anima et Resurrectione* disserte idipsum significat Gregorius. Nam Pauli locum illum pertractans: *in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestium, infernorum vel subterraneorum*, triplex ibi genus ratione praeditorum complexum esse dicit Apostolum, Angelos, qui coelestium nomine continentur, homines, qui in terra degunt, et animas corpore solutas, nec non doemones, qui subterranei censentur: *Subterraneum*, inquit Divus, *est quod jam a corpore secretum est. Aut certe si alia quoque praeter enumeratas natura inter ratione praeditas animadvertitur: quam sive quis doemones, sive spiritus, sive aliquid aliud voluerit denominare, non contendemus. Persuasum est enim tam ex communi opinione, quam ex Scripturarum traditione esse quamdam naturam extra talia corpora, quae recto atque honesto contraria sit, et in humanae naturae detrimentum et perniciem incumbat; quae sponte sua exciderit a meliori sorte; et sua ab honesto defectione id, quod contrarium intelligitur, in se ipsa produxerit. Quam quidem ajunt Apostolum inter subterranea et inferna numerare, id illo sermone significantem, quod vitiositate longis seculorum anfractibus et circuitionibus aliquando abolita, nihil extra bonum relinquetur. Sed etiam doemones concorditer dominationem Christi confitebuntur.* Ecce praeter animas corpore exolutas, quae infernorum vel subterraneorum nomine comprehenduntur, etiam doemones eodem significatos vocabulo, post multos annorum circuitus, extra malum et nequitiam fore dicit, et Christum Dominum esse confessuros. Potuit ne quidquam apertius ex Origenis opinione illa disputari? » Haec Petavius ex Nysseno concludere existimavit: quae quanti sint facienda, sequens patefaciet oratio.

Bifariam, ut patet, Nyssenus sub persona Macrinae secernit hunc sub specie dialogi Sermonem. In prima enim parte, sumpto argumento ex divi Basilii fratris obitu, de varia animae et corporis conditione disserit; quippe corpus in dissolutionem vadit, anima vero in perpetuum vivit. Idque solidis et aequis firmat rationibus contra philosophorum er-

rores, animam nempe quidquam esse a corpore varium; nec fieri posse, eamdem in solida, vel humida transire elementa; aliter cum eisdem dissolvi oporteret. Deinde subdit animae essentiam variare a corporis proprietatibus, quemadmodum et a Dei essentia differre; cum et ipse animam creaverit homini indens, ab ipso Deo et a corpore omnimode distinctam.

Verumtamen priusquam adversariorum diluantur argumenta, admodum quaestioni nostrae proficere existimo, ea praemittendo, quae Patres veteres praeter Nyssenum aliique docuerint de anima ejusque proprietatibus et distinctionibus. Plures namque difficultates puto ex hac ipsorum definitione pendere, maxime ubi de carnis resurrectione agitur. Divus Gregorius *De Hominis Opificio* c. VIII. tres in homine substantias distinguit, corpus, animam et spiritum; animam vero quasi mediam participare dicit corpori et spiritui. Deinde in hoc *De Anima et Resurrectione* Libro ita animam definit: « Haec est, inquit, essentia generata, substantia vivens, intellectualis in corpore organico et sensibili virtutem vitalem ac res sensibiles percipientem, per semetipsam immittens, quamdiu natura capax earum rerum constiterit. » Aliis verbis paulo post ait « animam intellectualem esse naturam; et instrumentario corpore vitalem vim ad sensuum efficientiam ingenerare. Nam non solum circa eam mentis nostrae agitationem, qua scientias percipimus, efficax est anima nostra . . . sed multus quidem cupiditatis, multus item iracundiae quoque motus cernitur in ejus natura ».

Origenes pariter hominem dicit corpore constare, et anima et spiritu. Ideoque in Epistolam ad Romanos Lib. 1. n. 5. ex verbis: *Qui secundum carnem ex semine factus est David* « puto, inquit, Apostolum hoc dicere scientem mediam semper esse animam inter spiritum et carnem; et aut jungere se carni, et effici unam cum carne: aut sociare se spiritui, et esse unum cum spiritu. Ex quo siquidem cum carne sit, carnales homines fiant; si vero cum spiritu, spiritales etc. » Similiter ex ejusdem Apostoli sententia, ibidem n. 18. *Caro concupiscit adversus spiritum*, addit: « Media procul dubio ponitur anima, quae vel desideriis spiritus acquiescat; vel ad carnis concupiscentias inclinetur. Et siquidem se junxerit

carni, unum cum ea corpus in libidine efficitur et concupiscentiis ejus. Si vero se spiritui sociaverit, unus cum ea spiritus erit. » His duobus consentit quoque Irenaeus lib. V. c. IX. 1. verba apostolica expendens, *quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*: « Id est, scribit, quod ab omnibus haereticis profertur in amentiam suam; ex quo et nos retardare et ostendere conantur, non salvari plasmationem Dei: non conspicientes, quia sunt tria, ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima et spiritu: et altero quidem salvante et figurante, qui est spiritus; altero, quod unitur et formatur, quod est caro. Id vero, quod inter haec est duo, quod est anima: quae aliquando quidem subsequens spiritum, elevatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias etc. »

Exposita interea triplici hominis substantia tum ex Nysseno, tum ex Irenaeo et Origene, illud ibi maxime consideratu dignum est, quod ipsi de anima docent veluti media inter spiritum et carnem ejusque concupiscentias, nunc illi nunc aliis obnoxia; a quibus deinde in morte penitus homo exolvendus erit, uti infra patefiet. Modo ad citatam s. Doctoris pericopem revertamur, quam Petavius ceterique tanquam dogmati catholico de aeternitate poenarum infensam faciunt. Ibidem namque postquam Sanctus plura disseruit de quadam animae humanae contemperatione cum terrae elementis, ejusdem a corpore exacta separatione (de quo non est dicendi locus) transit ad quaestionem de Inferno sive de Orco, ac Magistram rogat ubi sit et quid sit. Et in hoc expendendo, Apostoli verba ad Philippenses citat, inquiens: « Quid ergo dicam Apostoli requirentibus sensum in iis dictis: *Ipsi omne genuflectetur coelestium, terrestrium, et subterraneorum sive infernorum*? »

In primis autem divinum Paulum ex allato testimonio in eo esse, uti ex contextu, patet, ut Christi divinitatem extollat supra ceteras creaturas, adeo ut et angeli et homines et inferi (sive doemones sive defunctorum animas sub hoc *inferi* nomine accipere velis) et omnis lingua confiteantur, *quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Sicuti et

Evangelista de doemonibus a corpore egressis ait: qui confessi sunt, *quia ipse est Filius Dei*. Et s. Jacobus c. 11. 19. addit: *et doemones credunt et contremiscunt*. Et hoc reapse praecipue ex apostolicis verbis animadvertit Gregorius, tertiam sub nomine *subterraneorum* sive *infernorum* naturae rationalis conditionem considerans; quamque propriam esse dicit animae a carnalibus absolutae; quamvis paulo post, sive quid a corpore separatum, seu quid aliud distinctum in natura rationali, sive doemones, sive spiritus, seu aliquid hujus generis nominare quis voluerit, se non contendere ait. Et hanc putat, una cum aliis praedictis et coelestium et terrestrium conditionibus, illum aliquando in bono consensum significare voluisse Apostolum, in Christum scilicet Filium Dei esse confitendo; sicuti et ipsi omne genu flecti coelestium, terrestrium et infernorum, et omnem linguam fateri, *quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Nec quidquam aliter mihi videtur ibi animadvertisse s. Doctor in citato testimonio enucleando.

Ceterum res magis ex sequentibus patefiet; ubi Nyssenus ad quaestionem revertitur de animarum statu post corporis solutionem, eas opinatus a corpore exemptas variis elementis crassis quodammodo commisceri; nec inde, rebus sic stantibus, infirmari, quae scripsit Apostolus de infernis vel subterraneis naturis. Interea vero Doctor de vocabulo *infernorum* disserens, a Scripturarum traditione, nec non ex communi opinione, *quamdam probat naturam, praeter corpora, bono obsistentem, hominis vitae perniciosam, quae sponte sua a meliori sorte exciderit, ac ideo ob ejusdem ab eo, quod bonum est, defectionem, in se se substituerit quidquid huic bono contrarium animadvertitur*. Et talis natura, ni fallor, hoc in loco a Nysseno nuncupata veluti in hominis perniciem, ea est quae in *Catechetico*, ut antea exposui: alibique, sub nominibus κακίας *malitiae* vel *deceptoris* sive *adversarii nostri* expendetur; vel aliter dicta *natura corrupta*, *caro peccati*, *peccatum in carne, peccati homo, lex vetus*, talis, quae homini supervenit post Adae reatum; et hujusmodi, ut illi, quod bonum est, hostilis sit, ac legi mentis nostrae repugnans. Vocabula namque ἀγαθὸν καλὸν *bonum honestum* et κακία vi-

tiositas ibi a Gregorio adhibita, nihil praeter naturam humanam ante et post peccatum praefigurant. (1)

Quod autem talem essentiam hostilem, subdit s. Doctor, ajunt Apostolum adnumerare substantiis infernis seu subterraneis tales, quas ait Paulus, ipsi Christo genuflecti Deum confitentes; *id eo sermone* inquit Nyssenus, Apostolum indicare, *quod cum* κακία, nempe naturae humanae vitiositas, quam peccatum in carne, naturae corruptae consertum saepe vocavit, *longos per seculorum periodos aliquando evanuerit, seu extincta fuerit, nihil praeter quam quod bonum fuerit, relinqui*; scilicet naturam innocuam absque vitio, veluti a Deo in protoparentibus creata fuit. *Ideoque*, sequitur Gregorius, *et ab iis* subterraneis essentiis a vitiositate exemptis *pariter quoque fiet Christi dominationis confessio*; proindeque et omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Insuper circa usquemodo Nysseni expensa verba, sciendum est dictionem *doemones*, uti habetur in versione latina, in Graeco non legi; sed ejus loco inscribi παρὰ ἐκείνων ab illis, scilicet subterraneis essentiis. Quare etiamsi antea hujusmodi infernas naturas sub doemonum titulo indicaverit; alia tamen significatione ab ea, quae in doemones vertitur et in pravos poenis aeternis absque fine mulctatos, comprehendi necesse est. Et re quidem vera; nuncupatio doemonum, qua ibi usus est Nyssenus inquiens *quam naturam sive doemones, sive spiritus, sive quid aliud quis voluerit nominare non contendam*, instar communis gentium appellationis sive opinionis dicit, utpote sub doemonum vel geniorum voce, defunctorum animae compellabantur, uti cuivis patet. Et sub hoc titulo ac sensu ibi, doemonum vel spirituum nomina potiori jure sumpta esse duco, quam in stricta spirituum immundorum, seu angelorum Deo rebellium significatione, qui

(1) Plato *de mundi Natura* ait: « Κακία vitiositas vero e parentibus nostris et elementis potius oritur, quam ex incuria et publicorum morum intemperie; quum videlicet ita sumus comparati, ut ab iis actionibus quae nos ad primaevas illas parentum nostrorum labes abducunt, nunquam abscedamus. »

de coelo pulsi, in ignem conjecti sunt, *qui*, ut ait Christus, *paratus est diabolo et angelis ejus*. Quapropter et amplius divum Gregorium minime in citata a Petavio pericope et ab aliis, qui tale Nysseno objiciebant erratum, minime inquam de doemonum salute pronunciasse, nec animadvertisse quidem probatur.

His circa verba apostolica a Divo expositis, ad praecipuam quaestionem lectorem revocat, qua dicebatur, nihil impedire, quominus sit communicatio quaedam simplicis et invisibilis animae cum substantia crassa et corporea; ideoque etsi a corpore anima secreta, eamdem elementis corporeis adhuc inesse per quoddam contemperationis genus. *Quocirca*, subdit, *nemo coegerit sub infernorum nomine talem intelligi subterraneum locum*, licet veluti seorsum constitutum, designari tamen ex praefata interpretatione universum, *ex quo, circumquaque aere orbem terrarum circumfuso, nulla ejus pars ab aeris amplexu nuda ac vacua deprehenditur*, ita concludens, Apostoli citata verba, suae, quam statuit, sententiae de hujusmodi animae cum materia post mortem contemperatione non adversari.



CAPUT VI.

Ab eodem sermone de humanae naturae incorruptibilitate sub nominibus boni, beatitudinis, pulchritudinis, ac divinae imaginis *comprehensa, in resurrectione, agere s. Gregorium contra Manichaeos, evincitur, per virtutem Dei nempe sublata vitiositate ex protoparentum reatu contracta, nil inde opponentem dogmati de aeternitate poenarum.*

His praemissis, Nyssenus praevidens eos, qui suis dictis acquieverunt, in opinionem de animae interitu facile labi; vel contra veritus eosdem, cum animae essentia omnimode a corpore variet, nusquam in elementis esse, fieri posse adserere; apta similitudine ab artificio pictoris desumpta, thesim explicare ac firmare nititur. Quae verba accuratius animadvertenda sunt, quippe et ad altera conferent Petavii celerorumque diluenda testimonia, ex ejusdem Doctoris ore relata, veluti aeternitati poenarum contraria: « Detur enim, ait Gregorius, per artem pingendi, ut non solum colores ex contrariis (quod pictores facere solent) ad similitudinem formae misceantur; verum etiam mixti separentur; ac rursus unicuique colori naturalis tinctura reddatur. Si igitur albus et niger, aut ruber, et fulvus color, aut siqua alia tinctura ad argumenti similitudinem commisceatur; si rursus a commixtione cum altero separetur, ac seorsim fuerit; nihilominus eamdem coloris specie ab artifice dignosci dicimus; nihilque oblivionis ei obrepere, vel rubri vel nigri; si diversi colores invicem commixti rursus ad naturalem redacti fuerint tincturam; ac memorem modi talis ad invicem colorum commixtionis, scire, quis, et cui color permixtus, quem colorem effecerit, et quo pacto altero eluto atque secreto rursus ad proprium florem redactus sit; ac si denuo commixtione opus fuerit, idem efficere, minori cum negotio atque labore id conficiet quod in priori compositione cogitaverit.

« Si igitur aliquid in similitudine, inquit, consentaneum habet sermo, expendenda jam nobis erit proposita quaestio. Loco enim artificialis picturae, elementorum natura comprehen-

datur; mixtio autem variae ex diversis coloribus tincturae; et rursus nobis ad exemplum data in propria horum redactio, tum concursum, tum elementorum solutionem designet. Quemadmodum ergo dicimus in similitudine, artificem non ignorare colorum tincturam, quae post mixtionem rursus ad proprium florem redacta est; sed tunc agnoscere et rubrum et nigrum, et siquid aliud, per quamdam cum diversi generis colore communionem formam effecit, qualis quidem esset in mixtura, qualis et nunc est, in propriam naturam restitutus; qualis item futurus, si eodem modo denuo colores inter se misceantur. Ita animam, elementorum, quae coierint ad corporis constitutionem, cui ipsa inhaeserit, etiam post eorum dissolutionem, naturalem scire proprietatem censemus. Ac tametsi natura procul ab invicem abstrahat elementa propter insitas contrarietates, unumquodque eorum arcens a commixtione contrarii; nihilominus ex cognoscendi potentia, quod ei proprium est complectens anima, et manens donec rursus una concursus diremptorum ad instaurationem dissoluti corporis ex elementis coacti, factus fuerit: quae proprie et est et nominatur resurrectio. Ego autem dixi, optime mihi videris obiter de resurrectione defendisse doctrinam. Arbitror enim per haec sensim adduci eos posse, qui eam fidem oppugnant, ne putent fieri non posse, ut rursus elementa inter se coeant, et eumdem hominem efficiant etc. »

Ubi vero s. Doctor metam de resurrectione pertigit, in qua hominis restauratio constituenda erat, pluribus difficultatibus ex Evangelii parabola de Divite in inferno, et de Abrahae sinu deque hiatu, qui unum dirimebat ab altero, expensis in verba incidens, *recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala,* ex his opinatur quidquam quaestioni profuturum, cum ibi hominis natura ante et post peccatum sub Lazari ac Divitis persona repraesentetur: « Ab initio, inquit, vita humana simplex et uniformis erat; simplicem autem dico eam, quae in solo bono animadvertitur, ac nullimode malo permixta. Talem autem opinionem prima Dei lex comprobat; quae cum omnibus quidem bonis, quae erant in paradiso, hominem abunde frui dedisset, ab illo solo prohibebat, cui natura ex contrariis commixta erat, malo cum

eo, quod bonum est, comtemperato, mortem veluti poenam ei imponens, qui contra eam legem fecisset. Sed homo ex suo arbitrio ac voluntatis suae libero motu, relicta sorte, quae a malo integra erat, eam, a contrariis contemperatam, vitam adscivit et amplexus est. Attamen non sine emendatione hujusmodi stolidum consilium nostrum reliquit divina providentia etc. »

Ex his, quae hucusque scripsit Nyssenus et a sequentibus, primum animadvertatur quod ait circa boni cum malo commixtionem in homine, unde ipse alius factus est ab eo, quem Deus condiderat in solo bono praeter quamcumque mali in ipso immixtionem. Secundo instat, quamvis natura humana vitio contemperata, ceterisque malis inde exortis, tamen ista non officere resurrectioni, ubi nova vita longe alia ab ea, quae nunc ducitur, instauranda erit; quod praecipuum quaestionis caput constituit, quin de futuro hominis statu post resurrectionem interea sermonem suum instrueret.

Verumtamen, quod admodum ad quaestionis illustrationem conferet et ad mentem Nysseni dignoscendam in iis quae in libro praefato *De Resurrectione* et alibi disquirit, illorum sententiae ob oculos ponantur, quas contra hoc dogma commenti sunt. Ita namque ajebant: « Si id omne, quod genitum est aegre se habet; ac tam in generatione ipsa, quam nutricatu, et ab accedentibus augetur et a decedentibus minuitur; quae autem minime gignuntur, in sanitate sunt, nec aegrotant unquam; neque ullius rei indigent, aut appetunt; quae autem genita sunt, et coitum et alimentum appetunt. Est autem appetere idem atque aegrotare; e contrario vero nullius indigere nec appetere idem est ac sanum esse. Aegrotant porro quaecumque nata sunt, quia concupiscunt; quae vero minime nata sunt, non aegrotant. Jam vero quaecumque aegra sunt eorum, quae accedunt, vel decedunt, copia vel inopia laborant. Quod autem patitur, corrumpi atque interire necesse est, cujus rei gratia gignitur; atqui homo gignitur, non potest ergo homo apatibilis esse et immortalis. » Et sic ex Proclo Epiphanius de Haeresi 64. n. 31.

Quapropter contra hos s. Doctor totus in eo est, ut indefectibilitatem et incorruptionem naturae humanae ex re-

surrectione propugnet, non obstantibus cujusque generis malorum elementis in homine collectis post protoparentum reatum. Quae mala sub κακίας vitiositate nuncupans, inquit ab eisdem expoliari hominem sive citius sive serius ante resurrectionem, ut illam assequatur conditionem, qua a Deo creatus est uniformis, simplex, nulliusque vitiatae naturae mali commixtus et incorruptus; et sic adstet coram Deo, et ab eo judicium expectet actuum suorum, quos in hoc mundo libera voluntate peregit: « Quoniam autem, scribit, cujusque naturae ea vis est, ut affinia, propria et cognata attrahat; propinquum autem Deo et domesticum quodammodo genus humanum est, quippe ferens in se imaginem principalis figurae, necessarium plane est, ut anima trahatur ad id, quod divinum simul et cognatum est. Necesse est enim, quod proprium Dei est, illi prorsus ac penitus reservari. Verumtamen si anima levis et expedita fuerit, et nihil redundantiae et superfluitatis in se habuerit, nulla corporea molestia eam premente, jucundus ac facilis ei ad attrahentem accessus sit. Sin affectionis clavis ad eum habitum, qui cum materialibus conjunctus et affinitatem habet, affixa fuerit, veluti quaedam par est pati in terraemotus ruinis corpora, pulveris aggere oppressa.... ejusmodi passionem quam circa animam quoque mihi accidere videtur, cum, humanitate amota, divina potentia ex irrationalibus et materialibus ruinis, quod suum est, attrahit etc. »

Hujusmodi argumentis probat Nyssenus animam Deum ad se trahere, uti ait Ecclesiastes: *Et spiritus revertitur ad Deum, qui dedit illum*; ob hanc vero attractionem, eamdem animam quidquam pati. Quemadmodum enim, scribit, Deus cum ad se trahit peccatores, affectionibus acerbis illos afficit ob pravas carnis cupiditates, quibus se se obstrinxerunt; et sicuti aurum a scoriis expiandum in igne liquefieri, oportet; ac veluti funiculus luto circumlinitus per foramen trahitur. ut a sordibus detergatur: pari ratione dicit *necesse est, ut, dum κακία vitiositas igne expiatorio consumetur, animam quoque quae eidem vitiositati conglutinata est, in igne cruciatuum et dolorum sit, donec totum quod materiale corruptum et impurum consummetur*. Subdens vero in his cruciatibus men-

suram ac modum servari, prout quis plus vel minus in malis vetitis versatus sit, concludit: *Oportet enim penitus ac omnino aliquando κακόν malum peccatum in carne sustolli ab eo, quod est, ac uti supra dictum est, quod revera non est, neque omnimode esse. Quoniam vero extra arbitrium κακία non habet naturam, ut sit, cum omne arbitrium sive voluntas in Deo fuerit, per absolutam abolitionem vitiositas nullum locum habebit, adeo ut ne ullum quidem receptaculum relinquatur ejusdem.* Sustollenda sunt, dicit, a nobis caro peccati, carnis vitium, habitus pravi a natura per originalem reatum contracti; quibus utique omnibus in resurrectione expoliandus erit homo, ut appareat similis ei, qui a Deo primum conditus est purus, innocuus, uniformis, simplex, veluti adamussim scribit Apostolus ad Corinthios sub eodem intuitu, ac sub eisdem loquendi formulis; et ad illud ipsum firmandum, cujus Nyssenus idem aggressus est expositionem. Namque ait: *Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Ac ita s. Doctor potissimum, sicuti et divus Paulus in hoc, ut contra eos, qui resurrectioni universae sub natura humanae corruptibilis praetextu mentiebantur, versati sunt asserentes; *canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti*; quin uterque ibi de divina fruitione deque poenis, quae in altera vita post judicium novissimum manet probos ac improbos et in perpetuum duraturis, institueret sermonem; etiamsi alias, ubi par ac opportunum eisdem visum est, apertissime juxta Christi verba de hoc argumento disseruere.

Quinimmo si ita accipiantur, prout jure percipiendae sunt, Doctoris locutiones hucusque animadversae, ac menti apostolicae conformes; ceterae quoque Nysseni sententiae, quas Petavius et Huetius et veterum nonnulli existimarunt dogmati Catholico de poenarum aeternitate obsistere, pari, interpretatione donantur; et omnia plane in hac quaestione incedent. Reapse mox Dei consilium commendans in homine ab hac vitiositate eripiendo, ait, si ita non fieret in resurrectione, tunc statuendum esset homines probos utpote in

iniquitate conceptos, variisque inquinationibus foedatos usque in aeternum poenas pati. Quapropter providendum erat, aut naturam nostram ex his vitiis servari puram; seu, si hoc fieri non potest, eidem modica cura, ejusque detrimentis mederi necesse erit; et instar evangelicae parabolae de debitore, qui missus est in carcerem, usque dum redderet universum debitum; debitum nempe contractum ob ejusdem cum huius vitae passionibus et aerumnis participationem; vel donec peccatum in carne deponeret et abjiceret, pudoremque exueret, quem ob debita subiit. « Quibus solutis in sui juris potestatem ac libertatem restitueretur; quae libertas dominum non habet. Verumtamen divina natura omnis virtutis fons est. In hac igitur erunt, qui a κακία vitiositate eximentur, *ut*, veluti ait Apostolus, *Deus sit omnia in omnibus*. Hoc enim dictum, *et in omnia esse Deum et in omnibus*, aperte mihi disquisitam sententiam firmare videtur. »

Nyssenus porro subit argumentum probaturus ex verbis ad Corinthios, quorum sensus ex praemissis suis nec non ab ejusdem Apostoli testimonio, alio vertitur, quam, ut dixi, statuere adversarii ex praecitata Petavii interpretatione. Instat namque s. Doctor in veteris hominis instauratione per peccati in carne interitum, facienda, ut una resurrectio simul probetur et credatur. Proindeque ibi totus est, ut ea, quae eidem resurrectioni ac novae vitae repugnare videntur, amoveat, inquiens. « Etenim cum vita, quam in praesenti transigimus, varie ac multimode a nobis exigatur; et multa quidem sint, quorum participes modo sumus, veluti cibus, aer, locus, potus, tegumentum etc. porro cum beatitudo, quae expectatur, nullius rei opus habeat; et omnia nobis et pro omnibus erit divina natura ad omnem illius vitae necessitatem se se apte et convenienter impertita, in hoc concludit, mihi videtur perfectum et absolutum τῆς κακίας vitiositatis interitum docere Scriptura. Si namque in omnibus, quae sunt, erit Deus, vitiositas manifeste in rerum natura non erit. Siquis enim eam adesse supponat; quomodo servabitur illud *in omnibus esse Deum*? Subreptio vero illius vitiositatis in rerum natura, imperfectam constituit omnium comprehensionem. » Et haec est verborum Nysseni summa, inquam, quibus

una cum Apostolo adstruit resurrectionis humanae veritatem; ideoque ejusdem Pauli testimonio utitur, quo ille Corinthiorum animos ab errore evocarat ad rectam fidem. Deletis namque, uti ibidem dicit Apostolus, *omni principatu, omni auctoritate, et potentia eademque morte novissime destructa* (quae vocabula sub κακίας vitiositatis titulo conclusit s. Doctor) *erit Deus omnia in omnibus.*

Verumtamen, ut satis amplius ita nec aliter de doemonum, pravorumque salute aliquando his superventura, divi Gregorii mentem sese habere patefiat, ea ipsa animadvertantur, quae sub hujus Sermonis finem, veluti totius quaestionis epilogum confert de resurrectionis mysterio; ubi singillatim hoc expendit juxta divini eloquii sensum: « Resurrectio, scribit, est naturae nostrae in antiquum statum ἀποκατάστασις restitutio. Verum in prima vita, cujus Deus ipse conditor fuit, neque senectus erat, uti est verisimile, nec infantia erat, neque ea, quae per varias infirmitates morbosque accidunt incommoda nec ulla corporearum affectionum molestia; haud enim par erat talia creare Deum. Sed divina quaedam res erat natura humana priusquam humanitas mali concupiscentiam subiret. Haec autem omnia nobis una cum κακίας vitiositatis ingressu supervenerunt. Ergo nullum opus habebit (post resurrectionem) vita vitiositatis expers, iis, quae propter hanc ei acciderunt.... Ergo non amplius conflictabitur natura nostra vitiis ac passionibus, quae vitiositatem sequuntur. »

Ex his itaque patet *apocatastasin* nihil aliud esse quam hominis corrupti instaurationem, vel restitutionem ad incorruptibilitatem; quae fiet in communi omnium resurrectione; sicuti et *chachïa* vitiositas, nihil est, nisi ejusdem humanae naturae corruptio, sive peccatum in carne, ex veteris Adami reatu hominem invadens. Qua vitiositate, sive carne corruptibili exui necesse est hominem, quisquis sit, sive probus, sive improbus in resurrectione, ut integer, simplex et incorruptus coram Deo judice se sistat, veluti ab ipso Deo primum conditus est; et ut illud impleatur, quod ait Apostolus: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Defoecata nempe anima ab

iis carnalibus affectionibus, quibus ipsa inter spiritum et corpus incedens communicavit, prout ipse Doctor dissertis verbis docet Homilia 1. in *Ecclesiasten*: « In principio, ait, illud fuit anima, quod posterius purgata apparebit. Illud factum est Dei manibus, quod et fictum est corpus, quod ipsum convenientibus temporibus ostendet resurrectio. Quale enim semper videris post resurrectionem, tale omnino factum est primo. Neque enim est aliquid aliud resurrectio, nisi quae fit omnino in pristinum statum restitutio. »

Itaque quo incepit divus Pater, ejus scopus usque ad finem in eo potissimum versatus est, ut et resurrectionis adstrueret fidem, ac modum indicaret, quo homo, e corruptione natus, pius, sive scelestus, ad incorruptibilitatem revocaretur, ut in aeternum viveret; recuperata scilicet in se ea specie eidem olim a Deo impressa. Ac ideo sapienter hujusmodi humanitatis vitium, seu corruptionem sive peccatum in carne, ab homine resurrecturo, antea et omnimode sustollendum fore dixit; quamvis vario tempore, perque diversa potissimum cruciatuum genera (prout quisquis vitiis carnalibus obligatus fuerit) transiturus esset. Quamobrem quin de iis, quae judicio finali subsequentur sermonem instrueret, saepe saepius huc illuc pro suo argumento in reali ac vera corporum resurrectione sancienda contra ejusdem mentitores, probat quomodo natura humana tunc omnibus superatis carnis motibus, Deo similis facta, vitam excelsam imitetur, divinae naturae informata proprietatibus, adeo ut nil ei relinquatur, nisi dilectionis affectus naturaliter bono insitus. Ac proinde docens naturam humanam, ubi passionibus ac vitiis omnibus immunis evaserit et *ad μακαριότητα ἀπαθῆν beatitudinem apassibilem recurrerit*, non amplius cum *chachïa* vitiositate pugnare (in resurrectione enim omnes affectus dimisit per illud vitium contractos,) concludit: « Itaque cum alius quidem status in futura vita speratur, siquis per ea, quae nihil cum illa vita commune habent, contra resurrectionis doctrinam nitetur, frustra laborabit. »

Attamen quoad hoc vocabulum *beatitudo impassibilis* juxta praefatam interpretationem sumendum ac comprehendendum prout dicebam, de nempe naturae humanae instauratione

in pristinum statum efficienda per resurrectionem, in quo a Deo condita est, et quidem sine ulla vitiositatis nota, aliae ejusdem generis locutiones in eodem Libro citatae et alibi saepissime occurrunt; quae quaestioni nostrae aptae admodum existimantur. Inde enim quoque mihi videtur error theologorum irrepsisse circa Nysseni de reproborum poenis desituris sententiam. Ubivis namque argumentum, sive de resurrectione, sive de anima, sive de quavis alia re, quae cum praedictis argumentis quodammodo convenirent, ageret, hunc intuitus est scopum ut hujusmodi dogma contra illius adversarios adstrueret, qui sub humanitatis corruptae praetextu, fieri non posse asserebant mortuorum resurrectionem.

In hoc speciatim sanctus Doctor alacriter dimicat, eorumque hostiles excursiones huc illuc varimode excitas conterit, ostendens omnes homines in resurrectione *quippe, cum amplius mori nequeant, per incorruptionem esse pares angelis, et filios Dei.* Ideoque *De Opificio hominis* c. XVI. et XXI. (seposita quaestione de iis, quae judicio extremo succederent quoad probos ac improbos, illos nempe aeterna beatitudine, istos supplicio perpetuo retribuendos) de necessitate resurrectionis agens scribit: « Sicubi venenum quamprimum hominis vitam tentando laesit, praeclarum illud hominis opificium ac nomen, adeoque divinae naturae simulacrum, vanitatis, uti Vates loquitur, formam induit.... Idcirco *κακία* malum (quod ex veneno prodiit) cum non sit infinitum, sed certis finibus descriptum, necesse est, ut vitiositatis hujus extremum *ἀγαθὸν* boni successionem excipiat. » Videas interea, quomodo Nyssenus inquiens Dei similitudinem consequi necesse esse hominem in resurrectione, ac ideo tunc esse in bono, incorruptibilitatem tantum ejusdem hominis exprimat, quin aliud subdat de judicio finali. Verum in Oratione I. *De Beatitudinibus*, vocabulum *beatitudo*, de quo supra dictum est, pro re nostra ita definit: « *Beatitudo*, ut mea fert opinio, comprehensio quaedam est omnium earum rerum, quae nomine *boni* intelliguntur, a qua nihil abest eorum, quae pertinent ad desiderium bonorum .... Verum quod vere beatum habendum sit, ipsum divinum est. » Deinde de hominis creatione locutus scribit: « Quoniam autem is, qui finxit homi-

nem, secundum imaginem Dei fecit illum. Secundo loco beatum judicandum illud fuerit, quod in hoc nomine venit per participationem vel communicationem illius, quae revera beatitudo est. »

Verum quoad istud *beatitudinis* vocabulum, quo saepius utitur Nyssenus, unde fortasse dubium obortum est, ipsum, futuram aliquando reproborum ac doemonum admisisse salutem, admodum valet distinctio, quam ipse in praefata Oratione instituit. Ibi namque bifariam definit beatitudinem : « Μακαριότης beatitudo, primo loco ait, est illa incorrupta vita, ineffabile illud bonum et incomprehensibile, pulchritudo inenarrabilis, ipsa gratia et sapientia et virtus, lux vera, omnis bonitatis fons, rebus omnibus superexcellens, potentia sola amabilis, continuo se se eodem modo habens perpetua exultatio, laetitia sempiterna, de qua, quanta quis loqui poterit, nihil condigne dixerit etc. » (1)

Deinde alia sub significatione idem vocabulum *beatitudo* expendit : « Cum autem, scribit, ille qui finxerit hominem, secundum imaginem Dei fecit eum, secundo loco μακαρίστον beatum judicandum erit illud, quod ob participationem illius, quae vere beatitas est, sub ejus nominis typo venit. Quemadmodum enim in praestanti corporis forma prototypa pulchritudo in viventi ac vere subsistenti facie est; et alterum locum ab hac obtinet illud, quod ad imitationem ostenditur in imagine; ita et natura humana, quae supernae beatitudinis imago est, ipsa quoque pulchri decoris charactere designatur, quum in se beatorum ostendat caracterum repraesentationes. » Et sub hac secunda significatione percipienda sane est beatitudo, qua, olim ob peccatum amissa, denuo in resurrectione cumulanda erit hominis natura. Quod vocabulum sensu eodem ac *imago Dei*, *incorruptio et immortalitas* saepe veniens a Nysseni scriptis, obscuritatem adimit sermonis, dubiosque instruit.

Item ex Sermone *Tunc ipse Filius subjicietur ei etc.* aliud praecipuum argumentum, quo divi Patris mens magis pateat

(1) In s. Gregorii citandis libris duas prae manibus habui editiones; unam 1615. Parisiis, alteram ibidem 1638.

in hac quaestione, hauritur, ubi apostolica verba de resurrectione interpretatus, « quisnam est, ait, sermonis scopus, quem divinus Apostolus tradit in ea parte: *tunc et ipse Filius subjicietur ei, qui subjecit sibi omnia?* Quod aliquando nimirum ad nihilum transibit natura κακõν mali, omnimode deleta ex eo, quod est, seu ex rerum essentia: *et erunt valde bona*; ac divina et ab omni interitu aliena bonitas in se continebit omnem naturam rationalem, nullo ex iis (sedulo animadvertatur hujusmodi sententia) nullo inquam ex iis, qui a Deo facti sunt, excidente a regno Dei, quando omni *chachïa* vitiositate, quae rebus fuerat immixta, tamquam aliena materia per ignis purgatorii fusionem consumpta, tale factum fuerit prorsus, quale ab initio fuit, cum nondum in se susceperat vitium. » Paulo post addit ex praedicti Apostoli verbis: « Prius sublato peccato, deinde destructa morte, nihil nisi bonum in natura relinquetur » Item « cum omnes nos semoti fuerimus a κακõν vitio, tunc ἀγαϑõν boni tantum corpus in se suscipiet principatum. » Quod vitium in Libro *De virginitate* dicit, hominem ex consilio suo in se introduxisse, repudiata virtute: « Malum enim extra consilium positum est, ac juxta propriam essentiam consideratum in natura rerum, quae sunt, nullum est; omnis enim creatura Dei bona: *et cuncta, quae fecit Deus, erant valde bona.*»

In *Oratione Catechetica* c. VI. et VIII. homini, ait, ineffabiliter erat divina pulchritudo contemperata .... Per resurrectionem dissoluta materia corporis nostri, quae *chachïan* vitiositatem acceperat, ad eam, quae fuerat ab initio, reformabit pulchritudinem. » Item conditus est homo, addit, in imagine pulchritudinis exemplaris Dei, ac natura impassibilis, et in beatitudine degens: « Post peccatum vero, nos a μακαριότητος beatitudine, quae sub impassibilitatis nomine comprehenditur, excidentes, ad *chachïan* vitiositatem transformati sumus. Ea de causa veluti vas quoddam fictile homo rursus in terram resolvetur, ut secretis, quae in eo sunt, sordibus, per resurrectionem in pristinum beatitudinis statum reformetur. » In Oratione funebri Pulcheriae idem objicit: « Nec in hominibus aliud quidquam est mors, nisi *chachïas* vitiositatis expiatio. Ideoque ne in aeternum duraret in homine vitiositas,

morte illud vitium dissolvendum erat. » Pariter in Oratione *De Mortuis* docebat, naturam nostram a Deo ita factam esse ut post mortem iterum ad pristinum statum perveniamus, idest ad similitudinem Dei. » Ibidem addit: « Hominem in principio decoratum pulcbritudine Dei ac beatitudine, (intelligas quid sibi velit Gregorius sub hoc vocabulo *beatitudinis*) beatitudine inquit aegritudinis et corruptionis vacua » Ac paulo post adjicit: « Veluti in fornace ignis aufert et absumit quidquid in ferro est inutile; ita in ipsa morte corpus ab omni re supervacanea aç inutili per mortalitatis solutionem liberatur » a variis nempe concupiscentiae malae generibus, a vitiositate inquam ut in aeternum vivat.

Similiter ejusdem generis locutiones de hominis statu in resurrectione quibus conferta leguntur scripta Nysseni, hoc idem dicunt, et firmant; veluti ex. g: *nihil nisi bonum cogitare hominis naturam in resurrectione: genus humanum in resurrectione ad augustiorem statum commutari : nil aliud sperari ab homine per resurrectionem, nisi quod erat in principio, idest in bono: vita humana in bono degebat ante peccatum in paradiso: ablata vitiositate, anima non impedietur a contemplatione boni: nostra natura egena est boni: in resurrectione a Deo unum constitui festum omni creaturae rationali ex inferioribus et superioribus in conventu beatitudinum chorum ducentibus: qui propter vitiositatem extra sunt, aliquando intra aditum divinae beatitudinis futuri: commune festum circa Deum constituetur ab iis, qui per resurrectionem coadunati fuerint : in resurrectione omnium consensus erit in bono: tunc temporis omnes concorditer festum agemus in confessione illius, qui vere est Deus : renascemur in antiquam pulchritudinem: una omnibus forma imprimetur; ac divina in cunctis elucebit aequaliter imago* : Quae cuncta patefient reserata ab Homilia I. in Canticum Canticorum ubi pariter de resurrectione disserit, in qua corpus animae iterum adjungetur; atque in incorruptionem commutabitur, corporeis tunc motibus adversus spiritum prorsus sedatis. Scribit enim: « Quae autem per carnem nobis molestiam ingerunt passiones, in illis corporibus non existent; sed (advertas quid sibi voluit Nyssenus his dictionibus, ac cum iis confe-

ras antea relatis) sed τὶς ἰρηνικὴ κατάστασις pacificus quidam status vitam nostram excipiet, prudentia carnis non amplius seductionem excitante contra animam; nec bello intestino per affectionum motus, legi mentis repugnanti, ac veluti captivum quemdam peccato, victam animam coagente. Verumtamen ab omnibus ejusmodi tunc in resurrectione natura expiabitur; atque unus erit amborum prudentiae sensus, carnis inquam et spiritus, omni corporali affectione penitus deleta a natura humana ».

Ideo collatis, quae hic statuit cum aliis, quae alibi docuit Nyssenus, patet ejusdem mentem eo verti, ut contra incredulos, dubiosve, resurrectionis fidem non tantum firmet; sed ejusdem quoque rationem explicet, qua Deus, cui nil impossibile, ab hominis natura, illa varia ac multiformi *chachïa* vitiositate abolita, quae ex protoparentum culpa rationalem creaturam invaserat, eamdem denuo in pristinam ἀγαθοῦ boni conditionem restituat, ipsam sua divina imagine superinduens, ut in aeternum vivat. Et ut summatim dicam, s. Pater in hoc sese omnino gessit, docuitque, veluti Apostolus Corinthiorum nonnullos redarguens quippe doctrinae resurrectionis mentitos, divinitus scripsit: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale; seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Quae verba imitatus Doctor dixisset: seminatur corpus in statu turbulento, surget in quiete; seminatur in passibilitate, surget in impassibilitate: seminatur corpus in vitiositate, surget in beatitudine. Quapropter mihi videntur Petavius cetcrique, hujusmodi Gregorii locutionibus innixi, eumdemque redarguentes errantem de reproborum salute aliquando iis a Deo superventura: mihi videntur, inquam, non recta sensisse de tanti Doctoris mente, nec expendisse, neque aequa lance ponderasse illius scripta; nec qualis argumenti sui contra adversarios scopus fuerit in citato libro *De Anima et Resurrectione*; quodque sane in omnibus quaestionibus veluti potissimum interpretis studium constituendum est.

CAPUT VII.

Ex Procli, Methodii et Epiphanii Scriptis amplius Nysseni doctrina de resurrectione illustratur, ejusdemque cum citatis Doctoribus sicuti cum Ecclesia Catholica consensus de aeternitate poenarum.

Porro ut satius divi Gregorii mens explanetur in iis, quae de resurrectionis argumento contulit, et prout hucusque disceptatum est contra eos, qui aliter ejusdem verba expenderunt, scripta adeamus Procli, Methodii et Epiphanii. Ibidem namque ipsas sententias, ne dicam vocabula recensent, quibus Nyssenus sub eadem ratione saepissime usus est, quin et ipsi nuper citati Scriptores aeternitati poenarum mentirentur. Methodius inquam ex Epiphanio de Haeresi 64. n. 16. scribit: « Propterea mortem Deus ad peccati extinctionem invenit in causam nostram, ne in nobis immortalibus illud peccatum efflorescens, immortale evaderet. Ac ideo subdit, in resurrectione et ipsam naturam ab eo statu, quo peccati corpus erat, esse mutandam, posteaquam scilicet a vivifico spiritu ad vitam restituta fuerit, atque in spiritalem naturam transiverit ».

Proclus idem argumentum contra haereticos pertractans, ibidem n. 17. 27. scribit: « Resurrectionem nequaquam ad hoc corpus referri oportere, quippe non valens in perpetuum manere immutabile; sed potius pertinere ad corpus spiritale, in quo eadem, quae mortali huic inest figura, conservabitur adeo ut unusquisque nostrum, quod ad formam corporis attinet, idem existat: » Deinde ostendit, hominem imaginem Dei praeseferentem, et utpote immortalitatis opus, immortale futurum, in unam formam καλῶν boni restitutum, ideoque incorruptibile...... Postquam autem a divino mandato defecit homo, in sordibus delicti obsolevit; ac plures *chachias* vitiositatis maculas in se se expressit, inde mortem, in qua, quidquid in eo mali productum fuerat, moreretur. Ac ita hominem morte damnavit Deus, ne malum in aeternum permaneret, et ne vitiositatis quidem maneret cogitatio. Paulo post, quod admodum animadvertendum nobis est, ut

amplius Nysseni similitudo ex auro per ignem probato allata circa animae ab ea vitiositate expiationem, eluceat; ac juxta praecipuum suae quaestionis propositum, naturae humanae integritatem ostendat in resurrectione, ab exemplo de statua, invidorum manibus foedata sumpto « in cujus instauratione, Proclus inquit, denuo liquari ac per ignem refundi, opus foret, ut quidquid in ea statua vitiosum fuit, periret. Quod enim illic est statuae conflatio, idem est hic mors. Et quidquid est statuam in pristinum nitorem restitui, idem est hic post obitum resurgere ».

Hucusque celebrati Doctores, tum Methodius, (unde divus Gregorius plura desumpsit in suis scriptis adornandis, ex illius nimirum Oratione, quam ipse Methodius contulit adversus Origenem) tum Epiphanius et Proclus sincero Ecclesiae Catholicae dogmate innixi, haereticorum errores circa universalem hominum proborum improborumque indistincte resurrectionem, ejusque ordinem, Deique potentiam in ea perficienda, totis viribus contuderunt; quod potissimum illorum argumentum erat; et ab alio sane distinguendum quod de judicio finali deque bonorum et pravorum retributione vertebatur. Nemo ideo unquam existimet ex eorumdem Patrum de hoc argumento investigatione, sicubi iidem contra haereticos instituere docentes, *homines per resurrectionem in* καλῷ *bono futuros: vel natura immortali indutos, in Dei imaginem restituendos: sive omnibus vitiositatis et peccati maculis detersis, in uno conventu congregandos* etc. sicuti antea dictum est: nullus, dico, existimet, eosdem sensisse et docuisse reprobos suppliciis aeternis damnatos, aliquando in coelestem gloriam inter probos admittendos. Ne istud quidem excogitandum est. Iidem namque quaestionem de resurrectione, ejusque modo et ordine seorsim a judicio finali pertractarunt, uti par erat; atque contra ejusdem resurrectionis mentitores quidquid ratio, et Scripturarum divinarum auctoritas nec non Ecclesiae traditio eis suppeditarunt de hac materia, in hostium vanas futilesque maxime dimicarunt opiniones.

Ceterum, nisi ibi, alibi profecto, satis, satisque luculentissime juxta Christi effata, improbos corpore simul et anima

veluti in actionum pravitate consortibus, in perpetuum et absque fine poenas subituros praedicarunt et amplius quodammodo explanavere, siquid dubium, vel obscurum in praecitata quaestione relictum esset. Reapse divus Proclus, qui posteaquam, humanam naturam in pristinum statum, quo a Deo condita fuit, revocandam per resurrectionem, ac ideo totam humanitatis massam diversis vitiositatis turpitudinibus pollutam, per expiationem reformari oportere docuit: deinde n. 28. ibidem, Hieremiae verba interpretatus *si, vel num quemadmodum figulus ipse, non potero hoc facere vobis, domus Israel? Ecce lutum figuli vos estis in manibus meis*, adjicit: « Attendas enim, uti dixi, quomodo post hominis praevaricationem, ingens manus opus suum tanquam adulterinum in tanta contumelia relinquere noluerit, cum illud nefarius hostis ex invidia violasset. Sed rursus eliquatum, et in lutum subactum figuli more refecerit; ut ea reformatione, quodcumque in eo foedatum fuit, ac contumeliose deformatum, penitus tolleretur: ac ipsius opificium totum jucundum denuo ac reprehensionis expers evaderet. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere vas aliud ad honorem, aliud ad contumeliam?*

« Quod sane est (hoc enim significare mihi videtur Apostolus) nunquid potestatem non habet Deus ex eadem cujusque materia singulorum formam reficiens et instaurans, alium ad honorem nostrum et gloriam resuscitandi, alium ad ignominiam et damnationem? Ad ignominiam quidem illos, qui in peccatis turpiter vixerunt; ad honorem sane alios, qui in justitia vitam degerunt: quemadmodum a Daniele c. XII. manifestatum est: *Quoniam multi dormientium in terrae aggere resurgent; hi ad vitam aeternam, et hi ad probrum et dedecus sempiternum*. Et, *qui intelligunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti*. In nobis enim est, non radicem improbitatis penitus evellere; sed ut ne amplius illam excrescere et fructus facere sinamus. Absoluta namque illius vitiositatis radicitus profligatio ac interitus, a Deo tum cum, sicuti dictum est, dissolutum fuerit corpus, perficitur. Quod autem ex parte fit, ut scilicet a pullulando coerceatur, super nos est. Ideoque, qui malam illam stirpem ad amplitudinem ac magnitu-

dinem educando perduxerit, nec, quoad potuit, eam sterilem effecerit, neque compresserit, necessario ab eo poenae persolvendae erunt; quippe cum id facere in sua potestate esset, et haberet, suo consilio noxam utilitati praetulerit. »

Ex hujusce Procli verbis observes, duo illum constituisse argumenta; primum quidem ex Dei virtute, naturae humanae corruptae per resurrectionem ad pristinum statum, quo a Deo creata est in bono, et absque vitiositate, restaurationem, cui haeretici adversabantur: alterum vero operum spectabat retributionem, quae ex hominum arbitrio patrata, coram Deo judice juxta eorumdem aequitatem vel pravitatem illos manebat post resurrectionem, ac in perpetuum duraturam. Et hoc pariter Epiphanius sentit ac firmat, Methodii et Procli auctoritate suffultus, non probos tantum, uti quibusdam placuit, sed et improbos resurrecturos affirmans : « Nostra resurrectio, scribit n. 69. in Deo est, omnium hominum tam justorum quam injustorum, infidelium perinde ac fidelium; quorum ad vitam aeternam alii, ad judicium sempiternum alteri resurgent. » Insuper paulo post n. 72. addit : « Nam siquae ex non existentibus fecit, ut essent, quanto magis illud, quod existit, ad propriam conditionem facilius ἀποκαταστήσειεν instauraverit; ut et rectum judicium instituat, ne alterum pro altero condemnet, neque laborem mercede privet?... Denique concludit : « Quibus de causis, aliisque compluribus ac necessariis pro infinita sua sapientia Deus emortua nostra corpora, et animas εἰς παλιγγενεσίαν ad novam generationem perducet, sicuti ob suam promisit erga homines bonitatem; adeo ut, qui in sanctitatis officiis elaboraverit, eximium a Deo praemium recipiat; et quorum inania fuerint opera perinde condemnentur, corpus scilicet cum anima, et anima cum corpore simul ».

Eadem via eodemque intuitu, veluti memorati Patres, incessit Nyssae Episcopus, cum, ut saepius censui, ex veterum Scriptorum Ecclesiae dictis manus cum resurrectionis mentitoribus conseruit. Quapropter siquid minus de hac quaestione quandoque egit, ac disseruit Nyssenus; profecto alibi patentius docuit explanavitque. Ideoque praeter ea, quae antea ex ejusdem libris decerpsi huic argumento apta, cetera

quoque subjiciam, quibus magis mentis suae integritas de hoc dogmate, illiusque cum doctrina evangelica concordia patefient. Reapse in Libro praesertim *De Anima et Resurrectione*, dictiones nonnullae, uti antea notavi, occurrunt; ex. g. *Sed et daemones pariter Deum confitebuntur in resurrectione*: alibi sumpto typo ex Moyses tabernaculo, abolita vitiositate ait, *omnes in uno templo congregandi sunt: commune festum circa Deum constituetur: omnibus vario ornatu una per resurrectionem collectis*, addens illud tabernaculum *universitatis in bono consensum* significare: item, *omnes animas Deum ad se trahere per resurrectionem, easque dominationem Christi confessuras*; et ejusdem generis aliae. Hujusmodi locutiones, sive dogmati christiano parum consonantes, sive obscuras volueris, ecce tibi adstat Sermo III. *De Sacro Paschatis Festo*, ubi genuinus ac sine ambage Doctoris explanatur sensus, ac sincerus earum locutionum conceptus. Scribit enim: « Cum namque, et Apostolus ait, *figura hujus mundi transierit*, rex vero, ac Deus Christus, omni anima incredula ad plenam fidem, ac certam cognitionem traducta, linguaque maledica cohibita, omnibus apparuerit; steteritque graecorum vanitas et judaeorum error, et haereticorum morbosa ac indomita lingua: tunc sane omnes gentes, et qui a seculo sunt populi, procumbentes, concordem adorationem praestabunt, et mirabilis quidam glorificationis concentus erit; sanctis quidem animo lubenti hymnos praecinentibus, impiis vero ex necessitate supplicantibus. Et tunc revera victoriae carmen unanimiter ab omnibus tam a victis quam a victoribus cantabitur. Tunc quoque servus ille flagitiosus, perturbationis auctor, qui sibi Domini sui dignitatem arrogaverat, ab omnibus animadvertetur, dum ab angelis ad supplicium trahetur; atque omnes suae nequitiae ministri et cooperatores debitis torminibus ac poenis subjicietur. Unus autem rex et judex apparebit, quem omnes communem Dominum confitebuntur etc. »

Paulo post de die judicii locutus post resurrectionem, in quo, prout in die resurrectionis dominicae festo, omnes jucundantur fideles; tunc quidem necesse esse ait, lamentantes videri, quorum detegentur peccata. » Deinde, corporeae resurrectionis necessitate exposita, concludit: *Et prodibunt*

ii, qui bona fecerunt in resurrectionem vitae; qui autem mala faciunt in resurrectionem judicii. Pariter *in Psalmos* c. XI. sub mystico *Octavae* nomine, finem interpretatur vitae praesentis ac futuri seculi initium, ubi nulla amplius bona vel mala perpetrandi subministratur occasio: « Sed quaecumque quis operum semina hic sparserit, illorum ibi manipulos colligit. Quamobrem in hoc mundo poenitentiam agere jubet, quippe in inferno hujusmodi studium infectum manebit, idest nullus erit poenitentiae locus. » Pariter et eodem studio ea describens Sanctus, quae resurrectionem subsequentur, in fine Sermonis V. *De Beatitudinibus*, misericordes repraesentat inhumanis saevitiem exprobantes hisque dicentes « Ubi aurum, ubi vasa splendida, ubi per signaculum thesauris adhibita cautio? Quid haec ad fletum et stridorem dentium? Quis illuminabit tenebras? Quis extinguat flammam? Quis avertit ἀτελεύτητον nunquam morientem vermem? »

De Psalmorum inscriptionibus c. XVI. circa resurrectionem agens ex Pauli ad Corinthios verbis, qui *destruxit omnem altitudinem* etc.; et ex divi Baptistae qui viam complanavit vivendi ex his, inquit, intelligimus ipsorum hominum non fore abolitionem, ne divinum opus inutile reddatur, si recidat in nihilum; sed loco ipsorum peribit peccatum, et in nihilum convertetur; *delictum oris eorum*, ait *et sermo labiorum ipsorum* superbia, execratio, et mendacium *in ira consummationis non erunt*. Quae cum amplius non fuerint, *cognoscent quia Deus dominabitur Iacob et finibus terrae*. Nullibi enim *chachïa* malitia relicta, in omnibus finibus dominabitur Christus; cumque, quod in multis dominatur, peccatum de medio sustolletur. » Deinde expendens hominum sortem post judicium novissimum, de improbis sub canum forma, *et famem patientur ut canes* scribit: « Manifestum arbitror, ex hac sermonis iteratione, homines in alterutro sive bono, sive malo, in quo nunc vïtam degerint, fore itidem post hanc vitam. Qui enim modo in impietate, quasi in circuitu ambulat; neque in illa civitate degit; nec humanum characterem in propria vita custodit, sed efferatur et veluti canis efficitur ex suo arbitrio; is et tunc temporis a superna civitate excidens omnium bonorum penuria multabitur.

At qui contra vincet de virtute in virtutem procedit etc. »
Paulo post homines ad poenitentiam hortatus, extremum diem in illorum memoriam revocat: « terribilia supplicia, gehennam illam, ignemque tenebrosum, et ἀτελεύτητον nunquam morientem conscientiae vermem, qui in perpetuum animam pudore suggillat; ac per male actae vitae reminiscentiam cruciatus renovat. »

Si haec omnia, interim conferantur iis, quae Petavio, ceterisque ex Libro *De Anima et Resurrectione* circa vitiositatis finem ac de omnium concordia in confessione Christi, visa sunt aeternitati poenarum adversari, cernas, quam ipsi a veritate abfuerint; et quam immerito s. Doctorem exprobrarint errantem: cum ea, quae docuit de *chachïa* vitiositate in resurrectione abolenda in omnibus sive probis sive improbis, non distinxerint ab iis, quae statuit eidem resurrectioni superventura, circa bonorum ac pravorum sortem, nimirum post judicium, ex Salvatoris sententia, quam Gregorius prope Catholicam fidem interpretatus est.

Hanc porro distinctionem nullibi tam perspicue ac sedulo exegit, quam Sermone *In diem Christi Natalem*, ubi tum de vitiositate agit in humanum corpus ex protoplastorum culpa invecta, tum de serpentis capite contrito per Christum, deque nihilominus peccati squama usque huc naturam hominis irritante, eaque simul omnimode delenda in resurrectione, adeo ut humana natura in imaginem Dei in incorruptionem scilicet et in virtutem innovanda sit, deque tandem, post novissimum Dei judicium, justorum ac peccatorum retributione. Quae omnia singillatim sedulo et pari alacritate exponit, similitudine ex serpentis conditione desumpta; qui etsi occisus sit, ejusque caput emortuum, reliqua tamen membra adhuc vitam retinent: « Etenim ingens, dicit, cum esset admodum fera quippe quae singulis hominum aetatibus excreverat; qui multiplex ejus caput, idest vim illam malorum inventricem, multa in se capita continentem, sustulit, ceterarum illius partium tractus neglexit, ut interfectae ferae motum posteris ad exercitationis occasionem relinqueret. Ecquod igitur collisum et effractum est caput? Illud, quod impio consilio mortem intulerat, quod

morsu homini virus mortiferum injecerat. Quamobrem, qui mortis evertit imperium, vim, quae in capite serpentis erat, ut ait Propheta, confregit. Reliqui vero ferini corporis tractus in genus humanum dispersi, quoad homines in *chackïas* vitiositatis motibus excitantur, continuo per illam squamam peccati vitam irritant, asperamque reddunt, quamvis sane virtute mortuus sit serpens, capite contuso. Posteaquam vero tempus transierit, et ea, quae excitantur, constiterint per eam, quae expectatur, hujus vitae consummationem, tunc et cauda et extrema pars inimici idest mors destruetur. Ac ita omnimode dissipatio τῆς κακίας vitiositatis fiet, omnibus hominibus ad vitam per resurrectionem revocatis; ex iis quidem qui justi sunt, in coelestem quietem translatis, qui vero peccatis obnoxii, in gehennam ignis tradentur ».

Pari ratione in Oratione *De Mortuis* quamvis scribat: « sed cum unum quidem fuerit (in resurrectione) omnium genus; cum unum corpus Christi omnes erimus, unius characteris formam praeferentes, non ambigimus quin in omnibus pariter divina fulgeat imago » attamen in ejusdem Sermonis fine, Scripturae formulis usus quoad variam justorum pravorumque sortem in altera vita, fideles hortatur, ut luctu mundi pro defunctis veluti inani abstineant, quippe mortis causam et damnationis affert; quinimmo eam sequantur moestitiam, cujus finis est animi salus. Aliis quoque hujus generis exemplis scripta Nysseni insperguntur; quibus satis distinguitur hominis status in resurrectione (ubi per eam natura nostra, in imaginem Dei in diviniorem conditionem nempe quam nunc est, commutandam esse ait) ab alio, qui post judicium probis ac reprobis instabit, in quo juxta in vita actus absque ulla in posterum commutatione permansuri sunt perpetuo prope Jesu Christi sententiam: *Venite benedicti Patris mei etc: Ite maledicti in ignem aeternum.*

Quamvis porro, ut nonnullis videri poterit, Nyssenus ubi opus fuisset de judicio finali, deque justorum ac improborum statu in altera vita post resurrectionem, pronunciare, et ubi speciatim ejusdem resurrectionis dogma propugnavit contra adversarios; etsi, inquam, hoc sileat, cum tamen apertissime alibi id ipsum docuit, nemini mirum sit, cum et

Apostolus in 1. ad Corinthios Epistola, cujus verba omnino sectatus est s. Doctor, item peregerit. Hoc enim Pauli argumentum tunc postulabat. Attamen in altera ad eosdem Corinthios Epistola c. V. 10. illos hortatus toto animo in hac vita Deo placere, judicium ejusdem Dei novissimum ob oculos eorum ponit; in quo omnes juxta eorum actus reciperet, sive bonum, sive malum: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

CAPUT VIII.

Quid sub κακία vitiositas *vocabulo, ejusdemque expiatione, ac deinde quid sub παλιγγενεσία* regeneratio, *sive ἀποκατάστασις* restitutio in pristinum *comprehenderit s. Doctor, explanatur: ejusque sensibus Augustini et Thomae testimonio adauctis.*

Usque huc de Nysseni doctrinae integritate, sive cum Ecclesia Catholica de poenarum aeternitate consensu. Attamen quaedam insuper investiganda supersunt, de quibus antea ob praecipuam quaestionem supersessum est. Et ea sane vertuntur circa *chachïas vitiositatis* vocabulum, quo singuli fere Gregorii inspersi sunt sermones; quodque ob varias hujus nominis significationes, et quoad maxime ipsius expiationem diversimode ab eo actum est. Idque primum et studiose ab adversariis animadvertendum erat, expiationem talem a vitiositate, sive a peccato post obitum explendam, ex ipsius Gregorii, nec non Procli, et Methodii et Epiphanii ore aliter sumi ab ea, quae per baptisma, seu per poenitentiam aliaque Ecclesiae sacramenta in hac vita obtinetur; atque multo magis ab ea decernendam esse purgatione in inferno post judicium finale conficienda, quae nunquam erit, nec admittetur, uti recentioribus perperam persuasum fuit intellexisse Nyssenum. Verum expiatio talis censenda est, qua, virtute Dei in humana natura agente post fatum, ad integritatem pristinam homo, quisquis ille fuerit, sive probus sive improbus, revocatur ad Dei nempe imaginem, uti ab ipso Deo anima et corpore perfectus in Adami et Evae persona conditus fuit. Qua deinde coram Judice necessario se sistet, ut operum suorum ex propria voluntate exactorum retributionem referat; atque perpetuo in regno coelesti cum angelis vivat beatus: seu cum doemonibus nunquam desituris torqueatur cruciatibus.

Porro ut satis amplius hanc significationem patefiat, vocabulo *chachïa vitiositas* alias *amartïa peccatum* indidisse sanctum Doctorem, sub eo nomine omnem comprehendentem malorum radicem ex protoparentum culpa in homines univer-

sim propagatam. Et ut scias nec per baptismum, neque per alia Ecclesiae Mysteria absolute ac in omnibus suis partibus ab hominis natura extingui, sed manere, veluti in 2. ad Corint. c. V. ait Apostolus: *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati*, verum in morte tantummodo prorsus hujusmodi aboleri vitiositatem; ideoque mortem Deus homini inflixit: praeter ea, quae supra allata sunt argumenta cuicumque obvia de in hac re Nysseni mente, nec aliter capienda, praesto adstant et aliae ejusdem dictiones, quibus hoc firmatur. *In Mystica vitae Moysis Interpretatione*, scribit: Nam si prava peccantium mors nullam habet in eos vim, qui Crucem respiciunt, carnis tamen adversus spiritum innata cupiditas non omnino destructa est. » Ac ideo in Funere Pulcheriae ajebat « Nec in hominibus aliud quidquam est mors, nisi vitiositatis expiatio. Quamobrem ne in aeternum duraret in homine vitiositas, morte ipsa vitiositas dissolvenda erat. » In Oratione VI. *De Beatitudinibus* sub finem subdit: « Ex homine homo nascitur; ex obnoxio vitiis, perturbationibus, affectionibus, nascitur eisdem obnoxius; ex peccatore peccator. Ergo cum nascentibus quodammodo peccatum existit, simul et nascens et augescens, ac cum vitae termino una desinens etc. »

Proclus autem apud Epiphanium de Haeresi 64. n. 25. luculentius distinguit peccatum, quod per baptisma in homine deletur, sed non radicitus ab eo, quod in morte penitus et illius cogitatio extinguenda est: « Etenim, scribit, quamdiu corpus vivit, nec adhuc mortuum est, cum eo vivere peccatum necesse est, et occultas in nobis ipsis radices agere, etsi quibusdam velut castigationum reprehensionumque putationibus coerceatur. Alioqui post baptismum nullum jam scelus perpetraremus, posteaquam peccatum a nobis funditus et omnimode sublatum foret. Atqui etiam post susceptam fidem, ac sanctissima illa aquae lotione perfusi, saepius peccatis obstringimur. Neque enim adeo se immunem ab omni esse peccato gloriari quisquam potest, ut ne cogitatione quidem ullum scelus admittat. Ex quo consequens est reprimi sane ac consopiri modo fide peccatum, ne perniciosos fructus emittat; non omnino tamen ac radicitus extingui. Quocirca nunc illius

germina, pravas nimirum cogitationes inhibemus, nequa *radix amaritudinis* erumpens molestiam nobis afferat; nec apertas ad pullulandum vias ac spiramenta dehiscere et patefieri sinimus; proindeque divino verbo veluti securi quadam, fruticantes identidem ac radice stirpes excidimus. At in futuro seculo *chachïas* vitiositatis prorsus etiam cogitatio tolletur.»

Hujusmodi porro expiationem, ut antea praenotavi, tantummodo ex virtute Dei, ex divinae oeconomiae ratione, ex necessitate, ejusdemque hominis natura, qui e terra munda mundus plasmatus est, nec unquam ex nostra voluntate, quantavis justitia et sanctitate homo profecerit, pendere fatendum est; atque ad hoc maxime intuiti sunt Methodius, Proclus, et Nyssenus, contra Manichaeos firmiter omnium et bonorum et reproborum resurrectionem propugnantes. Ac ideo ut talis haberetur resurrectio, ab homine abolendam fore asserentes peccati radicem, quod naturae quidem humanae ex hominis voluntate primum supervenit. Quodque deinde vitium praeter naturam eidem naturae innatum est per quemdam affectionis consensum subjecto adhaerentem, ita ut alieni cum nostro facta sit quaedam praeter rationem contemperatio, ut ait Nyssenus.

Quamobrem praefati Doctores hujusmodi vitii ex hominis voluntate exorti, nec unquam Deo adjudicandi, nec ex ejusdem hominis arbitrio sustolli fieri posse statuentes, sed prorsus ex Dei virtute, variis sub typis e divinis Scripturis, aliundeque desumptis, consoni, omnimodam abolitionem per mortem efficiendam docuere. Ex. g. ex figulo qui confractum vas, idest hominem, in quo plumbum vitiositatis concretum fuerat, illud refingit figulus, nempe Deus per resurrectionem. Pariter sub pellium nomine, quibus Adam indutus fuit post peccatum, omnium vitiorum genera exprimentium et vitae praesentis incommoda: *in sudore vultus tui vesceris pane etc.; multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos; in dolore paries filios etc.* quibus omnibus in resurrectionem exuenda erit humana natura. Item sub auri similitudine scoriis immixti, ac per ignem mundati; vel sub tabernaculi Moysis figura, a quo genus humanum per vitiositatem innatam semotum fuit, donec mediante resurrectione

iterum in templo Dei restituendum; et similia, quae aeque ex subjecta materia expendenda sunt.

Talis porro refictio, sive reformatio, in homine explenda erit divina virtute tantummodo, seorsim ab humana voluntate, nec ex ejusdem meritis et potestate: cum tribuenda sit Deo creatori, qui vas hominis ob peccatum corruptum, seu vitiatum in pristinam incorruptionis et immortalitatis conditionem restaurabit. Quae omnia docet per mortem et resurrectionem a Deo effici, veluti viam, qua homo ad judicium incedat novissimum, ut boni, vel mali, quod egerit in vita, perpetuam accipiat retributionem: quod potissimum a s. Gregorio in Libro *De Anima et Resurrectione*, contra hujus dogmatis mentitores animadversum est. Quodque praeclarius Oratione III. *De Christi Resurrectione*, ait, ubi corporis nostri resurrectionem statuit hujusmodi dictionibus δέυτερα γένεσις, ἀνάστασις, ἀναβίωσις, μετακόσμησις, ἀνακαίνισις, ἐπανάρθωσις, ἀποκατάστασις, παλίγγενεσία, inde novam indicans naturae humanae conditionem, sive corporis innovationem; et hanc Dei judicio praemittens novissimo, quod eidem instaurationi subsequetur; ac ubi cuique retributiones pro vitae anteactae meritis decernentur. Ait enim « Quoniam autem resurrectionis tractatus propositum in se judicium continet; et sacros Libros audiunt expresse dicentes, minime a reddenda ratione prorsus immunem esse vitam nostram; sed cum ad alteram vel secundam simus vitam innovati, omnes adstituros ante tribunal Christi, ut sub illo Judice pares referamus pro vitae actibus retributiones etc. » Et paulo post ex Lazari Parabola arguens futuram resurrectionem subdit: « Ac nemo putet haec jam contigisse: sed haec sunt futuri praedictionem. Et evenient tum cum μετακόσμησις renovatio animam defunctis reddiderit, ac singulos ad reddendam actae vitae rationem reduxerit, compositos eodem modo, quo antea ex anima et corpore constantes. » Et paucis interjectis addit: « Resurrectio enim et ad vitam reditus et transformatio et omnia hujusmodi vocabula cogitationem audientis ducunt ad corpus corruptioni obnoxium. Namque anima, si ipsa per se se examinetur, nunquam resurget, quandoquidem non moritur, sed interitus vacua est. Cum vero sit immortalis, mortale corpus

socium habet actionum; atque ideo apud justum judicem tempore reddendarum rationum, denuo suo socio inhabitabit, ut cum illo communes recipiat vel poenas vel praemia. »

Quamvis porro juxta Apostoli sententiam *seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale* sub tritici specie in terra fusi ac inde in spicae pulchritudine renascentis, parique ratione omnes homines bonos et malos per mortem in imaginem Dei absque ulla vitiositatis nota transformandos esse doceat in resurrectione (cujus Christus typus extitit)-adeo ut in corpore non tantum electorum sed et reproborum nulla appareat turpitudo, omnibus sublatis naturae vitiis, ac amplius pares indistincte sint in corporis perfectione, incorruptibilitate nimirum et virtute: attamen jure differentiam inter eos, qui in fide atque animi, morumque probitate ab aliis qui in pravitate vitam transegerunt, instituit s. Doctor. Ac ideo sumpta similitudine duorum, quorum unus in hoc mundo libere agit, vinculis solutus, et alter vinctus et in servitute degens, etsi uterque corpore simili praeditus, nihilominus quoad voluptatem unius et angorem alterius valde inter se differunt: ita addit Nyssenus in futuro seculo post resurrectionem fore beatorum ac damnatorum conditionem.

Itaque divus Thomas Libro IV. *contra Gentes* c. 85. ubi incorruptibilia et bonorum et reproborum corpora resurrectura docuit, ut in eisdem corporibus retributionem eorum, quae in vita egerunt, perpetuo duraturam recipiant, c. 86. addit: « Quamvis enim merito Christi, naturae defectus in resurrectione tollantur ab omnibus communiter, tam bonis quam malis: remanebit tamen differentia inter bonos et malos quantum ad ea, quae personaliter utrisque conveniunt. Corpus igitur communiter et bonorum et malorum disponetur secundum animae condecentiam, ut scilicet illa, quae forma incorruptibilis hujus est, ipsi tribuat esse incorruptibile, contrariorum non obstante compositione, ex divina virtute. Hujusmodi porro incorruptibilitas malorum poenae adstipulabitur; gloriae vero et felicitati bonorum etc. »

Deinde c. 89. subdit: « Ex his autem rationabiliter considerare possumus, qualis futura sit conditio corporum resurgentium in damnandis. Oportet enim illa corpora animabus

damnandorum esse proportionata. Animae autem malorum naturam quidem bonam habent, utpote a Deo creatam; sed voluntatem habebunt inordinatam, et a fine proprio deficientem. Corpora igitur eorum, quantum ad id, quod naturae est, integra reparabuntur, quia videlicet in aetate perfecta resurgent absque omni membrorum diminutione, et omni absque defectu et corruptione, quae naturae error, aut infirmitas introduxit; unde Apostolus *mortui resurgent incorrupti.* Et in hoc utique extat, quod antea s. Gregorius *in Psalmos* c. VIII. senserat, verba interpretatus: *quoniam reddet illis Dominus iniquitates eorum, et in malitia eorum disperdet illos*; « Deus nempe in justo judicio unicuique pro meritis reddens eorum, qui peccarunt; malitiam quidem abolebit, non vero naturam. Dissipata namque malitia, in omnibus pariter fulgebit forma, quae ab initio naturae nostrae indita fuit. »

Ad pristinum namque statum, restaurante Deo hominem per resurrectionem, infirmitati succedet virtus, ignominiae gloria, malo bonum, turpitudini pulchritudo, corruptioni incorruptio, mortalitati immortalitas, et, uno verbo, vitiositati succedet beatitudo. Seu (ut Nyssenus ipse *In Canticum Canticorum* Hom. XI. talem beatitudinem antea definivit, eamque supercoelestem ab ista, quae est secundum naturam, beatitudine secernens) succedet nempe in hominis natura, quisquis ille fuerit sive probus, sive improbus, non ipsa superna beatitudo, sed typus et imago ejusdem; quaeque tantummodo beatorum characterum repraesentationes ostendet prope *Geneseos* verba *ad imaginem Dei fecit illum.* Quos characteres sub nominibus praecitatis a divo Gregorio, et Augustinus *De Natura et Gratia contra Pelagium* c. III. bona nuncupat naturalia; quibus a Deo artifice inculpabili in forma, vita, sensibus, ac mente cumulatus fuit Adam in ejus creatione; quibusque, sicubi ea amiserit per peccatum, denuo ditandus erit in resurrectione.

De qua re alibi praeclare admodum disserit, expiationem per baptismum distinguens ab altera, quae omnes homines in se comprehendens bonos et malos, perficietur in resurrectione; et in qua Augustinus, inquam, Nysseni ceterorumque Pa-

trum doctrinae se se accommodat. In Libro enim II. c. VII. *De peccatorum meritis et remissione* scribit: « Non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur; sed renovatio incipit a remissione omnium peccatorum; et in quantum quisque spiritalia sapit, qui jam sapit. Cetera vero in spe facta sunt, donec etiam in re fiant usque ad ipsius corporis renovationem in meliorem statum immortalitatis et incorruptionis, qua induemur in resurrectione mortuorum. Nam et ipsam Dominus *regenerationem* (graece *παλιγγενεσίαν*) vocat, non utique talem, qualis fit per baptismum; sed in qua etiam in corpore perficietur, quod nunc spiritu inchoatur. In *regeneratione*, inquit, *cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae*, *sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Nam in baptismo, quamvis tota et plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuo tota et plena etiam hominis in aeternam novitatem mutatio fieret, non dico et in corpore, quod certe manifestum est, adhuc et in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine postea renovandum, quando vero tota novitas erit; sed excepto corpore, si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta novitas fieret in baptismo, non diceret Apostolus: *Et si homo exterior noster corrumpitur; sed interior renovatur de die in diem etc.* Et ita Hypponensis Episcopus.

Et hanc eamdem distinctionem, sicuti Methodius, Proclus et Epiphanius, statuit Nyssenus, et praesertim in c. XXXV. *Orationis Catecheticae*; ubi, quae saepius de naturae humanae instauratione, seu regeneratione a Deo in resurrectione et ante judicium novissimum perficienda, exposuit, magis ac magis explanantur. De baptismo namque locutus scribit: « Dictum est etiam tale quid in iis, quae praecesserunt, quoniam juxta divinam dispensationem, Deique providentia importata est humanae naturae mors, ut effluxa *chachïa* vitiositate in separatione corporis et animae, rursus per resurrectionem sanus, impatibilis et integer et ab omni vitii immixtione alienus homo reformaretur. Verumtamen in salutis nostrae Auctore perfectionem obtinuit per mortem dispensatio juxta proprium scopum absolute impleta. Per mortem enim sejuncta sunt, quae erant unita; ac denuo compacta sunt quae

erant disjuncta, adeo ut natura expiata in dissolutione eorum, quae erant congenita, animae inquam et corpori, rursus eorum, quae separata erant, reditus purus ab omni immixtioni evaderet.

« In illis autem, qui ducem (Christum) sequuntur, natura absolutam imitationem per omnia non capit; sed quantum fieri potest, tantum ipsa accipiet natura : cetera autem reservat in seculo futuro. Quid est ergo quod imitatur? Quod nempe immixtae vitiositatis in mortis imagine per aquam facta, dissipationem exprimeret; dissipationem tamen vitiositatis imperfectam, sive quamdam continuationis vitii interruptionem, duobus concurrentibus ad vitiositatem sustollendam, tum peccatoris poenitentia, tum mortis imitatione. E quibus quodammodo homo a congenita cum vitio adjunctione, per poenitentiam quidem in odium et alienationem vitiositatis incedit, per mortem vero mali dissipationem operatus. Si autem fieri posset, ut in perfecta morte esset imitator, nulla adesset imitatio; sed idem foret, quod factum est, et omnimode in natura nostra deleretur vitium, adeo ut, sicuti ait Apostolus, una tantum vice moreretur peccato. » Hoc item et alibi s. Doctor in eadem *Oratione Catechetica*, et in Sermone *adversus eos, qui castigationes aegreferunt* docet.

Sed, quod valde interest, diluendum manet quod s. Doctor scripsit ac praesertim in *Oratione Catechetica*, et *De Mortuis* et in Libro *De Anima et Resurrectione*, ubi contra Manichaeos vitiositatem non a Deo, sed ab hominis arbitrio ortum duxisse vehementer pugnat; ac ideo cum non sit ex Deo malum hujusmodi, in resurrectione delendum fore, ut in aeternum vivant omnes sive probi sive improbi; diluendum manet, inquam, quod ait de hujusmodi vitiositatis communi expiatione post obitum nostrum et ante novissimum judicii diem, de ratione nimirum deque intervallo vel longiori vel minori, quo in probis et reprobis talis perficietur defoecatio; et quomodo ista ab alia secernenda sit expiatione, quam docet Ecclesia Catholica de animabus in Purgatorio degentibus.

Praefati Doctores Proclus, Methodius, Epiphanius, Thomas deinde aliique, quamvis perspicue, homines universim incorruptibiles pariter et ulla absque vitiositate resurrectu-

bera cujusque voluntate minime omnes participarunt, nihilominus omnes ex divinae oeconomiae mandato, fideles et infideles tam boni quam mali necessario resurrectioni communicabunt, ut in aeternum vivant; quamvis non omnes perpetuam assequantur salutem: *Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi vero in vitam aeternam* sicuti saepe saepius ex evangelica sententia manifeste docuit divus Pater.

Demum, ut amplius omnium fulgeat menti, s. Doctorem hanc lustrationis speciem hominis naturae ex necessitate superventuram in resurrectione, statuentem, a sorte secernere, quae cuique juxta actus in vita expletos post judicium in futuro seculo obtigerit; sedulo exquirantur et conferantur, quae ipse scripsit prope Libri *De Resurrectione* finem, cum iis, quae in Sermone animadvertit *De infantibus praemature abreptis*. In citato enim Libro, ubi Dei consilium exponit in eo fore, ut omnes per resurrectionem ad pristinam, in qua creatus est homo primus, conditionem restituantur, ulla absque ambiguitate, ac patenter dicit, tum eos a vitio in hac vita per sacramenta expiatos; tum illos per ignem convenienti tempore post mortem purificandos, sed et alios, qui defuncti sunt nondum mente et consilio compotes, quin sibi boni simul et mali cognitionem et experimentum comparaverint; omnes pariter ait beatitudini (juxta sensum a me antea expositum) participes futuros.

His ita positis de communi hominis instauratione in resurrectione, videamus quae in Sermone praefato de eorumdem infantium sorte sensit, qui seu in ventre matris, vel expositi, sive suffocati, vel infirmati diem obiere supremum; priusquam, inquam, propriae rationis compotes, suique juris essent. Ac interim ponderes quomodo huic arduae respondens quaestioni, scribat. Dicit enim: « Quid de eo infante cogitare oportet? quomodo item de iis, qui hunc vitae exitum habuere, sentire? an illa quoque anima judicem videbit? tribunali cum aliis sistetur? subibit actae vitae judicium? accipiet pro merito retributionem? vel igne purgata juxta Evangelii verba, vel in rore benedictionis refrigerata? Verum nescio quomodo talia de hujusmodi anima cogitare oportet etc. »

Modo vero, si hoc in Sermone quaestionem de *Infantibus praemature vita abreptis* quoad illorum sortem in altera vita, tam difficillimam consideravit, ignorans, quid de earum animarum sorte cogitaret; cur tam libere ac ingenue in libro *De Resurrectione* docuit, horum naturam ac conditionem una cum ceteris tam probis, quam improbis ad pristinum boni et beatitudinis statum restitui, quoties revera ibi (prout adversarii praesumunt) de damnatis ab supplicio aeterno aliquando solvendis vellet, et praeseferret Doctoris oratio? Nonne potiori jure asserendum foret, eumdem in libro *De Resurrectione* prope illius potissimum argumentum de universali ac necessaria, Deoque propria, humanae naturae instauratione loqui, quin ullam de post judicium fato mentionem ageret; atque in altero Sermone tantummodo de infantium retributione post judicium sedulo disquirere? In quo plura scrutatus, concludit: « Nam immatura mors infantium, neque in doloribus esse, qui sic vivere desiit, intelligendum fore nobis suggerit; neque in pari ipsum eademque conditione ac sorte versari cum iis, qui per omnem virtutem in hac vita expiati sunt, meliori ex providentia exuberantiam vitiorum prohibente Deo in illis, qui victuri fuissent. » Quamobrem luculentius patet s. Gregorii quaestionem in Libro *De Resurrectione*, ab ea variare, quam exponendam aggressus est in Sermone *De Infantibus* praemature defunctis. Ac ideo, cum de proborum in eo libro et reproborum, ac infantium, qui nec rectum nec pravum in vita experti sunt, verba fecerit, nihil proprie de futura post judicium extremum sorte, eoque minus de poenis sontibus irrogatis, ceu post longum aevum desituris, disputaverit. Verum contra Manichaeos tantummodo propugnavit universae humanitatis in Dei imaginem instaurationem, omni ab ea seclusa vitiositate, ante resurrectionem exigendam.



CAPUT IX.

Posita hujusmodi animarum lustratione et quidem necessaria, quaeritur unde hanc hauserit, et quo sensu dixerit: et quomodo demum nonnulli veterum huic meae suffragati recensioni, ab errore immunem reputarint s. Episcopum.

Posteaquam satis exploratum est, Nyssenum in iis locutionibus de animae per ignem lustratione (quomodocumque hanc velis interpretari) ut pura et integra a corruptionis vitiis reddatur Creatori suo, nullimode ab inferorum poenis quandoque fore reprobos eruendos dixisse neque excogitasse; quinimmo et firme tenuisse, in igne inextinguibili, ac per vermem, qui non moritur, perpetuisque cruciatibus illos iri mulctatum; verba notentur quibus usus est, hujusmodi statuens ac definiens expiationem in cunctis universim post obitum et ante judicii novissimi diem explendam. Cum enim uti ipse dicit *juxta intelligentiorum mentem* : *veluti ego opinor: ex mea sententia*: *sicuti mihi videtur etc.*: rationem investigat, seu modum, quo a Deo perficeretur reproborum maxime naturae in pristinum restitutio, sublata vitiositate, liquet per ea vocabula s. Doctorem noluisse in simili quaestione certam ac indubiam proferre sententiam. Sed tantummodo privatum de ea re tam conceptu ardua exponere judicium; quamvis ceterum necessitate talem subire homines a vitio exemptionem, ab Ecclesiae Patrum consensu fateatur probetque; et quamvis hominibus pravis (haud obstantibus incorruptione et immortalitate post illorum condemnationem) nihil levaminis nec spei apud inferos, concedi teneat: veluti ait Chrysostomus, in *Adhortatione* 1. ad Theodorum lapsum n. 9. « Etenim et peccatores induere oportet incorruptionem, non ad honorem, sed ut in perpetuum sit illius supplicii viaticum ».

Porro si mihi quodammodo liceret divi Gregorii opinionis ortum perscrutari in iis, quae de mortuorum animae affectionibus, veluti eidem inhaerentibus expendit atque sensit, sicuti de defoecatione earumdem; videretur ipse non longe abfuisse a stoicorum doctrinis, quas Lactantius Libro VII.

c. 20. *De Vita Beata* contulit, illisque usus est, ut probaret patibilem esse animam: « Animas quidem, inquiunt ii, hominum permanere, nec interventu mortis in nihilum resolvi; sed eorum, qui justi fuerunt, puras et impatibiles et beatas ad sedem coelestem, unde illis origo est, remeare; vel in campos quosdam fortunatos rapi, ubi fruantur miris voluptatibus: impios vero, quoniam se malis cupiditatibus inquinaverunt, mediam quandam gerere inter immortalem mortalemque naturam; et habere aliquid imbecillitatis ex contagione carnis, cujus desideriis ac libidinibus addictae, ineluibilem quemdam fucum trahant, labemque terrenam. Quae cum temporis diuturnitate penitus inhaeserit, ejus naturae reddi animas: ut si non extinguibiles in totum, quoniam ex Deo sunt, tamen cruciabiles fiant per corporis maculam, quae peccatis inusta, sensum doloris tribuit. Quam sententiam Poeta sic explicavit:

Quin et supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes; penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt.

Haec propemodum vera sunt. Anima enim, cum divortium fecit a corpore, est ut ait idem Poeta:
Par levibus ventis, volucrique simillima somno; quia spiritus est, et ipsa tenuitate incomprehensibilis, sed nobis, qui sumus corporales; Deo autem, cui subest posse omnia, comprehensibilis. »

Quamvis autem Nysseni meus in hoc exquirendo genere expiationis ex divina virtute peractae, quodammodo stoicorum opinioni se se accommodet, ut suam firmet sententiam, vitium nempe penitus fore per mortem et resurrectionem abolendum, quippe *neque ab aeterno esse, nec in aeternum perseverare*; attamen haud mentitur, quinimmo manifeste fatetur, improborum reatus ex libera voluntate patratos, cumque de iis poenitentiam in vita minime egerint, in altero

seculo nec poenitentia deleri, nec Dei misericordia ablui unquam. Itaque in *Psalmum Sextum De Octava*, peccatores hortatus ad resipiscentiam, cum adhuc sit poenitentiae locus, scribit: « Non enim amplius erit in morte, qui morbum ex vitiositate atque nequitia sibi contractum, per Dei recordationem curare possit; quoniam in terra quidem confessio vires habet; in inferno autem hoc non erit. » Et in *Mysticae vitae Moysis Interpretatione* adjicit: « Cum venerit Christus in majestate sua et omnes angeli secum eo, vix justi gloriae illius erunt capaces. Impius autem et judaizantium sectae tantae visionis expertes manebunt. Tolletur enim impius, ne videat gloriam Domini. »

Et profecto, uti nuper dixit s. Doctor: *non enim erit amplius in morte, qui morbum ex vitiositate sibi contractum et nequitia, per Dei invocationem curare possit*, satis iis verbis docet, apud inferos post judicium extremum nullum locum fieri nequitiae medelae; ideoque alium esse ignem, ceteraque tormenta, quibus reprobi post resurrectionem et judicium subjicientur, ab igne aliisque cruciatibus varium, quos post mortem patientur homines ob vitiositatis affectiones plus vel minus naturam nostram urgentes, proindeque majori vel minori, uti ipse opinatur, temporis intervallo, excruciandi. De hac namque ignis incendentis acerbitate locutus, ignem vocat expiatorium. Et sane cum sit expiatorius, etiam terminum expiationis concludit, eique adimitur aeternitas. Ac interea ubicumque de talis, quae humanae naturae ob protoparentum culpam ingruit, vitiositatis dissipatione disputavit, per divinam exigenda virtutem, et quidem novissimum praeeunte judicium, pares adhibet locutiones ex. g. *per ignem expiatorium anima mundata a sordibus*: vel *necessario homines igne purgandi*: seu *per ignem curati*: aut *cura ignis expurgati*: vel *expurgatio morbi per medicinam*: aut *ignis absumet in homine quod praeter naturam suam est* etc.

E contra vero s. Episcopus de poenis, quibus per ignem apud inferos reprobi mulctandi sunt post resurrectionem, quaerens, veluti antea ostendi, nunquam eumdem ignem nec expiatorium, nec lustratorium, nec abstergentem, nec consumentem, nec medicinalem, nec curantem dicit, nec eo mi-

nus desiturum, sive extincturum. Quinimmo eo igne ait perpetuo damnatos torquendos fore, cruciatibus continuo se renovantibus, illorum amissa cujuscumque levaminis spe, ac nedum unquam animo revolvenda; ut praeclarum inde eruatur argumentum, ipsum scite ex temporis et loci, divinique maxime consilii ratione, hujuscemodi poenas expiatorias, ac ideo aetate circumscriptas, aliter ab iis poenis ad interminabile aevum restituris, comprehendisse; ac ulla absque animi, seu sermonis ambiguitate docuisse Nyssenum.

Non ergo tandem s. Germanus Constantinopolitanus, et ante eum alii contendebant immerito pro orthodoxa s. Gregorii doctrina de sempiterna reproborum poena in vita futura, contra suos oppugnatores. Jure sane hoc egit, ut ab initio praemisi, s. Germanus. Ipsius enim quamvis hucusque explicita desint argumenta, attamen Photius de eo scribit: « Et ut breviter dicam, omnia hujus s. Patris (Gregorii) scripta ab omni haeretica pravitate et a calumnia, quae in impietatem vergit, immunia esse declarat s. Germanus. » Quae autem omisit Photius ex s. Germano, supplet Dialogus Barsanuphii apud Gallandium sub anno 540. ubi errores notantur Origenis, Evagrii et Didymi: quibus ipse Barsanuphius putavit communicare Nyssae Antistitem, praesertim de animarum praeexistentia, et de poenarum termino ob regenerationem: « Ipse tamen (contra Barsanuphium instant adversarii) clare in trigesimo capite Operis sui *de hominibus*, praeexistentiae dogma oppugnat Nyssenus... De ἀποκαταστάσεως restitutione vero in pristinum aperte loquitur s. Gregorius: tamen non de hac, quam ipsi praedicant, nempe cessante supplicio fore ut homo restituatur in id, quod antea fuit, idest in puras intelligentias. Sed nequaquam hoc dicit, nempe cessaturum supplicium, ac finem habiturum. Dic ergo, Pater, cur talis homo non recta loquatur, ut par esset s. virum, et ex Spiritu Sancto dignum reputatum loqui? »

Huic interrogationi Barsanuphius respondet, generice inquiens, non omnes putandum esse, sanctos cognovisse profunda Dei, nec comprehendere potuisse. Et sic transigit quin suis adversariis adaequatam praebeat responsionem. Hoc autem non est mirum, quando in ultima Parte cuique patefiet, quid

eo tempore actum sit inter monachos palaestinenses in Origenis causa, Evagrii et Didymi, scissis undequaque monasteriis ex verae scientiae et pietatis defectu ita ut concludatur Barsanuphium in errore versari; et quos ipse confutare putat, aequam de s. Gregorio pronunciasse sententiam. (1)

Conclusio

His positis, ne plura addam, si uti velint adversarii, admittenda nobis foret opinio, divum Episcopum, reproborum in altera vita, post judicium novissimum poenas aliquando desituras sensisse ac docuisse, hoc idem mecum fateantur necesse est: s. Doctorem scilicet quindecies et ultra, sicuti ex ejusdem vario genere scriptis decerpsi, hujuscemodi de poenarum aeternitate sententiam ex Scripturarum testimonio apertissime firmasse; et ex adverso ob praesumptam regenerationem tantumdem et amplius vicibus in eisdem libris cruciatuum perpetuitati pari alacritate mentitum esse. Et insuper adjiciendum, tam in iis, quae de poenarum fine, uti putatur, quam in his, quae de earumdem aeternitate scripsit, nec cursim, neque obiter rem animadvertisse; ast sedulo mentisque acumine disserentem, et amplius Bibliorum auctoritati et ecclesiasticae traditioni innixum, tormentorum terminum, earumque perpetuitatem pariter comprobasse, et per ea insuper argumenta, infidelium et haereticorum ora obstruxisse.

Ceterum, qua ratione in tanto viro, ac de tanti re momenti tam frequens ac iterata contradictio? Qui fieri potest s. Gregorium ita levissime in hujusmodi absurda lapsum esse? Quomodo possibile eadem in concione populi, verba veritatis explanantem, alias cruciatuum apud inferos aeternitatem ex ore Christi edixisse: auditorumque animos ad virtutis sequelam, vitiorumque dissipationem, ob eorum oculos tormenta durissima et per interminabile aevum duratura objiciendo, concitasse? ac paulo post in eadem concione, tanquam populi

(1) Reliqua de hujus regenerationis ordine in sequentibus fusius diluentur, ubi eaedem occurrunt adversariorum oppositiones.

auribus blanditum, poenarum aliquando terminum reprobis fidejubere? Et quoad vermem, qui non moritur, et ignem inextinguibilem, veluti in Evangelio legitur, longum post temporis intervallum, et eumdem moriturum vermem, ignemque extinctum iri asseverare? Quis unquam pacato animo ex fidelibus et infidelibus, idiotis doctisque, et omnes universim de re tam gravi talia concionantem tulissent antistitem, doctorem, animarumque rectorem?



CAPUT X.

Origenis argumenta proferuntur, quibus apertissime angelos hominesque reprobos sempiternis ac nunquam desituris poenis apud inferos mulctari docet. (1).

In expendenda cujusque christiani auctoris doctrina, nihil aptius et congruentius reputatur, quam ejusdem auctoris fidei professionem quaerere, inventam sedulo perscrutari, dictiones ponderare, ut inde liceat de ipsius dogmate recto sive dubio, sive falso pronunciare sententiam. Quapropter quid de aeternitate poenarum senserit ac docuerit Origenes, disquirens, obtestationem, quam Praefationi Librorum *De Principiis* n. 2. inscripsit, prae oculis ponere statui, veluti suae fidei tesseram de iis, quae postea varie suscepit disputanda, contra haereticos et infideles pro veritate decertans. Dicit enim : « Quoniam ergo multi ex his, qui Christo credere se profitentur, non solum in parvis et minimis discordant, verum etiam in magnis et maximis; idest de Deo, vel de Domino Jesu Christo, vel de Spiritu Sancto; non solum autem de iis, sed et de aliis creaturis, idest de Dominationibus, vel de Virtutibus sanctis; propter hoc necessarium videtur prius de his singulis certam lineam, manifestamque regulam ponere, tum deinde etiam de ceteris quaerere. Sicut enim multis apud graecos et barbaros pollicentibus veritatem, desivimus apud omnes eam quaerere, qui eam falsis opinionibus asserebant, posteaquam credidimus Filium Dei esse Christum, et ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus : ita cum multi sint, qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant; servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens. Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione ».

(1) Origenis Opera omnia etc. Studio Domini Caroli Delarue Presbyteri et Monachi Benedictini etc. Parisiis 1738.

Deinde censitis quae perspicue, quaeque obscuritate quadam obvoluta tradita sunt, ad species eorum transit, uti ipse dicit, *quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur;* quorum initium ita se habet: « Primo quod unus Deus est, qui omnia creavit atque composuit etc. Ac nonnullis interjectis sequitur n. 5. « Post haec jam (in ecclesiis manifestissime praedicatur) quod anima substantiam vitamque habens propriam, cum ex hoc mundo discesserit, pro suis meritis dispensabitur, sive vitae aeternae ac beatitudinis haereditate potitura, si hoc ei sua gesta praestiterint: sive igni aeterno ac suppliciis mancipanda, si in hoc eam scelerum culpa detorserit; sed et quia erit tempus resurrectionis mortuorum, cum corpus hoc, quod nunc in corruptione seminatur, surget in incorruptione; et quod seminatur in ignominia, surget in gloria. Est et illud definitum etc.» Talis est Origenis professio, atque hujusmodi *fides*, ut omnia, quae supersunt illius scripta, quavis vitae suae aetate edita, et potissimum contra adversarios, ubique tutissimum vadimonium praestent de integra sua cum Ecclesia Catholica consensione, non solum quoad perpetuum pravorum supplicium; verum etiam alicubi, cum nonnulla ei obiicerentur dubia, seu obscura, amplissima interpretatione ditavit, hujus dogmatis veritatem solerter ac ingenue propugnans.

Et re quidem vera, quoad satanam ejusque asseclas, quos veluti resipiscentes aliquando, coelestique gloria denuo cumulandos, ajunt adversarii sensisse Origenem, (uti infra dicetur) in Libro VI. *contra Celsum* n. 44. penitus contraria docet; atque doemonis malitiae auctoris, perpetuam ejusdem damnationem ulla sine spe nec poenitentiae nec salutis statuit, inquiens: « Sed magis proprie adversarius ille est, qui primus fruentium pace beateque viventium, amissis alis, excidit felicitate; *qui ambulavit inculpabilis*, ut loquitur Ezechiel, *in omnibus viis suis, donec inventa est iniquitas in eo;* quique cum esset *signaculum similitudinis et corona pulchritudinis in paradiso Dei*, ac veluti bonis saturatus, amisit omnia. Quod quidem illi mystice dictum fuerat: *perditio factus est et non eris ἐις τόν ἀιῶνα in perpetuum.* » Hoc porro testimonium *non eris in perpetuum* quasi dixisset, nunquam

ad pristinam gloriae conditionem restitueris, ab altero explanatur quod Origenes in *Epistolam* ad Titum perhibet; ubi juxta *ecclesiasticas observationes* unusquisque, inquiens, pereuntium sua negligentia perit et culpa; qui habens arbitrii libertatem, eligere quod bonum est, et potuit et debuit, addit: « Quod de ipso diabolo sentiendum est, qui in conspectu Domini omnipotentis describitur restitisse, et deseruisse statum suum, in quo fuerat immaculatus: qui utique potuisset in hoc statu, in quo ab initio fuit, usque ad finem perseverare, si voluisset. » Quibus verbis adstruitur, doemonem, cum sui juris fuisset a Deo conditus, voluntate propria a Deo ipso desivisse. Cum utique dicit Auctor *potuisset* et *si voluisset*, ab eodem satana eximit facultatem ad poenitentiam in posterum redeundi, atque spem se se rursus ad beatitudinis statum aliquando restaurandi.

Verumtamen, quod valde argumento nostro proficit, eruitur ex dialogo ejusdem Origenis cum Celso; ubi proposita quaestione de resurrectione, deque vita futura, ita circa apud inferos supplicia interserunt sermonem. Inquit enim in Lib. VIII. c. 48. 49 etc. « Enim vero, bone vir, quemadmodum tu credis aeterna supplicia, sic et illorum sacrorum interpretes, initiatores, et mystagogi. Quas aliis tu minaris poenas, easdem illi minantur tibi. Considerandum enim an illi veriora, aut firmiora dicant. Verbis enim aequa utrique asseveratione vestra, vera esse contenditis. Sed si opus est argumentis, illi multa et manifesta proferunt, ducta tam ex operibus doemonicarum quarumdam potestatum, tum ex oraculorum responsis et ex vaticiniis omnis generis. » Ponderatione quidem digna sunt ista, a Celso ex paganorum traditione citata de perpetuitate poenarum. Verum modo audiamus quae Origenes Celsi verbis opponit; num scilicet suppliciis reproborum terminum constituat, seu aliter juxta Evangelii veritatem doceat: « Contendit igitur (respondet Celso Origenes) contendit igitur, sacrorum principes aeque ac nos de suppliciis aeternis loqui, vultque expendere, ab utra parte stet veritas. Equidem affirmaverim penes eos esse veritatem, qui possunt doctrinae suae auditores ita efficere, ut vivant, quasi certi, eam esse verissimam. At judaei et christiani ita af-

fecti sunt de seculo, quod vocant, futuro, et de praemiis, quae in illo justos, ac de poenis, quae peccatores manent. Ostendat igitur Celsus, aut quisquis voluerit, quos ita de suppliciis aeternis affecerint sacrorum principes et mystagogi. Credibile enim est hujus doctrinae parentem non velle tantum suppliciorum horrorem incutere et de illis disserere; sed etiam afficere auditores, ut pro viribus fugiant illa committere, quae supplicia ipsis arcesserent etc. »

Paulo post cetera addit Origenes ex Celso de eodem argumento: « Praeterea (ait Celsus) quomodo non absurda haec vestra, ad corpus adspirare, et sperare illud e mortuis surrecturum, quasi nihil nostri praestantius esset atque pretiosius, et idem illud tamen omnibus cruciatibus exponere tanquam rem nullius pretii?... Qui vero sperant futurum esse ut anima aut mens... aeterna cum Deo vita fruatur, ad eos dirigo sermonem. Merito isti persuasum habent eos, qui recte vixerunt, felicitate donandos: iniquos autem *πάμπαν αἰωνίοις κακοῖς omnimode aeternis poenis cruciatum iri*. Ab hoc dogmate nec isti, nec quivis alius discedere debeat. »

Contra talia Celsi dicta arguens Origenes, postquam aeque diluerit, quae ad resurrectionem spectant, quamque christiani omnes sperant et optant; et quare ipsi cruciatibus temporaneis corpus suum exponant pro fide adstruenda, praemium in altera vita assecuturi; transit deinde, ea Celso explanans quae ad novissimum judicium spectant. Et in hac sane quaestione, nec Origenem nec Celsum, nullum patet ad invicem concitasse dubium de perpetuitate poenarum, sicuti nec de beatitudinis interminabili aevo. Quinimmo Celsus idem dubitationem penitus tollit circa suppliciorum finem, dum ait *πάμπαν* omnino aeternis malis vexari pravos in mundo futuro. Verum de hoc *αἰώνιον* vocabulo, cum secus Huetius ceterique ex ejusdem Adamantii mente interpretari velint, quam sine termino aevum; ac ideo spem reprobis superesse ut aliquando in bonum et gloriam instaurandi sint, alibi, inquam, de hoc vocabulo specialis instituetur quaestio. Interea ponderato, quomodo Origenes in simili argumento versetur contra Celsum.

« Approbat postea (Celsus) eos, qui sperant fore ut anima aut mens, quam vel spiritualem substantiam, vel ratione praeditum, intelligentem et beatum spiritum, vel animam viventem vocant, aeterna vita cum Deo fruatur. Admittit et hoc dogma, ut recte cogitatum, *eos qui bene vixerunt felicitate donandos esse, iniquos vero aeternis omnino suppliciis affectum iri*. Sed ex omnibus, quae dicta sunt a Celso, nihil admiror magis quam quod praedictis addit: *ab hoc dogmate nec illi, nec quisquis alius discedere debeat*; tamen scribendo contra christianos, quorum fidei nulla alia res objecta est, quam Deus, et promissiones per Christum justis factae, et doctrina de supplicio iniquos manente, animadvertere debebat christianum, si victus per illius contra christianos argumenta, a sua religione descisceret, rejectum etiam sine dubio dogma istud *a quo ait, neque christianos, neque ullum alium hominem discedere debere*. Longe humanius Celso Chrisyppus, mea quidem sententia, cum hominibus egit in Libro *De curandis affectibus*. Illic enim, cum affectus, qui naturam humanam infestant ac perturbant, sanare vellet, praecipue quidem iis utitur argumentis, quae sibi sana videbantur; sed et secunda et tertia adhibet dogmata, quamvis non sibi probata. *Etsi enim*, ait, *tria sint bonorum genera; sic tamen affectus curandi sunt; neque studendum, cum ardent maxime passiones, cujusmodi sit dogma, quod affectu perturbatus tenet: ne si in dogmata, quae animum occuparunt, evertendo intempestive moremur, elabatur curationis occasio* .... Necesse igitur erat, ut Celsus postquam semel approbaverat haec dogmata, *justos felicitate donandos esse et injustos aeternis poenis cruciatum iri*, pergeret sibi consequens, et, si fieri posset, post allatum, quod sibi praecipuum videbatur argumentum, superinstrueret, pluribusque demonstraret, *iniquos revera poenis omnimode aeternis cruciatum iri*; ac felicitate donandos esse, qui recte vixissent.

« Enim vero nos, quos multa et innumera argumenta vitam ex christianismo exigere persuaserunt; ante omnia quidem pro viribus conamur omnes homines ad universa christianorum dogmata credenda excitare. Sed cum incidimus in quosdam, quos sparsae contra christianos calumniae ita occuparunt, ut,

quia induxerunt animum, expertes esse pietatis christianos, ne commodent quidem aures iis, qui Verbi divini mysteria docere pollicentur; tunc quod communis humanitas postulat, damus pro viribus operam, *ut doctrina de aeterna punitione impios expectante confirmetur*; et vel ab iis suscipiatur, qui christiani fieri nolunt. Sic etiam eos, qui bene vixerunt, felicitate donatum iri persuadere conamur, videntes multa ad vitam recte transigendam pertinentia, dicta fuisse ab inimicis fidei, quae nostris omnino similia sunt etc. »

Undenam ergo quis ex hujusmodi disputatione inter Celsum et Origenem, contendere, vel ambigere poterit de nunquam desituris suppliciis apud inferos? Si ex Celso arguas, perceperis, sive ex suo, sive ex aliorum ore locutus sit, sermonem ita contulisse, ut a poenis inferorum excludat terminum. Ac pariter si ex Origenis responsis decernas, argumenta ita ordinat a Scripturis et a recta ratione petita, ut cunctis persuassimum sit, nec ullimode dubitandum, illos, qui bene morati vixerint, ad meliorem sortem transituros; malos autem suae intemperantiae, ignaviae, incontinentiae et insipientiae poenas persoluturos esse ulla absque spe ab iis aliquando evadendi. Quinimmo, si ita velis, ex hoc dialogo videretur potius arguendum, nullas fore nec pro justis, neque pro pravis retributiones in mundo futuro, et hoc juxta Celsi mentem (posito animam cum corpore interire) quam ambigendum, utrumque Originem et Celsum, animi immortalitate admissa, poenarum esse aeternitati refragatos.

Verum ad reliqua argumenta transeamus, ac praecipue quae ipse Origenes ex *Serie Commentariorum in Matthaeum* Tract. 33. n. 72. docet, verba interpretatus: *cum venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriae suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes etc.* Ibi enim juxta Christi Domini effata, et ex traditione Ecclesiae eorum sensum assecutus, suppliciorum perpetuitatem clare adstruit: « Nam propinqui sunt Verbo, qui servant Dei mandatum; et vocantur ut adhuc magis magis propinquiores efficiantur, audientes: *Venite benedicti Patris mei.* Longe autem ab eo sunt, etsi videantur assistere ei, qui non faciunt mandatum ipsius. Propter hoc tolletur ab eis

et quod sibi videbantur assistere ei, audientes: *discedite a me:* ut qui modo vel videntur esse ante eum, postea nec videantur. Propter quod et nos debemus nos conservare, ne audiamus et ipsi et quasi elongantes nos ipsos a Domino: *discedite a me*, et omnia faciamus, ut dicat ad nos: *venite benedicti Patris mei.* Considerandum est autem quoniam in sanctis non solum dictum est *benedicti*, sed cum additamento, non qualemcumque honorem habentes, idest benedicti non alicujus alterius, nisi Dei Patris. E contra autem quibus dicitur *maledicti*, non dicitur *maledicti Patris mei.* Nam benedictionis quidem ministrator est Pater, maledictionis autem unusquisque sibi est auctor, qui maledictione digna est operatus. Qui autem recedunt ab Jesu, decident in ignem aeternum, qui alterius generis est ab hoc igne, quem habemus in usu. Nullum enim ignis inter homines (adverte locutionem) est aeternus, sed nec multi temporis; extinguitur namque cito. Aeternus autem ignis est ille, de quo Isaias dixit in fine prophetiae suae: *vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Forsitan talis substantiae est, ut invisibilia combures ipse invisibilis constitutus, secundum quod ait Apostolus 2. ad Corinthios c. IV. *quoniam quae videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna.* Si ergo quae videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt, necesse est, si visibilis est ille ignis, et temporalis sit, opus est. Si autem aeternus est, et invisibilis est, quo puniuntur, qui a Salvatore recedunt. Tale est, quod dicit et Job: *comedet eum ignis, qui non accenditur.* Ne autem mireris, audiens esse invisibilem ignem et punientem, cum videas inter homines calorem corporibus accidentem, et non mediocriter excruciantem maxime eos, qui ab eo validissime molestantur. Et considera, quoniam regnum quidem non aliis praeparatum dicit a constitutione mundi, nisi justis: et ideo reddet eis ipsum rex eorum Christus. Ignem autem aeternum non illis, quibus dicitur: *discedite a me maledicti* paratum ostendit, sicut regnum justis, sed diabolo et angelis ejus; quia quantum ad se, homines non ad perditionem creavit, sed ad vitam et gaudium. Peccantes autem conjungunt se diabolo; et sicut qui salvantur, sanctis angelis

coaequantur, et fiunt filii resurrectionis, et filii Dei, et angeli; sic qui pereunt, diaboli angelis coaequantur, et fiunt filii ejus. » Videas ergo quam luculenter Origenes distinguens, quae temporalia sunt, ab aeternis, cruciatuum finem in hoc mundo statuat: atque aliter de poenis sentiat, quas in altera vita sempiternas dicit, ac sine fine mansuras. Ac amplius deinde discas, quomodo diabolo ejusque asseclis pares faciat homines reprobos in ignis passione, ab his et ab aliis sustollens poenitentiae locum, et inde futurae restaurationis spem.

Alterum argumentum haud minori perspicuitate collatum, ab Adamantio ex Homilia XVIII. n. 15. *in Hieremiam* desumitur, ubi Prophetae verba interpretatur: *decepisti me Domine et deceptus sum*, inde poenas temporaneas distinguit ab aeternis; ac una gehennam ignis, veluti cruciatum ex statuto mosaico pro realibus gravioribus in hoc mundo hominibus irrogatum, segregat a ceteris suppliciis et quidem sempiternis, quae in futuro seculo peccatores manent. Ait enim: « Adducam historias, ut probem quomodo Deus ad salutem decipiat, quaedamque proferat, ut desinat peccator agere, quae ageret, ni hos et hos sermones audiisset. Qui dicebat: *adhuc tres dies, et Ninive subvertetur*, vere aut ficte id praenuntiabat, aut deceptione utebatur conversionem operante, quae conversio si subsecuta fuisset, jam nulla erat deceptio, sed verum erat quod dicebatur, et secuta fuisset Ninive subversio.... Ex hypothesi enim, nisi poenitentiam egissent Ninivitae, fortassis evenisset illud: *adhuc tres dies et Ninive subvertetur*. Sed demus illud futurum non fuisse, pejus aliud evenisset, aeterno igni traditi fuissent. Quapropter alia secundum legem poena constituta erat iis, qui tamquam pueri instituebantur; quibus vero plenitudo temporis advenit, aliae poenae assignantur. Confer eas, quas Lex irrogat peccatoribus poenas cum iis, quas Evangelium imponit delinquentibus; et videbis illos tanquam infantes obnoxios fuisse poenarum generi infantibus accommodato, nos vero uti aetate perfectos multo durioribus subjacere. Si quis tunc erat adulter sive adultera, ei non gehenna, non ignis aeternus intentabatur, sed lapidibus erat obruendus. *Lapidet eum*, inquit, *omnis synagoga*. Abiens dicet is, qui in his repertus fuerit adulter,

vel quae in his deprehensa fuerit adultera: *utinam etiam super me sermo iste diceretur: utinam populus lapidibus me obrueret, et ad ignem aeternum non reservarem* etc.» Auditores adulteros cum sic loquentes, exempli gratia, inducit Origenes, ut cupiant lapidibus obrui potiusquam igne aeterno comburendos, tum Origeni, tum auditoribus indicat sibi persuasum fuisse, punitiones temporaneas in Lege statutas, mitiores quam maxime fuisse iis, quibus post obitum obnoxii forent reprobi; cum nempe primae ad finem verterentur, et secundae perpetuo duraturae iis, sine poenitentia decedentibus.

Alibi Auctor Homilia XI. *in Numeros* n. 4. 5. verba interpretatus, *et ait Moyses ad Aaron: assume batillum, et impone super illud ignem ab altari* etc. scribit ibi repraesentari Christum Jesum, qui in assumptione batilli carnis nostrae, medius stetit inter vivos et mortuos, et mortem non fecit ultro crassari: « Puto autem quod non solum primo adventu Domini et Salvatoris nostri forma ista completa sit, sed eadem fortasse servabitur in secundo: Veniet autem iterum filius hominis, et cum venerit, sine dubio inveniet quosdam autem viventes.... Quidam autem ex iis, qui ante nos, interpretati sunt hunc locum, memini quod mortuos dixerunt eos, qui nimietate scelerum in peccatis suis mortui intelliguntur; viventes autem eos, qui in operibus vitae permanserint. Verumtamen utrolibet modo stabit etiam in futuro magnus hic pontifex et Salvator noster medius vivorum et mortuorum. Sed et tunc forte medius vivorum et mortuorum stare dicendus est, cum statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris; et dicet his, qui a dextris sunt: *venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi* etc. Iis autem, qui a sinistris sunt, dicet: *ite in ignem aeternum operarii iniquitatis, quem praeparavit Pater meus diabolo, et angelis ejus, quoniam non novi vos.* Et sunt utique mortui, qui in ignem mittentur aeternum: sunt autem vivi illi, qui mittuntur ad regnum. »

Vocabula quidem *vivorum* ac *mortuorum*, quibus utitur Origenes ad proborum exprimendum et pravorum in altero seculo post resurrectionem statum, indicant nunquam futurum tempus, ut denuo reprobi resurgant ad gratiam. Ideoque

alibi ex Psalmi IX. 18. verbis: *convertantur peccatores in infernum* etc. « sicut paradisus, inquit, justorum est habitaculum, sic infernus peccatorum est ad ferenda supplicia domicilium. Concludantur, ait, ne intus conversi videant animam Jesu descendentem et ascendentem. Qui enim illam expectarunt, in inferno detenti, tanquam extra viderunt, primum quidem Prophetae, deinde reliqui omnes justi etc. » Insuper Libro VI. in *Epistolam ad Romanos* n. 6. ex Matthaei testimonio arguens: *non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala bonos fructus facere*, omnimode a damnatis post mortem resipiscentiam ac ad bonum conversionem tollit. Inquit enim: « In quibus propositum et voluntas hominis arbor dici videtur vel bona, vel mala, fructus vero ejus opera. Siquis igitur convertat animum et propositum ad justitiam, erubescit sine dubio; et ipse se renovat de prioribus gestis, quae egit positus sub peccato, quia *finis illorum mors est*. Sed requiro quae mors? Certum est, quia non ista communis. *Non enim quis post mortem convertitur ad justitiam; vel pro male gestis praeteritis erubescit.* »

Item Homilia VIII. n. 6. *in Exodum*, Dei misericordiam extollens, peccatores ad poenitentiam hortatur, ne fortè serventur etiam ipsi ad illam Sapientiae sententiam, quae dicit: *quoniam quidem vocabam, et non obaudiebatis, sed irridebatis sermones meos: itaque et ego vestrae perditioni superridebo:* vel ad illam, quae posita est eis in Evangelio, dicente Domino: *discedite a me in ignem aeternum, quem praeparavit Deus diabolo, et angelis ejus.* Ego opto, ut dum in hoc seculo sum, visitet Dominus peccata mea, et hic mihi restituat; ut ibi dicat etiam de me Abraham, sicut dixit de paupere Lazaro ad Divitem: *memento, fili, quod recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc autem hic requiescit, tu vero cruciaris.* Propterea ergo cum corripimur, cum castigamur a Domino, esse non debemus ingrati; sed intelligamus propterea nos in praesenti seculo corripi, ut in futuro requiem consequamur, sicut et Apostolus dicit: *cum autem castigamur a Domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* » Ibidem pariter de eodem argumento addit: « Si vero, homo, castigatus non resipiscis, correptus non emendaris, verberatus contemnis,

scito quod si eousque peccando profeceris, discedet a te zelus ejus.... Hoc est terribile, hoc extremum, cum jam non corripimur pro peccatis, cum jam non corrigimur delinquentes. Tunc enim cum excesserimus peccandi modum, Deus zelans avertet a nobis zelum etc. » Paulo post de diabolo ait, *illum excessisse peccandi modum;* ideoque nec poenitentiae locum ei fore neque nunc nec in futuro seculo; sicuti de peccatoribus docet, nisi in hac vita resipuerint, in altero aevo nullam assecuturos a Deo misericordiam, sed diaboli socios factos, cum eo sempiternas luituros poenas. Quod et *in Epistolam ad Romanos* Libro VII. n. 12. exponens: *neque angeli neque principatus... poterit nos separare a charitate Dei,* item scribit: « In promptu est, illos angelos intelligere (Paulum), quibus ignis aeternus a Salvatore cum diabolo dicitur praeparatus. »

Verum quod amplius pro quaestione nostra facit, ex eo deducitur, quod contra Basilidem arguit Origenes, apostolicam sententiam investigans: *ego vivebam sine lege aliquando.* Ajebat Haereticus: *antequam in istud corpus venirem, in ea specie corporis vixi, quae sub lege non esset, pecudis scilicet et avis.* Et hoc statuebant Basilides ejusque comites ad dogma adstruendum μετενσωματώσεως, idest quod animae in alia atque alia corpora transfundantur. Cui respondens Adamantius ait: « Verum Basilides et siqui cum ipso hoc sentiunt, in sua impietate relinquantur. Nos autem Apostoli sensum secundum pietatem ecclesiastici dogmatis advertamus. » Ac ubi quaedam diluit de iis verbis: *ego vivebam sine lege aliquando,* contra eos instat, qui inde Legem Moysi interpretabantur; ac ita praeclarum de aeternitate poenarum adstruit argumentum, quod valde roborat Auctoris in hoc dogmate cum Ecclesia Catholica consensum. Scribit enim: « Sed et illud velim (nisi plus justo curiosum videtur) inquirere, ne forte, secundum eos, qui Moysi Legem in his intelligi volunt per hoc, quod dicit, *peccatum autem non imputatur, cum lex non sit,* videantur etiam diabolus, et angeli ejus absolvi, si ubi lex non est, peccatum non reputatur. Et quomodo ante Legem Moysi vel serpens condemnatus est; vel invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum? Quomodo etiam quod Judas

Apostolus in Epistola Catholica dicit, potest explanari? Ait enim ita: *Angelos quoque, qui non servaverunt principatum suum, sed dereliquerunt domicilium suum, in judicium magni diei aeternis vinculis constrictos sub caligine reservavit.* Ex quibus omnibus magis ac magis constat de ea lege Apostolum haec dicere, quam unusquisque sive hominum, sive quoque angelorum, divina quadam dispensatione, vel munere intra se naturaliter gerit; cujus tanta vis est, et tanta potentia, ut etiam angelos arguat, nec illius personam dignitatis excipiat; et ipsa fecerit hoc, quod superius Apostolus Judas dicit, ut angeli, qui non servaverunt principatum suum, sed dereliquerunt domicilium suum, ad judicium magni diei aeternis adstricti vinculis servarentur. Ipsa est lex, quae etiam diabolum et angelos ejus in ignem aeternum, qui eis praeparatus est, pertrahit. Et sicut certum est, quia neque illi angeli aeternis adstricti vinculis ad judicium servarentur, neque isti in ignem aeternum, qui eis praeparatus est, mitterentur, nisi quia positam sibi a Deo legem non servaverunt: neque ad judicium venirent, nisi contra legem aliquid commisissent; ita certum videtur, quia si custodissent positam sibi legem, neque isti in ignem aeternum, neque illi sub aeterna caliginis vincula decidissent. » Et ita *in Epistolam ad Romanos* Libro V. n. 1.

Deinceps Apostoli ejusdem dicta perscrutatur: *nunquid sic offenderunt ut caderent? absit: sed illorum delicto salus gentibus:* « Sed videtur (inquit Origenes Lib. VIII. n. 9. in eamdem Epistolam) quod Paulus cadendi differentias bene noverit; et aliud sciat esse cadere secundum illud, quod scriptum est: *septies cadet justus, et resurget . . . Nunquid qui cadet, non adjiciet ut resurgat etc* . . . Et omnes hi casus habent utique resurrectionem . . . . In praesenti vero capitulo, quasi sciens Apostolus, quia si cecidissent, resurgere omnino non possent; ita negat eos cecidisse, et valde excusat in eo, quod ait: *nunquid sic offenderunt, ut caderent? absit.* Ne forte ergo ad alium casum respiciens Apostolus, Israel excuset et abneget cecidisse illum casum, inquam, de quo dicebat Dominus et Salvator noster: *quia videbam satanam sicut fulgur cecidisse de coelo.* Sed et illum casum, de quo Isaias dicit:

quomodo cecidit de coelo lucifer, qui mane oriebatur? Hoc ergo tali casu negat cecidisse Israel. Horum enim vel in fine seculi conversio erit tunc cum plenitudo gentium subintraverit; et omnis Israel salvus fiet. *Illius autem satanae, qui de coelo cecidisse dicitur, nec in fine seculi ulla erit conversio.* Idest nunquam ad Dominum convertetur, veluti paulo post explicat eadem verba *usque ad consummationem seculi, quasi dixisset semper et sine fine.* Unde concluditur, Origenem hujusmodi locutionibus penitus velle a doemonibus et a reprobis post judicium novissimum, omnem penitus adimere spem sive poenitentiae, sive ad bonum restaurationis. Et hoc insuper dicit Homilia X. *in Ezechielem* n. 1. ex verbis *accipe ignominiam tuam*, ubi scribit: « Et haec dico, ut profundiorem aliquem sensum de futura inhonoratione interponam. Et ibi quippe erit aliqua ignominia his, qui dignum opus ignominia fecerunt; siquidem *resurgent alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium et confusionem aeternam.* Quid autem est hoc aliud nisi poenam infamiae sustinere? Dum ergo adhuc licet nobis, debemus minorationem nostram etc. » Et sic Origenes fideles hortatur ad confusiones, ignominias in hoc seculo patienter sustinendas, ut inde misericordiam Dei consequantur in seculo futuro; cum secus impossibile sit, lapidei cordis aliquem, et penitus non sentientem delictum suum et ante vultum Dei omnipotentis superbientem, misericordiam consequi. Deinde prope finem Homiliae addit: « Idcirco quia ignominia et confusio aeterna nobis reposita est, si peccaverimus, omni corde precemur Deum, ut det nobis usque ad finem et animi et corporis nisum pro veritate contendere... ne domus nostra in hyeme corruat, ne aedificatio quasi in arena constructa tempestatibus dissipetur. » Aperte in his significat, nullum poenitentiae locum fore post mortem, nec aliquando ab ignominia et confusione evasuros, qui a Deo defecerunt, ac in peccatis mortui sunt.

Item Origene cum Heracleone contendente de Christi verbis *in Joannem* Tomo XX. 19.: *vos ex patre diabolo estis; et desideria patris vestri vultis facere*, uterque in hac quaestione a doemone eximit et poenitentiae locum ac spem in pristinum decorem se convertendi. De eo enim ait Origenes:

« *Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quoniam mendax est, et pater ejus.* Dicitque mendacium esse diabolum, diversum vero ab hoc esse mendacii patrem. Sed non recte hoc diceretur; nam magis conveniet mendacium dicentis contrario: *ego sum veritas.* Dico autem contrario Christi, cui mendax est pater, qui diabolus est. Sed consentaneum est aliquem iri offensum eo quod dixerimus Antichristum esse mendacium, vituperabilem nempe non amplius futurum, si hypostasi nihil aliud sit mendacium. Contra quem si attuleris in medium illud: *perditio factus es, et non eris in seculum* (quod in Ezechiele dictum est de quodam, qui propter vitium mutatus fuerat, ut esset ipsa perditio) tu similiter etiam proferes, aliquem non esse natura mendacium ex creatione, sed ex mutatione; et proprio proposito talem factum fuisse, et sic, ut nove dicam, *πεφυσιωμένον naturatum* etc. » Cum ergo docet Origenes perditionem evasisse diabolum, nec in aeternum futurum, ac malitiam in eo factam esse naturam, fieri non potest, ut aliquando pristinae conditioni restituatur. Ideoque quamvis alius sit scopus praecipuus quaestionis inter Origenem et Heracleonem, observes tamen ambos mediate, ulla absque disceptatione, sempiternae perditioni doemonis adstipulatos esse; cum ipse interfectorum princeps sit ac mortuorum, ac nullius viventis valeat princeps esse, cum ipse in perpetuum perierit.

CAPUT. XI.

In idem argumentum de aeternitate poenarum instat Origenes.

Quo magis arma nobis suppeditantur pro Origenis orthodoxia in incepta quaestione; eo magis imminuitur adversantium virtus. Ideoque pergentes, invenimus Auctorem disputantem juxta priscam philosophorum controversiam de animarum transmigratione. Cum enim in hunc errorem lapsum fuisse Origenem veteres nonnulli scriptores autumaverint, s. Pamphilus martyr in ejusdem Apologia, e suis scriptis plura defert argumenta, quibus nullimode ac nunquam Origenem in hanc de *Metensomatosi* decessisse sententiam probatur. Verum cum hujusmodi quaestio magnam habeat affinitatem alteri, quam agimus, de aeternitate poenarum in mundo futuro, sedulo disquiramus, quae ibi doceat Adamantius adversus eos, talem tuitos animarum transmigrationem in aliena corpora, Christi verba interpretatus: *Elias jam venit*: « Et quod a Servatore, inquit, deinde dictum est, ad Joannem Baptistam relatum esse intellexerunt.... In his quidem per Eliam non mihi videtur anima significari, ne forte in alienam ab Ecclesia Dei de migratione e corpore in corpus sententiam, neque ab Apostolis traditam, neque uspiam in Scripturis prolatam, incidam. Huic enim adversatur quod scriptum est, caduca ea esse, quae videntur, et consummatum iri seculum hoc; sed et illud impleri: *Coelum et terra transibunt*: *praeterit figura hujus mundi; coeli peribunt*, cum iis quae sequuntur. Et paulo post: Quod, siqui transitum animarum in varia corpora invehunt ethnici, utpote consentanea doctrinae huic adstruentes, mundi interitum necessario non admittunt, superest ut, postquam Scripturis mundi occasum asserentibus palam refragati fuerint, vel fidem iis non habeant, vel verba reperiant, quibus ea, quae ad consummationem pertinent, explicare possint: quod facere neutiquam poterint, etiamsi velint. »

In his ergo, si accurate Origenis sensum perscrutatus fueris, tum id percipies, quod ethnicorum errores de *Metensomatosi* confutaverit; ac una simul implicite saltem, dog-

ma de reproborum poenis nunquam desituris statuerit. Pythagoras namque hujus doctrinae auctor, migrare animas ajebat de corporibus vetustate et morte confectis, et insinuare se novis ac recens natis; et easdem semper renasci modo in pecude, modo in fera, modo in volucre. Et hac ratione immortales esse, quod saepe variorum ac dissimilium corporum domicilia commutent, inquit de eo Lactantius *De vita beata* Lib. VII. n. 12. Ideoque contra haec arguens Origenes, ac deliria tollens de animarum migratione in aliena corpora ad poenas meritas luendas, nulla prorsus ratione tollit cruciatuum perpetuitatem, quibus mulctandi erunt reprobi apud inferos. Quinimmo dissertis verbis *Proverbiorum* Librum exponens, juxta catholicum dogma suam profert sententiam; de ceteris miratus, qui putaverunt transmutari humanam naturam in pecudum corpora: et sic aestimarunt, quod aliquando serpentis suscipiat corpus vel viperae, aliquando equi, vel reliquorum animalium : « Sed superfluae sunt, ait, istae omnes adinventiones. Manifestum est enim, quod una poena, tam doemonum naturae, quam humano generi, peccatorum a Domino praefinita sit, illa, quam Dominus ipse sua sententia designavit, dicens: *ite in ignem aeternum, quem praeparavit Deus diabolo et angelis ejus*: ostendens quia eadem species poenarum peccatoribus hominibus et diabolo, et angelis ejus praeparata sit, licet in eadem poena diversa sit quantitas poenae etc. » Et haec in *Apologia* pro Origene per s. Pamphilum c. X.

Ceterum fatendum quoque est, si Origenes cum Pythagora sentiret de animarum in alia corpora migratione, poenas luendi causa pro peccatis, Origenem ipsum in antilogiam fuisse lapsum. Sententia namque de animarum migratione juxta actus suos, uti ipse vellet Pythagoras, alteri de pravorum poenis concordaret quoad aeternitatem, ac ita amplius staret, quam tuemur, opinio, Adamantium in hoc non esse deceptum, veluti adversarii errasse eumdem tenent; proindeque immerito exprobaretur Origenes, quod cruciatuum doemonis hominumque malorum finem docuisset. Verumtamen dico: in utroque haud erravit Origenes, cum perspicue suppliciorum pro improbis admisisset aeternitatem, ineptas-

que despuerit de *Metensomatosi* fabulas. Et hoc clare perspicies legens, quae ipse ideo scripsit *in Matthaeum* Tractatu 28. n. 38. contra Basilidem docentem: « non esse alias poenas peccatorum, nisi transcorporationes animarum post mortem. Nam ut dimittam (ait Origenes) manifeste falsum esse, quod dicitur, adhuc autem tollit ab hominibus salutarem timorem; et qui vel propter timorem futurarum poenarum servaturi se fuerant a multitudine peccatorum, nutriunt audaciam impietatis eorum. »

In Epistolam ad Romanos Lib. II. n. 1. verba commentatus Origenes: *scimus autem quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt*: scribit: « Veritas quippe judicii hoc postulat, ut malus mala, et bonus recipiat bona.... Communis professio est, bonum non debere puniri, nec malum consequi bona. » Ideoque ex eadem Epistola paulo post Lib. III. n. 2. ea exponens: *Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram*? ait injustitiam effectum esse injusti pravique operis, qui primo in diabolo, tum etiam in his, qui volunt eum imitari, deprehenditur... Poterant namque, sicut receperunt in se affectum injusti provique operis, multo magis justique rectique recipere. » Dum Origenes inquit, *diabolus ejusque imitatores justi affectum recipere poterant*, neque aliter *possunt* dicat, ab eisdem tollit quamcumque poenitentiae ac boni spem in seculo futuro.

In Libro III. *De Principiis* c. I. arbitrii libertatem statuens docet: « Et cum dat Deus cetera quaeque mandata, ita dat, quasi nobis ea servare sit integrum, ut jure rei judicio futuri simus, si ea perfringamus.... Et cum dicit his, qui a dextris ejus sunt: *venite benedicti Patris mei* etc. evidenter ostendit, se haec illis promittere, qui laude digna ex se fecerint; aliis e contrario tanquam ex se vituperio dignis, ait: *discedite maledicti in ignem aeternum.* » Ideoque *in Leviticum* Homilia IX. n. 4. 5. Pauli verba exponens de Christo, *quem posuit Deus propitiatorem in sanguine ipsius per fidem*, fideles hortatur ut, priusquam mors superveniat, poenitentiae locum dent, cum post fatum nulla maneat propitiatio: « Igitur dies propitiationis manet nobis usquequo occidat sol, idest usquequo finem mundus accipiat. Stamus enim

nos pro foribus, opperientes Pontificem nostrum commorantem intra Sancta Sanctorum, idest apud Patrem, et exorantem pro peccatis eorum, qui se expectant, non pro omnium peccatis exorantem. Non enim exorat pro his, qui in sortem veniunt ejus hirci *apopompaei*, idest qui emittitur in desertum (pro his nimirum, qui judicati sunt, et in eremum instar hirci dimissi.) *Finis sane sortis istius eremus est, idest locus desertus, desertus virtutibus, desertus Deo, desertus justitia, desertus Christo, desertus omni bono.* »

Paulo post Homilia XIV. 4. *in Leviticum* ea diluens: *homo si maledixerit Deum, peccatum accipiet*: *qui autem nominat nomen Domini, morte moriatur:* poenas secernit temporales ab aeternis; ac ideo illas temporales expiatorias proindeque desituras dicit seorsim ab aliis post obitum soevioribus ac perpetuis: « Mors, inquit, quae poenae causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius, pro quo jubetur inferri. Absolvitur ergo peccatum per poenam mortis, nec superest aliud quod pro hoc crimine, judicii dies et poena ignis aeterni inveniat. Ubi vero quis accipit peccatum, habet illud secum, ac permanet cum ipso, nec aliquo supplicio poena, quae diluitur, transit, cum ipso est etiam post mortem: et quia hic temporalia non persolvit, ibi expendit aeterna supplicia. »

Deinde illis respondens judicia Dei nescientibus, et adversum Deum conquestis cur homines iniqui, et injusti, raptores, impii, scelesti in hac vita nihil patiuntur adversi, sed cuncta eis prospera succedunt, et e contra innocentibus et piis aerumnae superveniant etc. ait: « Sed haec, ut dixi, conqueruntur, ignorantes, qui sit ordo in divinis judiciis. Quanto enim gravius eos puniri volunt, de quorum potentia et iniquitatibus ingemiscunt, tanto necessarium est differri poenas; quae si non differrentur, temporales utique et leviores essent, quia finem cum morte reciperent; nunc vero quia differuntur, *certum est quod aeternae erunt*, *et cum seculis extendentur* etc. » Ideoque alibi, Homilia IX. *in Numeros* n. 8. peccatores hortatus ad poenitentiam, ac poenas pro illis in hac vita sufferendas, ait istas in hoc seculo sufficere posse, *ubi poenitentiae tempus et satisfactionis conceditur locus.* Cum ergo dicit, poenas peccatoribus infligi ad resipiscentiam

in hoc vitae spatio, utpote ibi sit poenitentiae ac satisfactionis locus; nullum postea arguitur fore tempus ad peccatorum veniam. Et similiter ex Matthaei dictis *in Joannem* Tomo 28. n. 13. arguit: « *Omne peccatum et blasphemia remittetur filiis hominum.* At vero de his qui post acceptum Spiritum Sanctum peccaverint, illud est: *qui vero in Spiritum Sanctum blasphemiam dixerit, non habet remissionem neque in hoc neque in futuro.* »

Verum prae ceteris compertissimum, sicuti et argumento aptissimum nobis adstat testimonium, quo Adamantius quosdam exprobravit, qui in futuro seculo fieri posse putarunt pravorum resipiscentiam, eorumque pariter salutem. Et hoc ait, de Christi triumpho super mortem ex Apostoli verbis *ad Romanos* Lib. V. n. 10. *mors ei ultra non dominabitur,* scribens: « Non enim dabit ultra semetipsum in dominationem tyranni; neque iterum exinaniet se, ut formam servi accipiat, et fiat obediens usque ad mortem, ne rursus in forma servi, quamvis voluntate et non necessitate positus, dominationem tamen tyranni, mortisque patiatur. Unde miror quosdam contra hanc evidentissimam Pauli sententiam velle asserere, quod in futuris iterum seculis, vel eadem vel similia, pati necesse sit Christum, ut liberari possint etiam hi, quos in praesenti vita, dispensationis ejus medicina sanare non potuit.

Ajunt enim quidam: *Nunquid potest seculum esse aliquod in futuro, ubi neque boni aliquid, neque mali agatur; sed stupeant res, et maneant profunda silentia?* Absurdum hoc videri asserunt. Dabimus ergo agi aliquid. *Et ubi agatur aliquid, necesse est,* ajunt, *ut aliquid recte, aliquid etiam minus recte agatur, et in ipso actu alii proficiant, et meliores fiant, alii deteriores. Libertas enim arbitrii semper naturae rationabili permanebit; et sicut possibile fuit etiam illum, qui pro splendore gloriae lucifer erat, et propter lumen scientiae mane oriebatur, commutari de gloria sua, et effici tenebras propter malitiam, quam recepit; et illum eumdem, qui fuit immaculatus a nativitate sua, et habitavit cum cherubim, et in medio lapidum igneorum conversatus est, et indutus est omne indumentum virtutum, nec fuit ulla in paradiso Dei arbor*

virtutum, quae ei comparari posset, post haec inventae sunt iniquitates in eo; et de coelo in terram projectus est: ita potest fieri, ut in quocumque statu fuerit anima, et in quacumque perfectione virtutum, quoniam virtus mutabilis est, lapsum possit incurrere, ut sicut a vitiis ad virtutem, ita et a virtutibus inclinetur ad vitia. Quod si est, consequens videbitur requirere medicum, ubi languor est; quia secundum Salvatoris ipsius vocem, opus est medico his, qui male habent. Haec ergo et similia proponentes, easdem etiam in futuris seculis dispensationes a Christo repetendas esse arbitrantur. Sed ad haec nos breviter, prout possumus, respondebimus. Manere quidem naturae rationabili semper liberum arbitrium non negamus; sed tantam esse vim Crucis Christi, et mortis hujus, quam in seculorum fine suscepit, quae ad sanitatem et remedium non solum praesentis et futuri, sed etiam praeteritorum seculorum, et non solum humano huic nostro ordini, sed etiam coelestibus virtutibus ordinibusque sufficiat. » Et sic progressus ostendit Origenes, quamvis in libertate arbitrii versetur homo, sive spiritus in futuro seculo, tamen nunquam delinquere posse probum, sicuti nec reprobum converti ad poenitentiam.

Porro pro nostra quaestione primo loco valde facit, quod ait Origenes, miratus quosdam docuisse, fieri posse in futuris seculis alteram redemptionem, ita ut liberari possint, quos in praesenti vita medicina dispensationis Christi sanare non potuit. Si ergo sic miratur Auctor tale quorumdam commentum dicentium, possibile in seculis futuris post mortem fore, ut pravi arbitratu usi ad meliorem frugem revertantur, sicuti et probi ad vitia declinent; et si hujusmodi errorem adeo miratus et avversatus sit Adamantius; quis inde praesumere audeat, ipsum de aliquando reproborum poenitentia apud inferos eorumque redemptione sensisse? In tanto viro id nullimode fas est excogitare.

Praeterea Homilia XVI. n. 3. *in Josue Librum*, beatos fore ait, qui terram repromissionis acceperint, Deoque gratos, cum istos subjecerat Jesus. Ceteris vero infidelibus, qui in novissima die, necessitate Deo subjicientur, nihil boni esse sperandum: « Cum vero ex necessitate quis fuerit sub-

jectus, tunc quando etiam novissimum inimicum destrui necesse est, scilicet mortem, *non erit jam gratia iis, qui subjiciuntur.* »

Insuper in Ezechielis c. VI. 26. haec tradit catholicae fidei consona: « *Veh super veh*: primum, ait, quidem *veh* in hac vita ex eo, quod et ipsa mala sit et impia, nec habeat visitationem Dei; alterum *veh* ob tormenta post hanc vitam futura. *Nuntius* vero *super nuntium erit*, forte quod post prophetas multa de τῆς ἀιωνίου κολάσεως aeterno supplicio comminatos, futura sit evangelica praedicatio, dilucide ea, quae de gehenna aliisque ἀτελευτήτων nunquam desituris cruciatibus sunt, explanans. » Hinc cum vocabulo *aeternum* alterum deinde subjiciat *interminabile* quippe ab Evangelio sancitum, uti ipse dicit, videant alii, num errore redarguendus sit Origenes.

Item Tomo XVI. n. 22. *in Matthaeum* symbolice interpretatos Christi verba de vendentium ejectione e Templo, omnem adimit a reprobis in vita futura salutis spem. Arguens namque illos, qui mundi sollicitudinibus feruntur: « fortasse, inquit, veniens Dominus ejiciat eos de templo Dei; quando ejectus nec spem habet regrediendi, unde ejectus est.» Amplius in Libro *Exhortatio ad Martyrium* inscripto n. 25. Scripturae Macchabaeorum auctoritati suffultus, tum omnium hominum adstruit resurrectionem, tum variam proborum ac reproborum sortem in judicio. Ita namque verba: *potius est ab hominibus discedentes, spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos*, explicat: « Resurrectione scilicet, qua non suscitabitur Tyrannus: non enim ad vitam sed ad contumeliam resurget, infamiamque sempiternam. »

Plura quoque pro argumento colligentur testimonia Origenis, si perlegeris, quae scripsit *in Psalmos*. In Homilia III. n. 19. Psalmi dicta: « *Et non confundantur in tempore malo*, soli, inquit, justi non confundentur in tempore malo. Tempus autem malum hic tempus judicii nominat propter multitudinem peccatorum, et eorum, quos saeva tormenta suscipient. Tunc ergo in tempore resurrectionis, cum omnes resurrexerint; et alii resurgent in vitam aeternam, alii in confusionem aeternam etc. » Deinde ex Evangelio Joannis

arguens, *veniat nox, quando nemo potest operari*, addit: « Et hoc de illo sibi vult tempore, quod erit post hoc seculum, quo unusquisque pro malis suis recipiet poenas. Tunc ergo dicit noctem illam futuram, quum jam nemo potest operari aliquid; sed quisquis tunc pascitur ex operibus suis, quae hic positus operatus est. Quum igitur nox fuerit, nemo operatur in illo tempore etc. » Unde sensus Auctoris hauritur, nunquam se spondere peccatoribus in altera vita poenitentiam, nec reatuum gravium nec suppliciorum remissionem.

Deinde ex persona Davidis precatus Dominum, inquit Homilia II. *in Psalmos* n. 5: « Omnibus flagellis emendari, verberarique paratus sum; et nihil horum recuso, tantum ut supplicia aeterni ignis effugiam. » Ulterius *in Psalmum* 38. 13. subdit: « Nisi igitur dimiseris mihi peccatum, et refrigeratus fuero antequam eo vadam, non habebo tempus poenitendi: neque in vita illa apud te ero. » Item Homilia II. in eumdem *Psalmum* n. 1.: *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges*, idest, ait, siquis exierit de hoc mundo; et secum tulerit imaginem terreni, nempe iniquitatis, propter hujuscemodi imaginem in civitate illa Dei ad nihilum redigetur; nec consequetur partem inter cives coelestis illius civitatis, qui coelestis imaginis non reportat insignia. »

Similiter *ex Selectis in Psalmum* 41. n. 4.: *Dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus*, angelos distinguit a doemonibus et ab hominibus: *Angelorum est enim*, ait, *semper secundum Deum operari; doemonum nunquam; hominum interdum recte, interdum non recte operari.* Quae sane accommodantur supra citatis de *Psalmo* VI.: *discedite a me omnes qui operamini iniquitatem* etc. *Doemonum est semper operari iniquitatem, hominum non semper; angelorum nunquam.* Ex quo inferas in perpetuum a diabolo spem salutis, sicuti a coelestibus spiritibus peccandi arbitrium, sublatam fuisse; adeo ut nec doemones salvari unquam possint, nec angeli peccare; ac ita docuisse Origenem. Insuper e *Selectis in Numeros* c. 22. 4. statuit, Deum ex substantia sua bonum, nunquam operari malum: *ἡ ἐναντία δυνάμις οὐδέποτε ποιεῖ ἔργον, καλὸν, ἀλλὰ πάντα χείριστα ἐνεργεῖ· Καὶ ὅπερ ἐνεργήσει κακὸν, ὢ δύναται ἀποκαταστήσαι ἐις τὸ βέλτιον. Ὀυ γάρ ἔχει τάξιν*

τοῦ κρείττονος. *Contraria virtus* (daemonium) *nunquam opus bonum operatur, sed omnia pessima facit; et quodcumque egerit malum, in melius instaurare nequit. Non enim habet melioris ordinem.* »

Quod autem ibi dicit Origenes de daemonibus nunquam servandis, ex quo semper operantur iniquitatem, alibi quoad homines suppliciis apud inferos damnatos aeternis ulla sine spe salutis, iterat, quorumdam arguens insipientiam, cum sibi suaderent, de gehenna eripere per preces quoscumque voluissent. Ezechielis namque sententiam: *ipsi soli salvabuntur Noe, Daniel, et Job,* exponens Homilia IV. n. 8. in eamdem, ita scribit: « Qui locus dupliciter intelligitur. Ac primum secundum communem sensum exponamus ob nonnullorum insipientiam, qui sensum animi sui, Dei asserunt esse veritatem; et frequenter dicunt: *futurum est ut unusquisque nostrum precibus suis eripiat quoscumque voluerit de gehenna.* Et iniquitatem introducunt ad Dominum, non videntes, quod justitia justi super eum erit; et iniquitas iniqui super eum; et unusquisque in proprio peccato morietur, et in propria justitia vivet. Nihil mihi conducit martyr pater, si non bene vixero etc. »

Huc quoque referenda sunt cetera hujuscemodi testimonia, quae nisi explicita, implicite saltem argumento nostro satisfaciunt. Ex *Selectis ad Hieremiam* c. XXIX. Pauli verba repetens: *tradere hujusmodi satanae ut spiritus salvus sit in die Domini,* peccatores ab Ecclesia ejectos hortatur, ut competenti tempore poenitentiam agant, ne extra Hierusalem maneant sine spe illuc revertendi: « Oportet autem ipsum, dum extra degit, curare ut domum aedificet, hortosque plantet: quae si non fecerit, neque symbolicum numerum septuaginta annorum compleverit, qui ad sabbatum quietemque spectat, non redibit communicaturus Ecclesiae; sed manebit condemnatus ut extra Hierusalem degat. » Alibi *in Epistolam ad Romanos* lib. II. n. 4. absolute dicit homines pravos in ignem mittendos esse aeternum, et quidem ex justo Dei judicio, qui reddet unicuique juxta opera sua. Sic docet contra haereticos frustra asserentes non pro operibus, sed pro natura unicuique Deum retributurum. Homilia XVII. *in Lucam,* in

regno Dei futuro distinguit Adamantius virginem et monogamum a digamo. « Licet enim, ait, digamus bonam habeat conversationem, et ceteris virtutibus polleat, tamen non esse de eo numero, qui nullam habeat maculam, neque insuper mittendum esse in ignem aeternum; sed ipsum esse de secundo gradu, qui salvantur quidem, tamen non coronantur. »

Similiter in *Epistolam ad Romanos*, Lib. III. n. 8. Apostoli verba expendens de Christo, *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum in sustentatione Dei ad ostensionem justitiae ejus etc.* tempus praesens distingnit a futuro, dicens propitiationem fieri in hoc seculo; ubi peccator per patientiam Dei adducitur ad poenitentiam; cum aliter futurum seculum statutum sit tantummodo ad judicium et condemnationem peccatoris; neque amplius sit poenitentiae locus nec salutis; quam quidem in hac vita sperare potest peccator, si resipuerit. Scribit enim: « Sustentatio Dei est, ubi peccator, non statim ac peccat, punitur; sed secundum quod ibidem dicit Apostolus, per patientiam Dei adducitur ad poenitentiam. Et in hoc ostendere dicitur justitiam suam Deus. Bene autem addidit *in hoc tempore; praesentis* enim seculi tempore in sustentatione est justitia Dei, futuri vero in retributionem. Justum namque apud Deum visum est, ut quia futurum seculum ad judicium statuerat, praesens sustentationi et patientiae deputaret. Nam si puniret in hoc tempore peccatorem, justum non videretur iterum ad judicium, quem punierat, revocare. Si vero sustentet et patiatur in praesenti seculo, recte erit judex justus in futuro. »

Item in eamdem *Epistolam* Lib. VIII. n. 4. a Proverbiorum Libro sententiam decerpens: *Erit enim cum invocaveritis me, ego autem non exaudiam vos* « in quo, ait, videtur mihi sapientia cohortari et perurgere eos, qui salvari volunt, ut citius invocent Sapientiam, nec morentur, neque differant: ne forte cum statutum tempus excesserit, in quo poenitendi facultas est, *tarde post hoc invocent, ubi poenitentiae locus non est.* » Et hoc est, quod potissimum alibi, et in *Periarchon* Lib. III. c. 1. ex libero arbitrio adstruit Origenes. Homines namque,

dum in hac vita degunt, ex se salutis suae, sive interitus et perditionis causam fieri, et adeo, ut inde post mortem nullus sit probis perditionis timor, sicuti pereuntibus nunquam salutis spes; ideoque ait Christus: *discedite maledicti in ignem aeternum.* » Deinde ibidem Lib. II. c. V. 2. contra eos, qui Deum Patrem Domini nostri bonum asserebant et non justum; justum vero esse Deum Legis et Prophetarum, scribit: « Tum deinde eum, quem bonum dicunt, si ad omnes bonus est, sine dubio et ad eos, qui perituri sunt, bonus est: et quomodo non eos salvat? Si non vult, jam non erit bonus: si vult et non potest, jam omnipotens non erit. Quin potius audiant in Evangeliis, Patrem Domini nostri Jesu Christi ignem praeparantem diabolo et angelis ejus. » Unde et arguas utrum damnatorum salutem velle aliquando Deum, etiamsi bonum, docuerit Origenes.

Similiter Homilia IX. n. 7. *in Librum Jesu Nave,* fideles introducens loquentes salutis propriae studiosos, alios, inquit, esse: « qui promissionum coelestium cupiditate succensi, summo studio et diligentia nituntur, ne una saltem minima eos beatitudo praetereat, habentes desiderium non solum benedictionis capiendae, et effici in parte sortis sanctorum, sed etiam assistere in conspectu Dei et semper esse cum Domino. Alii vero sunt, qui et ipsi tendunt ad salutem, sed non tam amore benedictionum, et desideriis inflammantur, quam hoc magis habent in prospectu, ut dicant: sufficit mihi non ire in gehennam: sufficit mihi non mitti in ignem aeternum; sufficit mihi non expelli in tenebras exteriores etc. » Ita porro locutus non tantum suam, quantum christianorum omnium sive Ecclesiae fidem exponit Origenes tum de gaudiorum, tum cruciatuum perennitate in vita futura.

Paulo post Homilia X. n. 3. in eumdem Librum allegorice ludens de annis servitutis ex Lege et inde hortatus christianos, ut in fine sex annorum, uti israelitae aliquando, a servitute evadant, ac ita in septimo anno liberi fiant, scribit: « Donec ergo quae hujus mundi sunt, sapis; et in his exerceris, et secundum carnem cogitas, necesse est te servire peccato. Cum vero ad septennarium numerum, idest ad scientiam Legis veneris, tunc require libertatem tuam, et re-

di ad paternam nobilitatem : ne si permanseris in malis tuis, et perseveraveris in peccatis, defixa in aure nota, velut qui, commonentis te Dei, et ad libertatem pristinam revocantis verba non audias, eris peccati servus in aeternum. » Idest non amplius erit poenitentiae locus, neque ad paternam nobilitatem reditus. Quoad autem harum, quas saepe memoravimus, Homiliarum sinceram Ruffini versionem, ubi nihil addidit nec subtraxit, nec emendavit, ausculta obiter, quae ideo Chromatio Episcopo Interpres scribit : « Siquid (in his XXVI. Origenis Oratiunculis) sane est quod placere potest, hoc sit Auctoris : neque enim quae aliis labore parta sunt, diripere, et nostrae laudi applicare justum putamus. Si vero vim sensuum oratio inculti sermonis exasperat, hoc vel mihi, vel (ut cum tua venia dixerim) tibi ipsi reputato: qui opus, quod eruditis deberet injungi, expetis ab indoctis ».

In Psalmum IV. ad illa verba: *quis ostendet nobis bona?* inquit, in futuro seculo peccatores in ignem aeternum tradi. Item in *Psalmum* 36. : *ne aemulatus fueris eum, qui prosperatur in via sua*, fideles hortatus ne scandalizentur de impiorum prosperitate in hoc mundo, subdit : « Et ideo nobis mandati hujus medela succurrit, ne cum haec viderimus, aemulemur; idest, ne irritemus Dominum, adversus nos loquendo talia in cordibus nostris. Sed recogitare debemus, quia praesens seculum eorum est, qui futurae beatitudinis non habent spem. »

Commendatissimus Romanae Ecclesiae Cardinalis Angelus Majus in Bibliotheca Vaticana, Codicem Lucubrationum *Libri Proverbiorum* per Origenem, reliquias continentem, reperit. In quibus sicuti in ceteris ejusdem scriptis, dogma de aeternitate poenarum perspicue roboratur. Verba namque ipsius Libri interpretatus c. I. 7. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, ait : « Rete est poena aeterna, et varia punitio, quae a justo judice impuris animabus imponitur, ut male natae alae perdantur. » Item in c. X. n. 96. ex verbis : *Vir cordatus ab aerumnis et calamitatibus non amburitur etc.* inquit : » Via vitae non solum ab aeterna aerumna, verum etiam abs qualibet vitae molestia, eos, qui malitiae sunt expertes, defendit. » Et paulo post : « At impius perditione per-

petua circumagitur, dum, quae Deo minime grata sunt, cupit, agitque.» Item ibidem: « In resurrectione, inquit, spes justi amandatur; ac eidem manent quae habet, nec pereunt: injusto vero et quod habet, extinguitur. »

Similiter in c. XIX. scribit: « Praecepta quatenus sunt a praecipiente Deo, ita appellantur. . . . Qui illa custodit, servat animam de morte ad vitam: qui contemnit τὸν ἀπέραντον θάνατον θανεῖται *interminabilem mortem morietur.* » Pariter in c. XX. 15. dicit Origenes: « Ventilator impiorum Christus est; isque impios insequitur, ut leo feras. Rota in area paleas a tritico secernens; seu rotam immittet, idest τὴν ἀναπόδιστον τιμωρίαν *poenam irrevocabilem.* » Et inferius subdit: « Reliquum est ergo ut qui cum inscitia illius (diaboli) iter fecerunt, cum eodem sint per secula seculorum; qui vero cum scientia Domini, cum Domino sint.» Valde insuper opportunum argumento nostro illud est, quod ait de concupiscentiis in c. XXI. 32: « Est etiam bona cupiditas: *quippe angelorum est, nihil unquam pravum cupere; doemonum vero semper male concupiscere; hominum denique modo concupiscere, modo secus.* » Hinc vide tres rationalium creaturarum status diversos in desideriis earum; angelorum scilicet in coelis Deo assistentium, qui quamvis sui juris, in pravum nunquam deflectunt, nec in seculum illud concupiscunt; doemonum, qui de statu meliori lapsi, perpetuo malum concupiscunt, nec unquam ad bonum conversuri; hominum denique, qui cum adhuc in hac vita degunt, ab angelis et doemonibus distincti, suo arbitratu usi, nunc malum concupiscunt, modo abominantur. Et ab hac simplici distinctione considera, num Origenes doemonum sortem aliquando commutandam fore cogitarit.

Sunt et aliae ibi Origenis sententiae, unde eruitur catholicus ejusdem sensus de perpetua damnatorum perditione. Tantummodo hic notare juvat, quae ipse in Fragmento Commentarii *in Matthaeum* a Gallandio edito, docuit; in quo, uti supra, loquitur de vitio *natura* facto in doemonibus sic ut fieri nequeat unquam ipsorum emendatio. Ait enim: « Porro in summe pravis propter nunquam intermissa peccata, vitium quodammodo φύσις *natura* evadit; qualis est satanas et

doemones. Potest enim quis etiam hos natura malos dicere, quamvis non natura malos creatos, sed ex arbitraria malitia depravatos ».

Item divus Hieronymus cujusdam mentionem agit *Dialogi* Origenis cum Candido Valentiniano circa doemonum naturam: in quo, licet s. Doctór putarit alias Origenem errasse, ut infra latius disputabimus, attamen confessus est, in hoc Dialogo recta sensisse de doemonis, post suum a Deo recessum, natura inconvertibili: quod nostris admodum favet disquisitionibus, eo magis quod ex professo ibi agatur quaestio. Sic enim scribit Hieronymus in libro II. adversus Ruffinum: « Rursus ad secundam veniunt quaestionèm (Candidus et Origenes). Asserit Candidus, diabolum pessimae esse naturae, et quae salvari nunquam possit. Contra hoc recte Origenes respondit, non eum periturae esse substantiae, sed voluntate propria corruisse, et posse salvari. Hoc Candidus vertit in calumniam, quasi Origenes dixerit, diaboli naturam esse salvandam. Quod ille (Candidus) falso objecerat, hic (Origenes) refutat ». Porro de hoc vocabulo *posse*, quod probe ex graeco interpretatur Hieronymus de praeterito, et non de futuro: et hinc *posse salvari* idem esse ac *poterat salvari*, uti ex proprietate linguae graecae, in sequentibus fusius tractabitur.

Denique palmare testimonium ceu totius quaestionis pro recta Origenis fide corona, et cunctam avertens adversantium incertitudinem, exhibetur in litteris, quas ad amicos suos alexandrinos misit ob quasdam calumniosas de hoc argumento et alias hujus generis imputationes. Ibi namque, quamvis Ruffinus et Hieronymus diverse in graeco codice legerint et exposuerint, uti infra dicetur; attamen satissime fidem suam nostramque inceptum roborat Auctor, inquiens: « Quidam eorum, qui libenter habent criminari proximos suos, adscribunt nobis et doctrinae nostrae crimen blasphemiae, quod a nobis nunquam audierunt. De quo ipsi viderint, nolentes observare praeceptum illud, quod dicit, quia: *maledici regnum Dei non possidebunt*, asserentes (seu *licet asserant* ut vult Hieronymus) me Patrem malitiae ac perditionis, et eorum, qui de regno Dei ejiciuntur, idest diabolum, dicere esse salvandum: quod ne aliquis quidem mente motus et manifeste

insaniens, dicere potest. » Et haec in Libro Ruffini de adulteratione librorum Origenis.

Testimonia hucusque a libris eruta Origenis non modica sane reputantur; nec minus perspicua, adeo ut explanatione indigeant, dicere fas est: neque praeterea obiter citata; nec studium unius horae, neque diei nec anni reputanda sunt; nec animi ardore, nec a zelo praeter scientiam provocata. Verum plurima tibi patent, certa et accurate expensa, tum fidelibus quam infidelibus objecta; et alacriter ubique, quas percurrit regiones, in concionibus, in Commentariis Bibliorum, in variis Tractatibus adversus haereticos, sive publicis in scholis, aut privatim, vel coram episcopis firmiter propugnata. Ac singulis in quaestionibus ad usque suae vitae exitum, Adamantius animo sedato suique perpetuo compos; in omnibus, qui adhuc supersunt, libris, talia nobis explicita, quae sexaginta et amplius numerantur, praeclara reliquit documenta de poenarum aeternitate, in futuro seculo reprobis infligendarum. Haud ergo immerito ad amicos suos alexandrinos scribens, uti nuper notavi, valde conquestus est, in vulgus transisse, quod a se nunquam excogitatum erat de doemonis ejusque sociorum salute; *quod nemo, ait, nec mente motus, nec insaniens dicere poterat.* Ac ideo maledicos illos vocavit, qui in eum tale blasphemiae crimen commenti erant. Jure igitur adjiciebat adversariis, qui ei hunc errorem inscripserant, nunquam talia eos ab ore suo audivisse.

Itaque ob hujusmodi Origenis obtestationem, quomodo dicendum erit cum Huetio, aliisve recentioris aevi scriptoribus, eumdem Platonis seu platonicorum errores complexum de suppliciorum fine: ipsos tenuisse, per sua opera sparsisse, atque illos veluti in aureo calice discipulis ac posteris propinasse? Verum haud mirum, recentiores in hac fuisse quaestione illusos; illud potius mirandum de veteribus et praecipue de Theophilo, Epiphanio et Hieronymo: qui saepius Origeni talem exprobrarunt errorem; a quo prorsus abfuit ejusdem sensus et fides. Haec interim de his scriptoribus delibasse sufficiat; alibi fusius disputabitur. Modo praefato argumento consequenter, ad cetera transeamus expendenda, novaque recentiorum adminicula, quibus Auctorem errasse, ostendere praesumunt.

CAPUT XII.

Vocabuli graeci αἰώνιον et latini aeternum *in proposita quaestione investigatur significatio juxta Origenis mentem.*

Profecto nemo ex hucusque enucleatis Origenis testimoniis ambigeret, opinor, de recto ejusdem cum Ecclesia Catholica consensu circa doemonum et reproborum in futuro seculo perpetua supplicia, nisi altera Huetii, Petavii et aliorum nobis obveniret difficultas circa graecanicam dictionem *αἰώνιον aeternum*. Si enim hujusmodi voce, uti perspicue in dogmate catholico habetur ac percipitur quoad futurae sive beatae sive miserae vitae statum nunquam desiturum, fuisset usus Origenes, (ac ita autumo instare adversarios) postquam talia decerpsi e suis scriptis argumenta; sane quaestio fere terminum suum attigisset, dubiaque evanuissent. Verum non ita se habet res; etenim vocabulum *aeternum* ab Origene sumi ad intervallum temporis longum, ac etiam longissimum, finem tamen aliquem consecuturum, inquiunt. Id autem potissimum probant ex Homilia VI. *in Exodum* n. 13, ubi Auctor verba exponens: *Domine, qui regnas in seculum et in seculum et adhuc,* scribit: « Quoties in seculum dicitur longitudo quidem temporis, sed esse finis aliquis indicatur. Et si in aliud seculum dicatur, aliquis sine dubio longior quidem, tamen ponitur finis; et quoties secula seculorum nominantur, fortasse licet ignotus nobis, tamen a Deo statutus aliquis terminus indicatur. Quod vero addit in hoc loco *et adhuc*, nullum sensum termini alicujus, aut finis reliquit. Quodcumque enim illud cogitaveris, in quo finem putes posse consistere, semper tibi dicit sermo propheticus *et adhuc*; velut si loquatur ad te et dicat: putas in seculum seculi regnaturum Dominum? *Et adhuc*, putas in secula seculorum? *et adhuc*. Et quomodocumque dixeris illud de regni ejus spatiis, semper tibi dicit propheta *et adhuc*. » Item in libro II. De Principiis c. III. 5. scribit: « Movet me autem in hoc Scripturae sanctae auctoritas, quae dicit: *in seculum et adhuc. Et adhuc* enim quod dicit, plus aliquid sine dubio quam secu-

lum vult intelligi; et vide ne illud, quod dicit Salvator, quia: *volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum : et sicut ego et tu unum sumus; et isti sint in nobis unum*, ostendere videatur plus aliquid, quam est seculum et secula, forte etiam plusquam est secula seculorum, id videlicet cum jam non in seculo sunt omnia, sed in omnibus Deus. » Et ex his arguunt adversarii terminum poenis apud inferos imposuisse Adamantium.

Itaque in his enucleandis, remissa quaestione, quomodo graeci scriptores profani hanc ἀιώνιον interpretati sint dictionem, num de finito, seu indefinito, vel infinito ac perpetuo temporis spatio dicere voluerint; satis mihi sit ostendere, primum quoad hanc definitionem in verbis *in secula et adhuc*, sive *in secula seculorum*, ista in sensu variare ab altero *aeternum* vocabulo, quod aliter definivit in libro I. c. 2. n. 11. *De Principiis*: « *Aeternum* proprie dicitur quod neque initium ut esset, habuit; neque cessare unquam potest esse, quod est. » Proindeque uniformiter in argumento de poenis futuri seculi statuendum est, Adamantium sine termino aevum sub eo vocabulo comprehendisse; et amplius sine ambagibus, absque dubio, ac sibi perpetuo constantem in hac fide et doctrina perseverasse; scriptisque suis contra haereticos et sermonibus ad populum hanc firmiter propugnasse sententiam, quemadmodum de praemiis in coelesti patria nunquam desituris docuit juxta dominicum effatum : *et ibunt ii in supplicium aeternum*; *justi autem in vitam aeternam;* inde concludens omnes actiones nostras bonas ac peccata deliquentium per ordinem in Evangelio esse posita, aut ad vitam aeternam, aut ad opprobrium et confusionem ἀιώνιον sempiternam.

Ceterum ab Origene in praefatis locis de verbo *aeternum* exposita quoad tempus quandoque finitum et praesertim in priscis Scripturis, a cunctis Bibliorum interpretibus comprobantur. Ideoque nihil mirum si talem Origenes Commentariis suis in *Leviticum* adjecerit distinctionem. Verumtamen pro argumento nostro, ac ubi praesertim de retributionibus in seculo futuro agebatur; sanctas Scripturas et Ecclesiae praedicationem sectatum esse (in *Periarchon* lib. II. c. X. n. 1.) fatetur: *quae comminantur judicii tempore, ignem aeternum et tenebras exteriores, et carcerem, et caminum, et alia his similia, peccatoribus praeparata.*

Et primum quidem, accepta eorum hypothesi, qui Origenem suppliciis reproborum terminum instituisse tenent, dicendum foret, Scripturas quoque et ecclesiasticorum Patrum, qui eum praecessere, traditionem, eumdem praesetulisse in hac re sensum; atque inde Adamantii doctrina de doemonum et pravorum, coeli sedibus aliquando admittendorum, haud unius viri esset, neque incerta; sed unanimi totius Ecclesiae firmata consensu. Atque insuper statuendum esset, Patres Apostolicos, ceterosque ante Origenis aevum, vocem ἀιώνιον *aeternum* alia penitus significatione percepisse, quam sine fine et termino; quod plane falsum est. Primaevi namque Ecclesiae Doctores Apostolorum ore imbuti, nemine excepto, sicubi de infidelibus, pravis, ac doemonibus apud inferos detinendis, locuti sunt, vocabulum *aeternum* sub interminabili temporis spatio sumpsere, ac definiere: quandoque ideo voce ἀΐδιως adjecta seu aliis similibus, quae omnem tollerent ab altera ἀιώνιον obscuritatem sive dubium, quodcumque supervenisset. Ita Clemens Romanus, uti paulo ante notatum est, igne inextinguibili, scribit, damnandas impiorum animas ac poenis nullum finem habituris. Irenaeus *semper beatos*, *semper* damnatos dicit. Tertullianus non *diuturnos* cruciatus appellat, sed *sempiternos*. Polycarpus ignem, qui extinguitur, ab alio, qui in perpetuum exardescet decernit. Clemens Alexandrinus flammam incessantem vocat inferni ignem: et sic de ceteris. Si ergo Origenes se Bibliorum sacrorum ac traditionis apostolicae auctoritati studuisse dicit de poenarum perpetuitate; proindeque si Patres apostolici et ii, qui eis successerunt, *aeternitatis* nomen concorditer ac luculenter de aevo interminabili interpretati sint; cur eidem imputandum erit, quod suppliciorum apud inferos terminum admiserit?

Christianus Stockius in Clavi Linguae Sanctae Novi Foederis, et Sebastianus Schmidius de vocabulo ἀιώνιον, Apostolorum mentem investigantes, illius sensum alias absolute dixerunt sumi, idest quod neque initium, neque finem indicat, uti Deus, qui dicitur ἀιώνιος aeternus aeternitate absoluta, et alias sensu restricto obvenire, quod scilicet initium novit, non vero terminum. Et hoc sub significatu, inquiunt, venit, cum agitur de morte seu de vita aeterna pravis pro-

bisve destinata. Tantummodo Apostolus in Epistola II. ad Timotheum c. II. et altera ad Titum c. I. *in spem vitae aeternae, quam promisit, qui non mentitur, Deus ante tempora secularia*, non solum de futuro illud vocabulum dicit, sed et de praeterito; cum Deus, antequam essent tempora secularia, idest cum adhuc mundus non esset, aeternae vitae praemia spopondit, non tempus sed rem, quae est in tempore ibi indicans.

Sed quid amplius contra catholicum dogma facit, si Adamantius prope Scripturas Veteris Testamenti, verba *in aeternum in seculum seculi* explanans, ea aliquando tempus finitum, quandoque infinitum exprimere affirmarit? Id sane interpretes omnes senserunt ac docuere. Nihil ergo hoc dogmati de nunquam desituris suppliciis officit, cum ipse satis satisque perspicue sensum suum de eo vocabulo explanaverit circa futurum hominum statum, et retributionem eis debitam: ac potissimum cum opus urgeret de ea re disserendi, ac dubia sustollendi.

Et re quidem vera, primum *in Epistola ad Romanos* Libro VI. 5. 6. Apostoli verba interpretatus: *nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam*, ita scribit: « De vita autem aeterna, quamvis et in aliis locis saepe a nobis dictum sit, tamen et in praesenti breviter perstringendum est, quod aeternitas in Scripturis aliquando pro eo ponatur, ut in praesenti quidem seculo finem non habeat, habeat tamen in futuro. Aliquando temporis alicujus, vel etiam vitae unius hominis spatium aeternitas appellatur, ut est illud in Lege scriptum de servo hebraeo: *si dilexerit*, inquit, *uxorem suam et filios suos; et permanere voluerit in servitute propter ipsos subula*, inquit, *pertundes aurem ejus in poste, et erit tibi servus in aeternum*. Aeternum hic sine dubio tempus vitae hominis posuit. Et iterum in Ecclesiaste dicitur: *generatio vadit, et generatio venit; terra autem in aeternum stat*: hic *aeternum* praesentis seculi tempus ostendit. Ubi vero dicit *vitam aeternam*, ad illud aspiciendum est quod ipse Salvator dixit: *haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*: et iterum: *ego sum via, et*

veritas et vita. Et ipse Apostolus in aliis dicit: *quia rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et ita semper cum Domino erimus*. Sicut ergo semper cum Domino esse, finem non habet, ita et vita aeterna nullum finem habere credenda est.

« *Stipendia enim peccati mors: gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro*. Simile est hoc, quod dixit, *stipendia peccati mors*, illi, quod superius dixerat, *finis autem illorum mors*. Quorum autem? Illorum sine dubio, *pro quibus nunc erubescitis*, quorum fructus nec nominare quidem aestimat dignum. Et iterum, *gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Jesu Domino nostro* simile est illi, quod dixit: *habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam*. Bene autem metaphoram, idest figuram militiae ex initio propositam servat, ut militantibus sub peccato rege, immo potius tyrannidi ejus parentibus, stipendia debita mortem dicat absolvi. Deum vero non erat dignum, militibus suis stipendia quasi debitum aliquod dare, sed donum et gratiam, quae est *vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro*. Ego non puto etiam hoc vacuum esse, quod ad *vitam aeternam* addidit *in Christo Jesu Domino nostro*; sed quia fortassis sciri voluit, aliud esse vitam aeternam solum, et aliud vitam aeternam in Christo Jesu. Et illi enim, qui surgent in confusionem et opprobrium sempiternum, habebunt quidem vitam aeternam, non tamen in Christo Jesu, sed in confusione et opprobrio aeterno; justi vero, qui surgent in vitam aeternam, in Christo Jesu habebunt vitam aeternam. » Quis inde aliter, quam docet Ecclesia Catholica, inferre potuerit, de suppliciorum perpetuitate apud inferos sensisse Origenem? Postquam enim solerti studio vocabulum *aeternum* ejusque varios usus, modo quoad tempus finitum, nunc de infinito explanaverit; rursus in proposita quaestione de proborum reproborumque vita in futuro seculo, eamdem vocem *aeternum* usurpans statuit, ipsam sempiterni aevi praeseferre sensum, idest sine fine et cum Deo perseverantis; quin deinde aliquam damnatis in die novissimo relinquat ad beatitudinem coelestem restaurationis spem.

Insuper verba disquirens Evangelii: *ejicite enim eum in tenebras exteriores, in Joannem* Tomo 28. n. 7. scribit: « sed

quaeres de eo, qui non indutus erat veste nuptiali, de quo dictum est: *ligatis illius manibus et pedibus, ejicite enim eum in tenebras exteriores*, utrum ἀεὶ perpetuo maneat ligatus, et in tenebris exterioribus (non enim additur vocabulum illud *in seculum*, vel *in secula*) an aliquando solvendus sit. Non enim apparet ex his, quae de ipso dicuntur, scriptum fuisse de futura ejusdem liberatione; nec mihi tutum esse videtur de aliquo pronunciare, quod assequutus non fueris; praesertim cum litteris non sit expressum. » Ideoque cum Origenes paveat definire tempus, quo homo non indutus veste nuptiali, in tenebris exterioribus tenendus sit, num scilicet in perpetuum an ad tempus finitum; et cum hujusmodi animi sui suspensio ex eo derivet, quod non ibi inscriptum sit ἐις τὸν ἀιῶνα *in seculum*; satis suam de poenis aeternis cum Ecclesia Catholica fidem manifestat. Cum enim ait, si ibi additum fuisset *in seculum* vel *in secula*, nunquam vir ejectus in tenebras exteriores, egressurus inde foret, patenter indicat in hoc sese accommodare voluisse universae Ecclesiae dogmati de sempiterna pravorum damnatione. Porro de tenebris exterioribus inferius disceptabitur.

Alibi Scripturae verba conferens: *lux justis semper, lux autem impiorum extinguetur*, lumen *aeternum* quod est Christus, alteri lumini, quod est temporale, anteponit: « Vides ergo quia est propria quaedam lux impiorum, quae extinguitur, et lux justorum, quae permanet *in aeternum*. Paulo post: « Anima nostra, aut vero lumine illuminatur, quod nunquam extinguetur, quod est Christus; aut si non habet in se istud lumen, quod aeternum est, temporali sine dubio et extinguibili lumine illuminatur etc. » Sic Homilia I. *in Librum Judicum*.

Insuper Christi sententiam explanans: *In patientia vestra acquiretis animas vestras*, eamdem tradit vocabuli *aeternum* definitionem: « Christianorum ergo, scribit, est pressuram pati in hoc seculo, et lugere, quorum est vita aeterna. Et vis scire quod nullius est vita aeterna, nisi ejus, qui credat in Christum? Audi Salvatoris ipsius vocem evidenter in Evangeliis designantem: *haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum*.

Omnis ergo (inquit *in Epistolam ad Romanos* lib. II. n. 7.) qui non agnovit Patrem solum verum Deum, et Filium ejus Jesum Christum, alienus est ab aeternitate vitae. Haec enim ipsa agnitio et fides vita esse designatur aeterna. Est igitur primus hic christianorum locus, quibus per patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerentibus, vita aeterna reddetur, illa sine dubio, quae dicit: *ego sum via, veritas et vita.* In Christo autem, qui vita aeterna est, bonorum omnium est plenitudo. » Cum ergo in hoc seculo vitam, a futura distinguat; ac amplius illius vitae futurae *aeternitas* ab Adamantio vitae Dei aequiparetur, qui manet in perpetuum; patet hanc dictionem *aeternum* interminabile tempus complecti, quod finem nesciat, sicuti antea dictum est. Idcirco quandoquidem ait Origenes, pravos et doemones cruciatibus aeternis mulctari, ab ipsis quamcumque tollit etiam post aevi diuturnitatem, salutis expectationem.

Quod autem argumentum nostrum roborat, et inde scimus, quod loco *αἰώνιον* aeternum substituerit *ἀεὶ semper*; et quandoque *ἀτελεύτητον interminabile;* uti *in Ezechielem* scribit, inquiens: « *Nuntius* vero *super nuntium erit*, forte quod post prophetas multa de *αἰώνιον* aeterno supplicio comminatos, futura sit evangelica praedicatio, quae dilucide gehennam et *ἀτελεύτητα* nullum finem habitura tormenta explicet. » Secundo e libro VIII. *contra Celsum* n. 48. 49. 50. cernitur ambos et Celsum et Origenem de suppliciis, quae pravos manent in altero seculo, disquirentes ad invicem, ita quaestionem, veluti et antea praenotatum est, instituisse, ut, quam vocabuli *aeternum* definitionem hucusque contuli, magis firmetur. Celsus namque ad Virum christianum locutus ait: « Enim vero, bone vir, quemadmodum tu credis aeterna supplicia; sic et illorum sacrorum interpretis initiatores et mystagogi. » Paulo post rursus Celsus inquit *iniquos πάμπαν αἰωνίοις κακοῖς penitus aeternis malis cruciatum iri.* Origenes pariter Celsi sententiam accipit, probatque, cruciatus apud inferos *πάμπαν αἰωνίους omnimode sempiternos* vocans. Cum ergo ambo, Celsus nimirum ex gentium traditionibus et Adamantius ex doctrina apostolica, aeternas nuncuparint poenas in altero seculo; ac insuper addiderit *πάμπαν totaliter*

(quae vox terminum quemcumque iis poenis excludit, quavis inde salutis spe sublata a damnatorum animis) indubia Origenis mens de hoc dogmate ostenditur, ac una cum Ecclesia Catholica, ejusdem consensus. Et quemadmodum coram Celso, ac christianis omnibus palam se credere profitebatur; ita in eadem sententia perseverasse, compertum est. Quapropter jure meritoque cum amicis suis alexandrinis Origenes conquestus est de calumnia; quod nonnulli ei adscripserint se nempe docuisse, *patrem malitiae ac perditionis et eorum, qui de regno Dei ejiciuntur, idest diabolum, fore salvandum.*

Tandem huc revocatis, quae in hoc capite, et praesertim in praecedenti discussa sunt, Origenis dictis de doemonum ac pravorum sorte in altero seculo, mihi liceat haec objicere adversariis. Si *quandoque bonus dormitat Homerus*, toties vero dormitasset Origenes, ut, cum ad sexaginta et amplius vices (ceu in praefatis ostendi) aeternis et nunquam desituris putaverit doemones et reprobos mulctandos esse poenis, item ex adverso tantumdem, uti visum est priscorum quibusdam, ac fere universim sequioris aevi scriptoribus, docuisset, aliquando, idest post longissima temporis intervalla fore doemones et reprobos redimendos ab inferorum poenis: quod mihi sane stupendum et fere incredibile reputatur. Quamobrem eodem studio et solertia, quibus hucusque Origenis testimonia diluimus, dogma comprobantia de perpetua doemonum ac reproborum damnatione; ceterorum ei adversantium pergamus investigare sensum, fere ejusdem numeri, testimoniorum; quae contra hanc de suppliciis sempiternis catholicam veritatem pugnare existimantur.



CAPUT XIII.

Huetii, Petavii et ceterorum exploduntur argumenta, quibus visus est terminum poenis in futuro seculo admisisse Origenes.

Qui damnatorum non nisi piaculares poenas ac inde temporaneas docuisse Adamantium asserunt, duplici ratione mihi errasse videntur. Primum, quod modica satis solertia testimonia Origenis investigarint, ea inquam, in quibus dogma de suppliciis aeternis confessus est, explanavitque; quae sane, veluti usque adhuc considerastis, nec parvo numero, neque minori perspicuitate tradidit, verum sedulo expensa posteris commendavit. Secundo, et ubi opinor eosdem esse deceptos, in eo versatur, quod ipsi, quemadmodum in quaestione praefata de s. Gregorio Nysseno patefactum est, haud aeque animadverterint, neque secreverint quae Origenes ait circa hominis conditionem. Ipse enim tres humanae naturae status considerat, primum scilicet in seculo praesenti, secundum post mortem usque ad resurrectionem, tertium post judicium novissimum. Quos sane status si advertissent, nequaquam mihi suadeo, redarguissent Origenem quasi dogmati de suppliciorum aeternitate refractarium. Ideoque, quam fieri potest, trinos hujusmodi status partim disquiramus, et enucleemus sicuti ipse egit; et omnia, quae adversarii contra Adamantium dixere quoad ejusdem doctrinam de impiorum salute in vita futura, merum commentum fuisse, compertum fiet.

Et re quidem vera, praefatam distinctionem saepe statuit Origenes; et quae cuique hominis statui competunt, ita designat ut ad invicem non confundantur, et potissimum in iis, quae post obitum corporis usque ad resurrectionem et ante judicium novissimum homini superventura sunt, ut incorruptionem assequatur et immortalitatem. Prophetica verba: *si fuerint in tempore illo Noe et Daniel et Job, et ipsi soli salvabuntur*, mystice exponens de Noe, scribit *in Ezechielem* Hom. IV. 8. « Vide Noe ante diluvium, considera mundum integrum, et eumdem post Noe in totius orbis naufragio so-

lum cum suis filiis et animalibus in arca servatum: considera quomodo post diluvium egressus sit, et plantaverit vineam, quodammodo secundi rursus orbis creator existens. Talis est justus; vidit mundum ante diluvium, hoc est ante consummationem: vidit mundum in diluvio in corruptione et interitu peccatorum, quae in die sunt eventura judicii: rursum videbit mundum in resurrectione omnium peccatorum. » Item ex Daniele dicit, qui tria tempora vidit ante captivitatem, in captivitate, et post captivitatem et sic de Job loquitur; et denique concludit: « Tria vident justi tempora, praesens nimirum tempus: commutationis tempus, quando judicaturus est Deus; et futurum tempus post resurrectionem mortuorum, idest vitae coelestis perpetuitatem in Christo Jesu ».

Hujusmodi positis de tribus naturae humanae statibus, eorumque inspecta differentia, quam prae oculis quotidie habuit Origenes, huc usque statuendum est, expiationem, quam docuit necessario humanitati universae inferendam, ac longiori vel minori intervallo explendam post obitum, ad medium sive ad secundum tempus pertinere, et ad illud reapse, quod morti et judicio postremo intercedit, et nequaquam ad subsequentem judicio aetatem. Ac ideo nihil inde arguendum est, uti velint adversarii, Adamantium terminum reproborum poenis definiisse in eo, quod ait de *palingenesia* regeneratione, seu *apocatastasi* restauratione, sicuti de lustrationibus naturae nostrae corruptae necessariis. Istae namque lustrationes per ignem, et ipse dicit eo tantummodo vertunt, ut incorruptionem et immortalitatem naturae in Adámo peccatrici ac perditae conferant, omnibus malitiae vestigiis in homine deletis, ut in aeternum vivat.

Et quidem sane Origenis scripta ineamus, et speciatim sententias perscrutando, ubi ea, quam statui distinctionem, circa naturae humanae expiationem ante judicii novissimi diem explendam, patefiet. Et primo audiatur in iis, quae scribit contra haereticos de corporum resurrectione ex Apostoli verbis: *alia caro volucrum, alia piscium . . . . alia gloria solis, alia gloria lunae, et alia gloria stellarum etc.* inde probans, cunctis ad resurrectionem venientibus, cujusvis et proborum

et improborum corpora una simul in gloriam iri instauratum uti docuit Nyssenus. In Libro II. *de Principiis* c. X. n. 3. ex Apostolo *omnes autem immutabimur*: « ita namque, ait, etiam corpora nostra velut granum cadere in terram putanda sunt: quibus insita ea, quae substantiam continet corporalem, quamvis emortua fuerint corpora et corrupta atque dispersa, verbo tamen Dei ratio illa ipsa, quae semper in substantia corporis salva est, erigat ea de terra, et restituat, ac reparet, sicut ea virtus, quae est in grano frumenti, post corruptionem ejus et mortem reparat ac restituit granum in culmi corpus et spicae. Ita his quidem, qui regni coelorum haereditatem consequi merebuntur, ratio illa reparandi corporis, quam supra diximus, Dei jussu ex terreno et animali corpore corpus reparat spiritale, quod habitare possit in coelis; his vero, qui inferioris meriti, vel abjectioris, vel etiam ultimi et abstrusi, pro uniuscujusque vitae atque animae dignitate, etiam gloria corporis et decus datur: ita tamen ut etiam eorum, qui ad ignem aeternum vel ad supplicia destinandi sunt, per ipsam resurrectionis permutationem ita corpus incorruptum sit, quod resurgit, ut ne suppliciis quidem corrumpi valeat et dissolvi. » Interim ex his novissimis verbis, videas, quomodo praemissa restitutione in pristinum, ac una resurrectione, statuat cuique retributionem aeternam sive in bonum sive in malum.

Deinde ita expositis quae ad incorruptionem et gloriam corporum pertinent in resurrectione, explanaturus transit quomodo, mediante secundo naturae nostrae stadio, homines universim sordibus *chackïas* malitiositatis ob protoparentum culpam contractis expiandi sint, ut incorruptibiles fiant, et ad vitam evehantur sempiternam juxta apostolica verba: *novissima destruetur mors*. Et sic ait in Lib. III. *Periarchon* c. VI. n. 5. 6. « Propterea namque etiam novissimus inimicus, qui mors appellatur, destrui dicitur, ut neque ultra triste sit aliquid, ubi mors non est, neque adversum sit, ubi non est inimicus. Destrui sane novissimus inimicus ita intelligendus est, non ut substantia ejus, quae a Deo facta est, pereat, sed ut propositum et voluntas inimica, quae non a Deo, sed ab ipso processit, intereat. Destruetur ergo non ut non sit, sed ut

inimicus non sit, et mors. Nihil omnipotenti impossibile est, nec insanabile est aliquid factori suo: propterea enim fecit omnia ut essent, et quae facta sunt, ut essent, non esse non possunt.

« Propter quod mutationem quidem varietatemque recipiunt, ita ut pro meritis vel in meliori vel in deteriori statu habeantur; substantialem vero interitum ea, quae a Deo ad hoc facta sunt ut essent et permanerent, recipere non possunt. Non enim, quae opinione vulgi interire creduntur, continuo etiam vel fidei vel veritatis ratio ea interire consenserit. Denique caro nostra ab imperitis et infidelibus ita post mortem deperire existimatur, ut nihil prorsus reliquum substantiae suae habere credatur. Nos vero, qui resurrectionem ejus credimus, immutationem ejus tantummodo per mortem factam intelligimus, substantiam vero ejus certum est permanere, et voluntate creatoris sui, certoque tempore rursus reparari ad vitam; atque iterum permutationem ejus fieri, ut quae primum fuit caro ex terra terrena, tum deinde dissoluta per mortem, et iterum facta cinis ac terra, *quoniam terra es*, inquit, *et in terram ibis*, rursus resuscitetur e terra; et post hoc prout jam meritum inhabitantis animae poposcerit, in gloriam corporis proficiat spiritalis.

« In hunc ergo statum omnem hanc nostram substantiam corporalem putandum est perducendam, tunc cum omnia restituentur, ut unum sint, et cum *Deus fuerit omnia in omnibus*. Quod tamen non ad subitum fieri, sed paulatim et per partes intelligendum est, infinitis et immensis labentibus seculis, cum sensim et per singulos emendatio fuerit et correctio prosecuta, praecurrentibus aliis et velociori cursu ad summa tendentibus; aliis vero proximo quoque spatio insequentibus, tum deinde aliis longe posterius; et sic per multos et innumeros ordines proficientium, ac Deo se ex inimicis reconciliantium, pervenitur usque ad novissimum inimicum, qui dicitur mors, ut etiam ipse destruatur, ne ultra sit inimicus. Cum ergo restitutae fuerint omnes rationabiles animae in hujuscemodi statum, tunc natura etiam hujus corporis nostri in spiritalis corporis gloriam perducetur. Sicut enim de rationabilibus naturis videmus, non alias esse, quae

pro peccatis in indignitate vixerint, et alias, quae pro meritis ad beatitudinem invitatae sint; sed has easdem, quae ante fuerant peccatrices, conversas postmodum et Deo reconciliatas videmus ad beatitudinem revocari. Ita etiam de natura corporis sentiendum est, quod non aliud corpus est, quo nunc in ignobilitate et in corruptione et infirmitate utimur; et aliud erit illud, quo in incorruptione et in virtute et in gloria utemur: sed hoc idem, abjectis his infirmitatibus, in quibus nunc est, in gloriam transmutabitur spiritale effectum, ut quod fuit indignitatis vas, hoc ipsum expurgatum fiat vas honoris et beatitudinis habitaculum. In quo statu etiam permanere semper et immutabiliter Creatoris voluntate est credendum, fidem rei faciente Apostoli sententia dicentis: *domum habemus non manufactam, aeternam in coelis.* »

Ex hucusque dictis patet, Origenem, cum ait novissimam destrui mortem idest peccatum in carne, quod non est a Deo, essentias vero a Deo ipso creatas manere, nolle tertium conditionis humanae statim post judicium novissimum considerare, verum secundum intervallum post obitum corporis. Ibi sane totus in eo est Origenes ut contra infideles, carnis nostrae per mortem dissolutae fieri posse statuat reparationem ac resurrectionem; ut inde, prout in primo stadio sese cum anima gesserit, retributionem accipiat. Ideoque docet necessario fore substantiae nostrae corporeae *palingenesiam* regenerationem, seu restaurationem in pristinum. Quae tamen non subito sed paulatim et per partes et post longum, vel longissimi temporis spatium, fiet, donec scilicet expiata fuerit a malitiositate; ac ita incorruptionem et gloriam, quam in peccato amiserat, assequatur, et fiat spiritalis, uti ait Apostolus. Et haec omnia humanitati nostrae eventura Adamantius aperte dicit nequaquam post resurrectionem, seu post judicium novissimum; sed in ejus aevi intervallo, quod inter mortem cedit et resurrectionis diem; adeo ut nihil inde statui possit contra dogma de poenarum aeternitate, quam citati Scriptores immerito existimarunt Origenem negasse.

Quod autem idem ipse scribit circa substantiae corporeae mutationem (naturae rationalis more, quae peccati rea, per resipiscentiam conversa, Deo reconciliatur) nullimode dam-

natorum salutem respicit. Sed tantum ab exemplo hoc dicit, fieri nempe posse, ut Deus corpus nostrum ad incorruptionem restituat; non autem post judicium, et sententiam: *ite maledicti* quasi mentem reproborum mutare velit Dominus; hoc non vult Origenes. Ideoque post pauca subdit, duas naturas condidisse Deum, visibilem et corpoream unam, alteram invisibilem et incorpoream: « Illa quidem invisibilis, quae rationabilis est, animo propositoque mutatur pro eo, quod arbitrii sui libertate donata est; et per hoc aliquando in bonis, aliquando in contrariis invenitur. Haec vero natura corporea substantialem recipit permutationem: unde et ad omne, quod moliri, vel fabricare, vel retractare voluerit artifex omnium Deus, materiae hujus habet in omnibus famulatum, ut in quascumque vult formas vel species, prout rerum merita deposcunt, naturam corpoream transmutet et transferat; quod evidenter Propheta designans ait: *Deus, qui facit omnia et trasmutat.* » Unde amplius arguatur, Origenem minime in citata pericope loqui de poenarum cessatione postremo judicio subsecutura. Secus destrueret, quod paulo ante firmavit.

Quod vero ibi ait Auctor de corpore spiritali, ejusdemque virtute, gloria, bonitate, beatitudine in resurrectione juxta Apostoli sensum ad Corinthios, cum nihil dogmati officiat de perpetuitate poenarum, infra speciali tractatu expendetur. Tantummodo hoc adjiciam, quemdam fortasse adversus expensa de omnium universim sorte post resurrectionem instare, aliter interpretatum postrema Origenis verba de Apostoli Scriptura decerpta, suoque aptata argumento. Dicit enim: « In quo statu (honoris ac beatitudinis corpus) etiam permanere semper et immutabiliter Creatoris voluntate, credendum est, fidem rei faciente sententia Apostoli dicentis *domum habemus non manufactam, aeternam in coelis.* » Quasi putandum sit, omnes bonos et malos simul aliquando futuros in coelis, ibique manere. Quamobrem et Apostoli et inde Origenis sensum in citato testimonio scrutari praestat. Apostolus itaque hortatus Corinthios, libenter pati persecutiones in hac vita, scientes fore aliquando ut corpus nostrum mortale instauretur in corpus immortale, et sic in aeternum vi-

vat, inquit in c. V. 1. 2. Epistolae II.: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes.*

Quamvis porro Apostolus sic locutus, credentes in Christum videatur speciatim comprehendere; tamen quoad hanc domus dissolutionem et renovationem, non solum fidelium sed et infidelium corpora considerat, etsi sortem imparem consecuturi sint. Diversimode dicendum esset, excludi a resurrectione omnes reprobos, quod certe non vult Apostolus. Nisi quod cum ipse sentiret tribulationes a se uti a suis, toleratas in Evangelii ministerio, adeo ut quotidie in discrimine vita sua versaretur, confidens inquit, etsi corpus praesens dissolvendum sit, ceu domus terrestris, quae corrumpitur, nec perpetuo manet; nihilominus alteram domum idest aliud corpus induendum sibi esse, coelesti manu, non terrena compactum, nec unquam corrumpendum, quippe a Deo expurgatum ab humanis infirmitatibus. Et in his dictis omne comprehendit humanum genus sub peccato perditum et hinc in corpore corruptibile. Ideo dicens *domum non manufactam, aeternam in coelis*, ista nempe vocabula *in coelis* non refert ad homines quoscumque in coelis collocandos, quasi bonos et malos indistincte ibi habitaturos; sed refert ad domum seu ad corpus, quod, cum terrenum sit, et ex natura sua dissolvatur, istud ipsum futurum sit, ut coelesti manu elaboratum iterum, fiat corpus coeleste, a Deo non ab homine aedificatum. Sive, futurum est, ait, ut corpus in resurrectione non ex terra, ast a coelo repetat regenerationem; et non quorumdam idest Apostoli et suorum, non fidelium tantummodo, sed totius generis humani: *cum omnes*, subdit postea, *nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* Si autem praefata elocutio *in coelis* obscura appareat ex sequentibus patefit: *Nam et in hoc*, ait, *ingemiscimus*, τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ *habitaculum nostrum quod de coelo est, superindui cupientes.* Habitaculum enim nostrum de coelo existens cum dicit, nequaquam statum nostrum in

coelis, bonis coelestibus cumulatum, indicat, sed corporis nostri in resurrectione restitutionem, sive instaurationem, non ab hominibus, non opere humano expletam, sed divina ac coelesti aedificatione, ut illud incorruptibile et aeternum maneat.

Et hoc quidem luculentius interpretatus est Chrysostomus Homilia X. *in Epistolam ad Corinthios* n. 1. ita disserens: « Sunt qui per *terrestrem domum* mundum hunc intelligunt; ego vero his verbis corpus potius subindicari contenderim; atque hinc velim consideres, quomodo per nomina ipsa ostendat, quantum futura praesentibus antecellant. Nam cum terrestrem dixisset, coelestem opposuit; cum tabernaculi domum, quo verbo fluxam et fragilem ipsius naturam declarat, objecit aeternam. Etenim tabernaculi nomen plerumque temporarium quidquam indicat. Ac proinde ajebat Christus: *in domo Patris mei mansiones multae sunt.* Quod si Scriptura quietem sanctorum tabernaculi nomine uspiam appellat, non simpliciter dicit *tabernaculum*, sed cum addito. Non enim dixit *ut eos recipiant in tabernacula*, sed *in aeterna tabernacula.* Jam vero cum dixit *non manufactam*, eam, quae manu constructa est subindicavit. Quid igitur; corpus ne manu conditum est? Minime vero, sed vel domos non manufactas designat; vel si non ita, domum tabernaculi, corpus non manufactum vocavit. Non enim ad comparationem illud opposuit; sed encomia et laudes adjiciens. *Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes.* Quam habitationem? corpus a corruptione alienum. Et cur nunc ingemiscimus? Quoniam illud melius est. De coelo autem ipsum esse ait, quia ab omni corruptione immune est. Non enim corpus, quod e coelo ad nos venit, delebitur; sed hoc vocabulo gratiam illinc manantem indicat etc. »

Et haec eadem declaravit in Homilia *De Resurrectione* n. 6. ex ipso Pauli testimonio, « Domum autem tabernaculi corpus dicit, rem unam duobus nominibus explicando. Vel domum tabernaculi vocat domos, in quibus habitamus, civitates et figuram praesentis vitae. Et non simpliciter dicit *scio* sed *scimus*; et auditorum quoque sententiam assumpsit, dicens: non de rebus ambiguis, non de iis, quae nesciuntur,

sed de quibus jam quidem fidem suscepistis, credentes in resurrectionem Domini: et ob hoc tabernacula vocamus corpora eorum, qui decedunt. Vide autem quomodo et verbo apposite usus est. Non dixit occisum est, vel disparuit, sed dissolutum est; quo declaravit, ipsum dissolvi ut resurgat fulgidius, ut inveniatur clarius .... Quod autem resurget, *domus* nomine vocat, et non simpliciter domum, sed aeternam, nec solum aeternam, sed coelestem, excellentiam ejus tam a tempore, quam a loco subindicans. Haec enim terrestris est, illa coelestis, haec temporalis, illa aeterna. » Hinc eruas quo sensu accipienda sint apostolica verba: *domum habemus non manufactam, aeternam in coelis*, et quomodo non de quorumdam, at de omnium loquatur corporibus resuscitandis, quae de coelo, ait, futura, quia ab omni corruptione immunia ideoque meliora quam nunc sunt. Et totum hoc aptissime exposuit Chrysostomus, probeque interpretatus est Origenes relate ad regenerationem corporis resurrecturi in novissima die, cui omne participabit genus humanum.

Hactenus dicta de necessitate, ratione ac tempore substantiae nostrae corporeae regenerationis, pro eo, quod, ut velint adversarii, proposito officiant, amplius illustrant, ita ut et pateant dicta Homiliae VIII. n. 4. *in Leviticum*: « Sed interim quae peperit masculum, octava die et qui natus est, circumciditur, et illa fit munda. Satis operosa res est, in hac brevitate temporis ista constringere. Tamen ut in transcursu aliqua dicamus, septimana haec praesentis vitae tempus videri potest. In septimana namque dierum consummatus est mundus. In quo donec sumus in carne positi, ad liquidum puri esse non possumus, nisi octava venerit dies; idest nisi futuri seculi tempus affuerit. In quo tamen die, qui masculus est, et viriliter egerit, statim in ipso adventu futuri seculi purgatur; et statim munda fit mater, quae genuit eum. Purgatam namque vitiis carnem ex resurrectione recipiet. Si vero nihil in se habuit virile adversum peccatum; sed remissus et effoeminatus fuit in actibus suis, cujus peccatum ejusmodi est, quod non remittatur neque in praesenti seculo neque in futuro: iste transit et unam et aliam septimanam in immunditia sua, et tertia demum incipiente oboriri

septimana, purgatur ab immunditia sua, quam, foeminam pariendo, contraxit. »

Hinc eruas, quomodo Origenes peccatum in carne, quo expiatur homo in ingressu futuri seculi vel ultra, sed tamen ante judicium novissimum, distinguat a voluntate hominis paccatrice. Si namque ipse non aeque distinxisset culpam ab immunditie, qua humanitas nostra ideo afficitur: et unde ipsa in secundo post obitum aevo lustratur, ut munda inveniatur in resurrectionis die, tunc in apertam antilogiam laberetur Origenes. Antea enim dixit peccatum tale esse, quod nunquam remittitur in hoc seculo neque in futuro; et statim postea subdit post tertiam septimanam purgari ab immunditia sua. Ceterum si ibi secernas peccatum in carne, quo natura humana laborat, quodque magis vel minus coalescit in nobis juxta actus nostros, quodque tandem post mortem penitus sustolletur, ut incorruptibilis fiat et immortalis substantia corporea; si, inquam, secernas ab altero quod peccatum proprie dicitur et in nostra voluntate degit, quodque nisi in hac vita per poenitentiam expietur, nunquam deletur, nec aliquando remittetur in futuro seculo; tunc plane sese habebit sermo Adamantii. Juxta sane praefatam distinctionem dicens: *in prima, vel secunda, seu tertia septimana expiari hominem ab immunditie*, illud comprehendit tempus medium inter mortem et resurrectionem, quo homo ab ea, quae est in membris suis, malitia detergitur, ut perpetuo vivat, immortalitatem in corpore consecutus. Deinde vero scribens: *non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro*, illud sibi vult tempus, resurrectionem et extremum judicium excipiens, quo peccati reus indesinentibus mulctabitur cruciatibus ulla sine spe salutis.



CAPUT XIV.

Exponitur sententia Origenis de igne expiatorio consumente chachïan *malitiam naturae humanae corruptae insitam, unde ejusdem sequitur regeneratio.*

Verum ad majorem argumenti de hujusmodi expiatione perspicuitatem, cui universim creaturae omnes subjiciendae erunt post mortem, plura docet Origenes, sumpto themate ex Apostolo ad *Corinthios* I. c. II. 12. *Siquis autem superaedificaverit super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur.* In his sane Auctor varimode ac saepissime quam statuimus, distinctionem praebet quoad temporis ordinem, quo haec tam mundi, tam hominis conficenda est defoecatio. Ideoque, selectis, quae aptiora sunt, testimoniis, consulas Librum IV. *contra Celsum* n. 12. 13. Ibi enim Celso respondens Adamantius de conflagratione mundi, aliter quam divinae Scripturae docent, ab eo comprehensa, ait: « Quod ad nos attinet, nec diluvium, nec conflagrationem orbibus et siderum conversionibus illigamus; sed horum causam dicimus esse *chachïan* nequitiam, quae cum aucta sit plurimum, diluvio, aut conflagratione purgatur .... Quoniam vero derisor ille Celsus ait nos dicere, Deum tortoris instar descendere, ignem praeseferentem, et cogit nos intempestive in profundiores quaestiones ingredi; pauca primum dicamus et quantum necesse est, ut defensionis, quae Celsi risum compescat, gustum auditores habeant: postea ad reliqua perget oratio. Divina Scriptura Deum nostrum vocat *ignem consumentem; et fluvios ignis* dicit *egredi a facie ejus*, et ipsum *ingredi ut ignem conflantem et tanquam herbam fullonum, ut conflet populum suum.* Quia igitur Deus est ignis consumens, quid est, quod ab illo consumi oporteat? Dicimus nos *chachïan* malitiam et quaecumque ab ea proficiscuntur, quaeque figurate lignum, foenum, et stipula vocantur, res esse, quas Deus ut ignis consumit. *Malus* ergo dicitur super positum

prius rationabile fundamentum superaedificare ligna, foenum, et stipulam. Quae si probare possit in animo non fuisse haec scribenti, sed potius dicta fuisse de *malo*, qui vera et proprie dicta ligna, foenum et stipulam superaedificat, hunc ignem utique corporeum et sensibilem intelligi necesse erit.

« Si autem patet, nominibus ligni, foeni et stipulae opera mali hominis significari, quomodo non statim succurrit quinam ignis accipiendus sit, quo hujusmodi ligna consumentur? *Uniuscujusque opus*, inquit Apostolus *quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Hic opus exustum quid aliud significat, quam quidquid ex nequitia oritur? Deus noster igitur *ignis consumens est*, quo sensu explicavi. *Ingreditur* quoque *ut ignis conflans*, naturam rationis participem purgaturus a plumbo *chächïas* malitiae aliisque impuris materiis, quae auream, ut ita loquar, argenteamve animae naturam adulterarunt. Sic etiam fluvii ignis egredi dicuntur a facie Dei, ad consumendum quidquid malitiae in tota anima admixtum est. Atque haec sufficiunt adversus istud, quod ait Celsus. *Hinc erroris causa: hinc est quod dicant Deum descensurum esse tortoris instar armatum.* » Cum ergo inquit Origenes, Deum quasi ignem consumere hominis nequitiam animae suae superadditam, ut munda inveniatur, ad illud defertur tantummodo spatium, quod obitum intercedit et resurrectionem, ubi creatura omnis detergitur a peccato; quod cum non sit a Deo, ab illius regno abolendum est, ut consumpta malitia, in die resurrectionis, sit Deus omnia in omnibus; quin caeterum de poenis, quibus deinde apud inferos mulctandi sunt reprobi, quasi aliquando desituris, sermonem instituat.

Porro in Libro VI. 70. satius explicat quid sibi velit Apostolus cum ait: *Deus noster ignis consumens est*, circa hujusmodi naturae lustrationem: « Haec enim, scribit, omnia figurate dicuntur, ut intelligibilis natura ex usitatis sensibilibusque nominibus nobis innotescat. Et sicut quamvis peccata vocentur *ligna*, *foenum et stipula*, non propterea dicimus peccata esse corpora; neque etiam dicimus bona opera esse corpora, tametsi illa aurum, argentum et lapis pretiosus ap-

pelleatur. Sic etsi Deus dicitur esse ignis consumens ligna foenum et stipulam, et omnem peccati substantiam, non ideo corpus illum esse cogitabimus etc. » Paulo post pari locutione metaphorica adjicit, quomodo Deus vocetur ignis consumens peccatum n. 72: « cum deceat ipsum Deum (postquam quisquis decertans sese manifestaverit, qualis athleta fuerit) poenarum igne κακίαν malitiam dissipare. »

Rursus Libro VIII. 72. Joannis testimonium expendens c. XVI. *Confidite, ego vici mundum*, eadem tradit de consumptione malitiae, asserens: « Verbum sibi aliquando subactarum omnes naturas rationales transformando in suiipsius perfectionem omnem animam, postquam unusquisque ex nudo sive mero suo arbitrio elegerit, quae voluerit, atque fuerit consecutus quae sibi probaverit. Nam inter corporum morbos et vulnera, sunt quaedam sane, quibus ars medicinae mederi non possit. Ita nec dicimus in animabus aliquid esse, quod per supremum Dei Verbum curari non possit a vitiositate. Verbum enim ejusque remedia omnibus animae morbis potentiora sunt, eaque unicuique pro Dei placito admovet. In novissimo autem rerum sustollenda est *chachïa* malitia».

Ita locutus Origenes in Celsum dimicat, fieri posse docens, cunctos homines in unam legem convenire; ac, nisi cum in corpore sint, reapse cum fuerint corpore soluti, sive cum subegerit Christus omnes inimicos, ac una novissima absorpta fuerit mors, quae sub peccati nomine ab eodem Origene comprehenditur. Quod sane fiet secundo post mortem mediante aevo; non autem tertio vel ultimo tempore cum Deus judicaverit orbem terrae, unicuique juxta actus in vita praesenti retribuens. Sed transiens ibi de proborum ac reproborum sorte in tertii aevi intervallo nunquam desitura, indicat tantummodo abolitionem malitiae, Christique triumphum, primum et secundum tempus manifeste decernens. Cum enim ait, *quando quisque ex nudo suo arbitrio elegerit*, *quae voluerit*, *atque consecutus fuerit quae sibi probaverit*, in his respicit ad primam hominis conditionem in statu viatoris ac sui juris, quo ex propria voluntate bonum et malum mereri potest. Cum autem dicit, Dei Verbum ex virtute sua seorsim a nostro arbitrio, naturae nostrae vitia curare, ut in novissi-

mo ac tertio tempore ipsa incorruptibilis fiat et immortalis, hoc pertinet ad secundum intervallum, quo Deus ad humanitatis medelam igni expiatorio utitur. Quapropter Homilia VI. 4. *in Exodum* sub eadem ignis metaphora varias lustrationis species commemorat, inquiens: « Veniendum est ergo omnibus ad ignem: veniendum est ad conflatorium. Sedet enim Dominus, et conflat et purgat filios Judae. Sed et illuc cum venitur, siquis multa opera bona, et parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igni resolvitur ac purgatur, et totum remanet aurum purum. Et siquis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, ut amplius decoquatur, ut, etsi parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat etc. »

Item Homilia XXV. n. 6. in *Numeros* verba exponens: *Haec est justificatio legis quam constituit Dominus Moysi: praeter aurum et argentum et aeramentum, et ferrum et plumbum et stannum, et omnis res quae transit per ignem, traducite per ignem, et mundabitur etc.* « Vides, ait, quomodo purificatione indiget omnis, qui exierit de praelio vitae hujus. Quod si ita est, ut aliquid audeam dicere secundum Scripturae divinae auctoritatem, omnis qui exierit de hac vita, non potest esse mundus. » Deinde docens, filios Israel, qui interfecerunt Madianitas et contigerunt res immundas, pollutos esse in bello subdit: « Et ego ergo, etiamsi vincere potuero diabolum, quamvis cogitationes immundas et malas, quas cordi meo suggerit, vel repellere venientes, vel ingressas necare intra me, ne ad effectum perveniant, quivero; et si calcare potuero caput draconis; hoc ipso tamen pollui me, et inquinari necesse est, quod eum, qui pollutus et inquinatus est, contigerim. Et ero quidem beatus, quod eum superare potui, immundus tamen sum et pollutus, qui pollutum contigi; et ob hoc purificatione egeo. Idcirco nimirum et Scriptura dicit: *quia nemo mundus a sorde.* Omnes ergo purificatione indigemus, immo purificationibus. Multae enim et diversae nos manent purificationes etc. » Videas ergo quomodo Origenes conditionem distinguat humanitatis universae in hac vita veluti in praelio dimicantis, ac inde immundorum tactu pollutae. Quae idcirco in morte varias, et longas seu breves

pertransibit purificationis vias, donec munda penitus inveniatur ad resurrectionem, ubi omnes a sordibus malitiae eximentur, ut in aeternum vivant. Quas quidem purificationes Origenis hostes ultra judicii novissimi tempus transferentes, idest ad tertium sive ultimum humanae conditionis statum, putarunt inde Auctorem finem imposuisse reproborum poenis.

Interea nobis aliud Origenis testimonium obvenit ex Christi Parabola de *Zizaniis* collatum, quod cum ex ea, quam statui, distinctione, perpetuitatem suppliciorum potius indicet, quam eorumdem terminum, adversarii e contra ibidem instant dicentes: *Hic et alibi saepe damnatorum poenis finem tam disserte statuere videtur Origenes, eoque nomine toties reprehensus atque exagitatus est, ut qui id negare audeat, nimium Origenem amare, ac praeter aequum, videatur*. Quamobrem in medium Adamantii verba proferantur ab iis incipiendo, ubi in *Matthaeum* tomo X. 2. 3. dicit: *Qui seminat bonum semen est Filius hominis*: « Diabolus observans ea, quae zizania appellantur, prava nempe consilia, naturalibus, uti quidam vocant, cogitationibus et bonis seminibus a Verbo seminatis superspargit. Ceterum secundum id quod diximus, ager omnis mundus dici possit: nec ipsa solum Dei Ecclesia; in toto quippe mundo Filius hominis bonum semen seminavit; *malus* vero zizania, quae quidem sunt pravi sermones ex *chachïa* nequitia filii *mali*. Oportebit autem fieri messem in fine rerum, quam vocant consummationem seculi, ut ad id muneris destinati angeli Dei, prava dogmata animae adhaerescentia, sive quae praeter naturam animae adnata sunt, eaque tradant in consumptionem igni, qui dicitur comburere, dissipandi causa. Et sic angeli Verbi et ministri ex toto Christi regno, omnia, quae animae adhaerent, scandala colligent, et cogitationes parientes iniquitatem; quas ipsi disperdentes in ardentem dejiciunt ignis fornacem. Tunc et ipsi sibi conscii, quod in se, somno impediti, semina *mali* susceperint, flebunt, ac veluti sibi irascentur; hic enim est stridor dentium; et ob hoc in Psalmis illud: *frenduerunt super me dentibus suis* dictum est. Tunc maxime justi fulgebunt, non jam diverse quemadmodum ab initio; sed omnes tanquam unus sol in regno Patris sui. . . . .

« Sed quoniam, jam supra diximus ad haec verba: *tunc justi fulgebunt sicut sol*, non enim justi, ut antea diverse fulgebunt, sed erunt omnes quasi unus sol, necessario nobis exponendum est quid super hoc nobis videatur. Videtur Daniel, eruditos ac multitudinem justorum gloria praecellentium, lumen mundi esse sciens, haec dixisse, c. XII. 3. *qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti et de multitudine justorum quasi stellae in aeternitates*. Apostolus praeterea cum ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum*, eadem dicit, quae Daniel; et ab ejus prophetia hanc sibi sententiam assumpsit. Quaeret ergo quispiam: quomodo de luminis justorum differentia haec dicant nonnulli, cum Servator contrarium dixerit, *sicut unus sol fulgebunt?* Ita ego existimo, in ipso statim initio beatitudinis, qua fruuntur ii qui salvi fiunt, quoniam nondum purgati sunt, qui tales non sunt, inde oriri illam luminis beatorum differentiam; sed postquam a toto Christi regno omnia collecta fuerint scandala, sicuti a nobis supra dictum est, et parientes iniquitatem cogitationes in caminum ignis conjectae fuerint, ac penitus abolita deteriora, et in horum cognitionem venerint, qui in se receperunt sermones *mali* filios, tunc futurum ut in Patris sui regno fulgeant justi, unum solare lumen facti. Cuinam vero splendebunt, nisi inferioribus luce eorum fruituris, veluti sol splendens iis, qui super terram sunt? Non enim sibi ipsis lucebunt. Fortasse autem et illud: *luceat lux vestra coram hominibus*, de latitudine cordis, veluti ait Salomon, trifariam describi fieri potest, ita ut lux discipulorum Jesu luceat coram hominibus nunc, et post mortem ante resurrectionem, et post resurrectionem, donec omnes in virum perfectum evadant, et fiant omnes unus sol: *tunc fulgebunt tanquam sol in regno Patris sui* ».

Hucusque Origenis dicta, quae alio se vertunt, quam ad supplicia damnatis inferenda a Deo post judicium novissimum. Ibi namque, uti superius explanavimus, in tria tempora dividit ipse Christi regnum; illud nempe primum, in quo degimus, et ubi contra potestates adversarias continuo militamus. Secundum Christi regnum est post mortem, ubi ziza-

nia *mali* seu doemonis nequitia ab ejusdem Christi extirpanda erit regno. Et illud sane est, de quo ait ibi Adamantius: *exibunt angeli et colligent* prava dogmata ab *inimico homine* frumento bono idest animae supersata, seu illam quam saepe vocat κακίαν nequitiam, omnia mala in homine provocantem, ut igni metaphorico tradita comburenda in dissipationem, penitus tollantur a suo regno; et impleatur quod scribit Apostolus: *oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*, evacuans omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et novissimam usque mortem. Ac ideo *in nomine ejus omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Quod sane fiet secundo post hominum fatum aevo atque in fine rerum, instante mundi per ignem consummatione, et ante postremam Judicii diem. In qua consummatione nequitia animae supersata, expiabitur per ignem, virtute divina accensum, et ubi pugnae cessabunt, inimicus homo destruetur, ut omnes sive probi sive pravi e pulvere expergefacti, immortalitatem et incorruptibilitatem in Christi regno assequantur, ac in perpetuum vivant.

Ceterum, si, prout alii praesumunt, Origenis verba non ad illud medium pro animae defoecatione deferantur aevum, verum ad ultimum tempus, in quo, ajunt ex ejusdem Scriptoris mente, reprobos suppliciis mulctatos, denuo in bonum restituendos esse; cur ipse Origenes ibidem testatur inquiens, *tunc flebunt ii, qui somno impediti, sentiunt in se suscepisse mali semina, ac dentibus frendescent,* scientes pariter se aliquando cum justis luce divina fruituros? Non ergo hoc sibi vult Adamantius, nec ullo modo ibi futuram respicit impiorum salutem, nec potuit, praevia sententia: *ite maledicti in ignem aeternum.* Quinimmo retro se vertit ad universalem omnium in pristinum, de qua dicit Jesus, regenerationem, ejusque causam, mediante malitiae, et mortis in hominibus abolitione, justitia tamen ac probitate sicuti e contra iniquitate et improbitate proprio animi arbitrio patratis et excultis, cuique eorum adstantibus ac manentibus, veluti docet Apostolus *ad Romanos* c. II. 15. *Qui ostendunt opus legis scri-*

ptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Dominus occulta hominum secundum Evangelium meum per Jesum Christum. De quibus pariter judex Christus in eos, qui a dextris et iis, qui a sinistris omnino variam pronunciabit sententiam. Et ea profecto est regeneratio, de qua Salvator ad Apostolos loquitur: *in regeneratione cum sederit Filius hominis etc.;* quae quidem mortis et malitiae dissipatione fiet, ac novissimo praecedet judicio; ut hominis conditio incorruptibilis et perpetuo duratura sive apud inferos misera, seu in coelis jucunda, restituatur, sicuti fuit ab initio.

Et ob hanc insuper distinctionem de bonorum ac pravorum sorte, quamvis omnes immortales, incorruptibiles et gloriosos quoque simul et indistincte, ut ait Apostolus, vocet Origenes; nihilominus sub diverso in solis, lunae et stellarum lumine, claritate, tum eorum, qui in animi immunditie, tum aliorum qui in innocentia cordis mortui sunt, resurrectionem designat; quippe omnes sive boni sive mali in gloria Conditoris, qui eosdem in Adamo incorruptibiles et immortales ab initio creavit, resurgent, etsi in sorte futuri seculi valde uni ab aliis dissiti. Ideoque pergit in hujus pericopae fine ex Evangelio: *luceat lux vestra coram hominibus,* trifariam dicens, lucem discipulorum lucere coram ceteris hominibus, adamussim ea percipit ac distinguit spatia, quae ab antecedentis capitis exordio statui, ac necessario praemittenda duxi in hac quaestione, veluti viam ad ambiguitates, obscuritates et sphalmata, quibus ipse impetitur Origenes, ab ejusdem scriptis tollenda, satis accommodatam. Inquiens enim: « *lucem discipulorum Christi* lucere nunc, et post mortem ante resurrectionem et post resurrectionem, donec unusquisque vir perfectus evadat, fiantque omnes unus sol; tunc fulgebunt omnes tanquam sol in regno sui Patris » hoc sibi vult, *lucem Christi* modo hominibus lucere; hoc primo nimirum tempore dum adhuc in vivis sumus luci Evangelii participes, verum nostri juris compotes, adeo ut mentis nostrae tenebras excutere, vel obfirmare possimus. Deinde ait *post mortem ante resurrectionem discipulo-*

rum Jesu splendere lucem, secundo nempe tempore, quo non ex arbitratu proprio e solis luce expiatur quisquis a *chachïa* malitia sua cum jam libertatem amiserit, in eo manens statu, quo cecidit; sed ex virtute Dei tantummodo, qui veluti sol igneus ineffabiliter comburit, defoecatque creaturam a peccato in carne celerisque vitiis inde exortis, eamdemque ad illum restaurat incorruptionis et immortalitatis statum, quo Adam primus creatus est. Tertio tandem tempore nempe post resurrectionem *lucebit lux*, cum omnes universim tam probi quam improbi in virum perfectum facti, deique imaginem praeferentes; et hinc immortales et incorruptibiles omnes unus sol fulgebunt in regno Patris Christi Jesu, ut *sit Deus omnia in omnibus;* et ut *omnes confiteantur coelestes terrestres et inferni, quoniam Christus est in gloria Dei Patris*, etsi inaequalem sortientur retributionem; uni cum Deo in coelis perpetuo gaudentes, alteri suppliciis cum doemonibus affecti sempiternis.

Sed ut amplius pateat Origenis mens, ea quoque considerentur verba in fine notata sermonis: ubi ex Apostolo dicit: *donec unusquisque vir perfectus evadat*. Quae ad omnium indistincte resurrectionem spectantia, praeclare explicavit Tomo X. n. 20. *in Joannem* ex dictis: *destruite templum hoc, et in tribus diebus erigam illud*: « Proinde cum efficitur resurrectio haec veri et perfectioris corporis Christi, tunc membra Christi (nimirum ossa ea, quae in praesentia, futuri comparatione sunt arida) conjungentur, os scilicet ad os suum, et junctura ad juncturam: nemine, qui privatus sit junctura, *occursuro in virum perfectum*, *in mensuram aetatis plenitudinis corporis Christi ;* et tunc membra multa unum erunt corpus, cum omnia corporis membra, quae multa sunt, fient unius corporis. At discrimen pedis, manusque, atque oculi ac denique auditus et olfactus, quibus complentur, singulatim quidem caput, singulatim vero pedes, et cetera membra, tum imbecilliora, tum abjectiora, ac ea, quae putantur indecora et decora, solius Dei est facere: qui simul temperabit corpus etiam magis quam nunc, copiosiorem honorem addens ei, cui deerit; ne dissidium sit in corpore, sed invicem alia pro aliis sollicitudinem eamdem gerant membra :

et siquid patitur unum membrum, simul patientur omnia membra; sive glorificatur unum membrum, simul gaudebunt omnia membra.» Et hoc est, quod apprime Apostoli sensum retractans, interpretatus est, ac significavit Origenes *in Matthaeum: donec unusquisque vir perfectus evadat, et fiant omnes unus sol*: quippe abolita malitia ab anima, in resurrectione cuncti sive probi sive reprobi fulgeant sicut sol in regno Dei, inaequali tamen sorte. Quam sortis inaequalitatem satis indicavit et distinxit, reprobos collocans super terram, lucem non a se, sed ab aliis mutuatos: *nec enim sibi ipsi fulgebunt*, mentem a Deo aversatam habentes; et ob hoc etiamsi anima eorum a *chachïa* malitia expurgata fuerit, tamen apud inferos poenis torquebuntur aeternis. (1) Quapropter non videtur jure offensus Huetius, quasi contraría in eodem loco dixisset Origenes, et inde deduceret ejusdem illusionem, qua dicit eum captum, putantem, sanctos in paradiso Dei posse peccatis aliquando sese obstringere: quod penitus abnuit mens Auctoris.

Porro ille fulgor, quem Adamantius ait oblique illuminare *inferiores, qui sunt in terra, quique sibi non fulgent*, forsitan respicit, quod saepe memorat de gloria et decore corporis spiritalis in resurrectione, quo cuncti, sive boni sive mali indistincte ditabuntur. Et tunc aequiparari posset locutioni, quam in Libro II. c. X. n. 3. *Periarchon*, adhibuit de re-

(1) S. Hieronymus in Epistola 55. ex Christi verbis: *sufficit diei malitia sua*, inquit: « κακία enim, quam latinus vertit in malitiam, apud graecos duo significat, et malitiam et afflictionem, quam *chachosin* graeci dicunt. Et hîc magis pro *malitia* transferri debuit *afflictio*. Quod si contentione quis ducitur, nolens *chachïan* afflictionem sonare et angustias, sed malitiam, illo sensu explanandum est, quo mundus in maligno, hoc est in *malo* positus sit. Et in Dominica oratione dicimus: *libera nos a malo*: ut sufficiat nobis contra malitiam seculi hujus praesens habere certamen. »

Item scias Origenem varimode animam humanam considerare. Communiter dicit animam medium locum tenere inter spiritum et carnem, et hinc aliquando ipsam legi mentis consentire, quandoque carnis legi. Et hinc contra Celsum libro IV. 13. dicit, *chachïan* malitiam in totam animam admixtam esse. Sed de hoc in secunda Parte.

probis perpetuo tortis: « His vero, inquit, qui inferioris meriti fuerint, vel abjectioris, vel etiam ultimi, pro uniuscujusque vitae atque animae dignitate, etiam gloria corporis datur, et dignitas. Ita tamen ut etiam eorum, qui ad ignem aeternum, vel ad supplicia destinandi sunt, per ipsam resurrectionis permutationem ita corpus incorruptum sit, quod resurgit, ut ne suppliciis quidem corrumpi valeat et dissolvi. » Postremo siquid minus clarum legitur in citata pericope, id graeco Amanuensi inscribendum est; qui ut infra dicetur, Origenis Commentarium *in Matthaeum* glossis adornavit, nec fideliter ejusdem expressit sensum.

Pari insuper interpretatione cumulata ac ita ut mutuo illustrentur, ea designantur, quae Adamantius ait Libro V. in *Epistolam ad Romanos* n. 7. apostolica verba scrutatus: *quid ergo dicemus, permanebimus in peccato ut gratia abundet?* Unde denuo potissimum praetextum illud incusandi adinvenerunt adversarii. Postquam enim ibi sub peccati nomine dicit, Apostolum nuncupare *peccati auctorem*, transit inde locuturus: « Observandum sane est quam librato sermone usus sit Paulus ut diceret: *permanebimus in peccato?* Permanere namque est a caepto non desistere. Quod utique siquis faciat, certum est, quod nec initium conversionis acceperit. Illud autem interdum accidit, ut non quidem permaneat quis in peccato, sed cum desierit, rursum redeat ad vomitum et fiat infelicissimus, ut post depulsum a se regnum peccati et mortis, et regnum vitae justitiaeque susceptum, iterum se dominationi peccati et mortis substernat. Et ista sunt, quae naufragia fidei appellat Apostolus. Verumtamen quamvis permaneat quis in peccato, etsi sub mortis imperio et potestate perduret, non tamen ita aeternum istud mortis esse arbitror regnum, uti est vitae atque justitiae; maxime cum novissimum inimicum mortem ab Apostolo audiam destruendum. Et revera si eadem aeternitas mortis ponatur esse, quae vitae est, jam non erit mors vitae contraria, sed aequalis. Aeternum namque aeterno contrarium non erit, sed idem. Nunc autem certum est mortem vitae esse contrariam; certum est ergo, quod, si vita aeterna est, mors esse non possit aeterna: unde et necessarium locum tenet resurrectio

mortuorum. Cum enim mors animae, quae est novissimus inimicus, fuerit destructa, etiam haec communis mors, quam illius velut umbram esse diximus, necessario abolebitur; et tunc consequenter resurrectioni mortuorum dabitur locus, ubi regnum mortis pariter cum morte destructum erit. »

Et quid ergo ibidem cavendum, uti adversarii praesumunt ex eo, quod ex Apostolo: *novissima autem inimica destruetur mors*, inde deducit Origenes regnum mortis non esse aeternum, ac ideo necessario docet dandum esse locum humanitatis nostrae lustrationi a *chachïa* malitia, *quae, cum non sit a Deo, neque fuit ab initio, neque in aeternum erit*? Quae quidem expiatio per mysticum ignem fiet ante resurrectionem, ut illud peccatum in carne, quod est mors, tollatur, proindeque omnes resurgant immortales ac in aeternum vivant. Et haec omnia catholico dogmati penitus uniformantur. Quod saepissime docet Origines et amplissime superius ex s. Gregorio Nysseno excussimus. Cum autem postea adjiciat Auctor: *sed nos non expectemus quando iste novissimus inimicus destruetur*, perspicue sibi vult, tunc temporis nec admitti infidelium ac reproborum poenitentiam, nec salutis spem; ideoque per fidem spem et charitatem illud praeveniendum esse tempus, monet. Porro frequenter Origenes Scripturae formulam: *Deus noster ignis consumens est* ad hanc vertit *chachïas* malitiositatis consumptionem, idest *consumens, ea quae constituunt nequitiam*. Cumque Deus quasi ignis eam consumpserit, quae animae nostrae supernata est, malitiam, uti in *Matthaeum* To. XVII. 19. tunc non erit amplius ignis consumens, sed erit Deus omnia in omnibus: expleta scilicet regeneratione et resurrectione universim tam proborum quam reproborum. Ideoque in Libro *de Oratione* c. 25. cum: « rogamus, ait, ut in nobis regnante Deo versemur in bonis regenerationis et resurrectionis » resurrectioni praemittit regenerationem, veluti causam effectui, adeo ut omnes simul resurgamus ad immortalitatem. Item ex Evangelii dictis: *in παλιγγενεσίᾳ regeneratione, cum sederit Filius hominis in throno majestatis suae*, duo tradit regenerationis genera; sicuti alibi duplicem novit resurrectionem, unam per baptismum, alteram per carnis restaurationem. *In Mat-*

theum enim Tomo XV. 23. scribit: « In regeneratione per lavacrum quicumque generatus fuerit superne ex aqua et spiritu, mundus erit a sordibus, et ut audacter loquar, mundus *per speculum et in aenigmate*. Verum in altera regeneratione *cum sederit Filius hominis* etc. quicumque ad hanc in Christo regenerationem pervenerit, mundissimus erit a sordibus facie ad faciem etc. »

Quamvis autem ibi de reprobis regenerandis nihil dicat Adamantius, attamen alibi fatetur non solum probos verum et improbos universim hanc secundam regenerationem assecuturos, non ut cum Christo regnent in coelis, sed apud inferos perpetuo crucientur. Certum sane est, tam quae praemisimus, tam quae proxime sequentur circa hujus *palingenesias* significationem variam et quoad tempus ejusdem, ea plane accommodari Matthaei verbis et Apostoli ad Titum. Paulus namque ad hunc scribens c. III. 3: *secundum suam misericordiam salvos nos facit per lavacrum palingenesias regenerationis et renovationis Spiritus Sancti*, perspicue regenerationem per baptismum adstruit et quidem credenti solummodo collatam. In ea autem *palingenesia*, quam dicit Christus per Matthaeum c. XIX: *in palingenesia regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae* etc. alteram vario genere comprehendit regenerationem, eamque specialim, quam nos quaerimus, et cui omnes subjicientur creaturae, et seorsim a voluntate humana, quinimmo divinitus patratam; cum Dominus venturus sit in novissimo die ad judicandum omnes gentes. Unde magis ac magis patet ejusmodi regenerationem judicio postremo praevenire, neque omnino subsequi, uti frustra velint adversarii; nihilque commune habere cum ea praesumpta doemonum ac damnatorum futura salute.

Et ob hoc praeclare scripsit initio Homiliae XVIII. n. 1. in *Hieremiam*: « Duae sequuntur, inquit, Hieremiae visiones; quarum prima quidem continet ea, quae pertinent ad vas luteum in manu figuli situm, quod contritum reficit. Fieri enim potest ut reformetur. Altera vero visio est de vase testaceo, quod confractum refici nequit. Quando enim luteum erat, si fractum fuisset, quamvis jam formatum fuisset, quia

tamen luteum erat, rursus in massam subigi altera vice poterat et reformari. Postquam vero ex luteo testaceum factum est igneque obduratum, tunc confracta testa, nullum potest adhiberi remedium. Quid haec sibi velint, prius mente apprehendamus; deinde si licuerit, secundum litteram expendamus. Dum sumus in hac vita, formamur, ut sic dicam, propter hoc luteum vas nostrum fictilium more, et formamur vel ad malitiam, sive ad virtutem. Verum sic formamur, ut fieri possit et malitiam conteri nostram, ut fiat nova creatura praestantior, et progressus nostros post formationem resolvi in luteum vas. Cum autem, transacto hoc seculo, ad vitae finem pervenerimus, et postea inflammati sive ab igne telorum *maligni* flammigerorum, seu ab igne divino, siquidem et *Deus noster ignis consumens est*; si fuerimus, inquam, ab isto vel ab illo igne inflammati, quodcumque fuerimus, cum conteramur, ex quo facti sumus bona vasa in salutem, seu mala vasa in perditionem, nequaquam ad alteram denuo conditionem innovamur; neque structura nostra meliorem recipit statum. Quamobrem cum in hac vita sumus, quasi in manu figuli sumus; et licet ceciderit vas e manibus ejus, reparari et reformari potest. » Ex hoc Hieremiae testimonio statuit Origenes primum arbitrium nostrum, dum in hac vita sumus, quo ad bonum seu ad malum manum porrigimus, veluti vas luteum in manu figuli, quod ad beneplacitum suum fingit. Post vero mortem, ubi decoctum fuerit vas ac disruptum, refingi nequit. Et quamvis post obitum per ignem divinum, seu divina virtute consumpta fuerit humanitatis nostrae malitia, ut inde sequatur regeneratio ad resurrectionem et incorruptionem; tamen juxta actus in vita, vel in salutem, seu in perditionem erit vas nostrum in perpetuo duraturum, quin denuo conscientiae reformationi detur locus, poenitentiae nimirum, qua ad virtutem convertimur. Et hoc juxta praemissam suae fidei professionem de vita futura.

Item Libro IX. 41. *in Epistolam ad Romanos*, ex his: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*, Verbi Dei in universas creaturas exprimens dominationem in mundi fine futuram, devicta morte, omnibus genuflexis coelestibus, terrestribus et infernis, ut sit Deus omnia in omnibus (in quo consi-

stit *palingenesia*) claro ita temporis ordinem describit Origenes, quo constet, regenerationem hujusmodi medio, vel secundo tempore peractum iri; atque judicium novissimum tertio sive postremo aevo praecessuram. Scribit enim: « Ubi vero tradiderit regnum Deo et Patri, idest conversos et emendatos omnes obtulerit Deo; et penitus mysterium mundi reconciliationis expleverit; tunc, ait, ante tribunal Dei adstare omnes, ut impleatur hoc, quod sequitur: *vivo ego dicit Dominus* etc. » Quod nisi ita fieret, seu, quemadmodum hucusque statuimus ex Auctoris mente, nisi resurrectioni anteiret naturae corruptae innovatio, seu peccati in carne consummatio, virtute divina efficienda (sive *apocatastasis* sive *palingenesia restitutio in pristinum, seu regeneratio* quomodocumque voces) et post hanc regenerationem, nisi homo in statu maneat, quo cecidit, idest in virtute vel in vitio arbitratu suo exactis, unde praemia expectat sive supplicia, sed omnes, uti velint adversarii, beatitudine coelesti cumulandi forent, tunc frustra ex ore divino saepius dixisset Adamantius: *et ibunt hi in supplicium aeternum: justi autem in vitam aeternam.*

CAPUT XV.

Quanto jure ostenditur hanc Origenem admisisse regenerationem ante resurrectionem; nihilque ideo eam officere aeternitati poenarum: additis Tatiani, Clementis Alexandrini, et Tertulliani de eadem re testimoniis.

Ex his, quae hucusque e scriptis Origenis decerpsimus, patet, illius mentem circa futuram impiorum sortem ab ea omnimode variare, quam Petavius, Huetius ceterique existimarunt. Ideoque quantumvis ex Libris *De Principiis* eruere velint testimonia, et praesertim ex capite VI. Libri III. *De Consummatione mundi*, contra ea, quae ex aliis ejusdem libris traduximus, nihilominus fatendum illis erit, ne paululum quidem Origenem de perpetuitate poenarum dubitasse; quinimmo libere ac firmiter dogma catholicum propugnasse. Ac ideo, quae de consummatione mundi, ejusque lustratione quoad creaturas rationales docuit, alio penitus reduci, quam ad tertium et postremum post judicium novissimum intervallum; sed ad medium illud aevum, quod morti ac resurrectioni intercedit. In quo peccatum sive malitia, seu animae mors, quae aliunde humanitati accessit, destruenda erit ut *sit Deus omnia in omnibus*.

Quae quidem verba ita explicat ibidem n. 3: « Et ego quidem arbitror, quia hoc quod in omnibus, omnia dicitur esse Deus, significet etiam in singulis eum esse omnia. Per singulos autem omnia erit hoc modo, ut quidquid rationalis mens omnium vitiorum foece expurgata, atque omni prorsus abstersa nube malitiae, vel sentire, vel intelligere, vel cogitare potest, omnia Deus sit; nec ultra jam aliud aliquid, nisi Deum videat, Deum teneat, omnis motus sui Deus sit et mensura; et ita erit omnia Deus. Non enim ultra boni malique discretio, quia nusquam malum; omnia namque Deus est, cui jam non adjacet malum; nec ultra ex arbore sciendi bonum et malum manducare concupiscet, qui semper in bono est, et cui omnia Deus est. Sic ergo finis ad principium reparatus, et rerum exitus collatus initiis, resti-

tuet illum statum, quem tunc habuit natura rationabilis, cum de ligno sciendi bonum et malum comedere non egebat, ut amoto omni malitiae sensu, et ad sincerum purumque deterso, solus, qui est unus bonus Deus hic ea fiat omnia, et non in paucis aliquibus, vel pluribus, sed in omnibus ipse sit omnia etc. » In quem statum sane omnibus restitutis per regenerationem creaturis, non solum ipsae immortales erunt et vivent incorruptibiles, verum spiritales quoque et beatae. Beatae quidem sensu eodem, quem antea de Nysseno locutus explicavi; ac unde magis illustratur quod hic ait Origenes; spiritales autem, quo dixit Apostolus, sensu: *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*; idest in eo abolitis malitiositatis radicibus, non vero sine corpore, uti nonnullis visum est; sed in eo corpore integro, quo Adam primus manu Dei plasmatus est, ut immortalis foret et in perpetuam maneret.

Quapropter valde ad rem facit alterum Adamantii testimonium, ubi et corporis spiritalis sensus explanatur ac insuper tempus, quo corpus talem assequetur conditionem spiritalem, nempe in regeneratione, ut deinde ex justi Dei sententia vel gaudiis perfruatur aeternis, sive cruciatibus torqueatur durissimis ac nunquam desituris; quin alteram speret quis, vel credat regenerationem salutis. Ipse namque vitae praesentis cruciatus iis conferens, quos in seculo futuro patientur reprobi, in Apologia s. Pamphili c. VIII. inquit: « Si ergo in hac praesenti vita tam intollerabiles sunt poenarum dolores, quid putandum est, cum non jam crassiori anima utetur indumento; sed cum id spiritale effectum ex resurrectione recipiet; et eo vehementius utique, quo subtilius est, sentiet vim doloris? Puto enim quod quanta differentia est in praesenti seculo nudum verberari, quam vestitum, ad persentiendum scilicet cruciatum, eo quod vehementius nudum corpus crucient verbera, quam vestitum: tantum puto futuram differentiam doloris, cum corpus humanum, crassitudinis hujus indumento deposito, velut nudum corpus coeperit sustinere tormenta. »

Porro de *apocatastasi* restitutione in pristinum sive *palingenesia* regeneratione, citata *Periarchon* verba, perbelle illu-

strantur ex Tractatu 33. n. 70. *in Matthaeum*, et quidem ex dictis: *tunc congregabuntur ante eum omnes gentes*, ubi de adventu loquitur Christi in gloria majestatis suae. Qui quidem universalem sequetur resurrectionem, ubi humana natura ad suum principium restaurata, in animae et corporis integritatem restituta, atque ubi morte destructa, malitia abolita, peccato in carne dissipato, et tenebrarum potestate penitus eversa, ipse solus Christus ubique triumphator regnabit. Scribit enim: « Existimo ergo quoniam erit tempus adventus Christi, quando tanta manifestatio futura est Christi, et divinitatis ejus, ut non solum nullus justorum, sed nec aliquis peccatorum ignoret Christum secundum quod est; quando et peccatores cognoscent in conspectu suo sua delicta; et justi manifeste videbunt semina justitiae suae, ad qualem eos perduxerint finem. Et hoc est quod dixit: *congregabuntur ante eum omnes gentes.* Si enim modo, quando nec omnes cognoscunt Christum secundum quod est, nec ipsi, qui videntur cognoscere, palam eum cognoscunt, sed in fide tantum intrant homines in conspectum ejus, quando agnitionem ejus accipient per fidem, sicut scriptum est: *intrate in conspectu ejus in exultatione;* quanto magis recte dicuntur omnes gentes ante eum congregandae, et constituendae; quando palam omnibus tam bonis tam malis, tam fidelibus quam infidelibus fuerit factus manifestus, ante oculos mentis eorum jam non fidei aut diligentiae alicujus inquisitione repertus, sed ipsius divinitatis suae manifestatione prolatus. » Quae sane tunc humanitatis nostrae conditio in resurrectione assequetur, quando divina virtute quasi igne devorante, fuerit in homine consummatum malitiositatis germen, omnium malorum causa.

Et in hoc maxime laboravit Origenes, dogma de resurrectione corporum propugnans contra haereticos et infideles: « Equidem Libro V. c. 14. confutat Celsum dicentem: haud Deum negaverim animae vitam largiri posse sempiternam: cadavera autem, inquit Heraclitus, vel stercoribus viliora sunt. Unde carni iis sordibus refertae, quas appellare pudet, vitam aeternam contra rationem tribuere, Deus nec volet, nec poterit. Etenim est ipse omnium, quae sunt, ratio; ni-

hil igitur contra rationem, nihil contra seipsum efficere potest. » Inferas inde quare Adamantius tam sollicite de resurrectione carnis egerit, ea disquirens argumenta, ut omnem ab adversariis secluderet nedum negandi, verum etiam de ea dubitandi viam; cum sub illa ignis consumentis figura Deum repraesentaret resolventem in humanitate nostra piaculum ob protoparentum culpam contractum. Quod perspicue Lactantius *De Vita Beata* c. VII. 21. ut supra, declaravit inquiens: « Et tamen non erit caro illa, quam Deus homini superjecerit huic terrenae similis, sed insolubilis, ac permanens in aeternum, ut sufficere possit cruciatibus et igni sempiterno. » Et en adamussim regenerationis, sive restaurationis scopum, quem intenderunt Origenes, et Gregorius Nyssenus.

Itaque ne ulterius in hoc argumentum progressi limites certos praetervehamur, satis fiant, quae de universalis regenerationis necessitate per hujusmodi ignem, malitiam naturae humanae consumentem, hucusque ostendi; cui regenerationi, cum, nemine excepto, homines cujusque aetatis probi reprobique subjiciendi sint, concludatur, nihil dogmati officere de aeternitate poenarum, quae, veteres et recentiores Origenis libros aliter interpretati, praesumpsere.

Verumtamen hoc ultimo loco non abs re erit, si hucusque expensa de regenerationis sensu, necessitate et tempore, Tatiani, Tertulliani et Clementis Alexandrini speciatim testimonio adauxerimus. Quorum sententiae, cum poenarum aeternitati perspicue suffragentur, quaestioni nostrae amplius prosunt; ita ut siquae apud Origenem et Nyssenum obscura sive dubia videantur, ex his magis explanari et mutuo fulgiri queant. Tatianus in Oratione *contra Graecos*, resurrectionis dogma adstruens et quidem aliter quam putarunt stoici, in fine hujus seculi tantum, dicit humani corporis fieri *σύστασιν* et *ἀποκατάστασιν* constitutionem et restitutionem in pristinum, quaeque sane judicium novissimum praevenient. Scribit enim n. 6: « Quamobrem corporum resurrectionem fore credimus post omnium consummationem, non sane ut stoicis placet, secundum quosdam orbium coeli circuitus, iisdem semper rebus ad nullum utilem finem nascen-

tibus et pereuntibus; sed evolutis semel seculis nostris solum hominum constitutionem judicii causa futuram.... Etiamsi caro hominis igne evanescat, diffusam instar corporis materiam mundus excepit et quomodocumque absumatur; Creator autem Deus conspicuam sibi soli substantiam, uti volet in pristinum statum ἀποκατάστασει restituet. »

Tertullianus vero more Origenis, quippe contra eosdem resurrectionis hostes dimicans, eorum argumenta de carnis nostrae corruptione proindeque ab incorruptibilitate absonae refutabat; potissimumque Apostoli dictis ad Corinthios insistendo, ab eisdem universae carnis revincebat instaurationem, simulque resurrectionem. Maxime vero hic notanda sunt, quae ipse scripsit de humanitatis nostrae regeneratione, quam ipse aliis vocabulis *demutationem* nominavit, *restitutionem*, *redintegrationem*, *recorporationem*. Eamque tum naturae nostrae necessariam statuit, tum illius quoque significationem tradit et efficaciam, sicuti ejusdem tempus, idest ante resurrectionem, et, tamquam hujus causam, praeponit; quippe una subsequetur aliam, nimirum resurrectio instaurationem; quamvis aliquando haec duo vocabula sub una significatione proferat. Ita namque in Libro *De Resurrectione Carnis* c. VI. rationem et ordinem explicavit, quo caro humana per resurrectionem novam assequetur vitam, ut in aeternum maneat. Et hoc agit, themate sumpto ex Geneseos verbis: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*: « Et fecit hominem Deus, id utique, quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Et sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus. Quo nunc facit, ad infuscandam originem carnis, nomen terrae ventilare, ut sordentis, ut jacentis elementi? Cum etsi alia materia excudendo homini competisset, artificis fastigium recogitari oporteret, qui illam et eligendo dignam judicasset, et tractando fecisset.... Sed adhuc velim discas, quando et quomodo caro floruerit ex limo. Neque enim, ut quidam volunt, illae pelliceae tunicae, quas Adam et Eva paradisum exuti induerunt, ipsae erunt carnis ex limo reformatio; quum aliquanto prius et Adam, substantiae

suae traducem, in foemina jam carnem recognoverit: *hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea*, et ipsa delibatio mascula in foeminam carne suppleta sit; limo opinor supplenda, si Adam adhuc limus. Obliteratus igitur et devoratus est limus in carnem. Quando? quum factus est homo in animam vivam, de flatu Dei, vapore scilicet, idoneo torrere quodammodo limum in aliam qualitatem quasi in testam, ita in carnem. Sic et figulo licet, argillam temperato ignis adflatu in materiam robustiorem recorporare, et aliam fingere speciem aptiorem pristina et sui jam generis ac nominis etc. »

Ex his ergo plane discimus, quomodo sumenda sit ea carnis reformatio sive recorporatio, de qua dicit ex Apostolo Tertullianus. Quae utique non ad spiritus humani restaurationem spectat, neque multo minus aetatem respicit post judicium novissimum, quasi tunc fieret humanae voluntatis in melius commutatio per resipiscentiam (quod est absurdum); verum illud opus mirabile, tantum a Deo indicat Tertullianus in resurrectione perficiendum; quo, caro obsoleta peccato, vitiorum sordibus corrupta, denuo a Creatore eliquata, veluti aurum in fornace, ad illius substantiae demutationem, in pristinum ac meliorem statum reducitur, ut in perpetuum vivat. Et hoc paulo post dicit de Christo non solum carnis resuscitatore, verum et ejusdem redintegratore: « Nam et supra (c. 57.) utrumque proponens oportere et corruptivum istud induere incorruptelam et mortale istud induere immortalitatem, non iteravit sententiam, sed differentiam demandavit. Immortalitatem enim ad rescissionem mortis, incorruptelam ad obliterationem corruptelae dividendo, alteram ad resurrectionem, alteram ad redintegrationem temperavit. »

Haec eadem alibi adstruit Tertullianus, ab omnium rerum exemplo probans, quae cum abscesserint, redeunt, et omnia incipiunt cum desierint: pari ratione item factum iri de corporum resurrectione, ut ipsa caro una cum anima accedere possit ad judicium et ad retributionem: « Certe, ait in *Apologetico* n. 48; quia ratio *restitutionis* destinatio judicii est, eo quod omnino de judicio Dei pati debent, necessa-

rio idem ipse, qui fuerat exhibebitur, ut boni seu contrarii meriti judicium a Deo referat . . . . Quum ergo finis et limes medius, qui interhiat adfuerit, ut etiam mundi ipsius species transferatur aeque temporalis, quae illi dispositioni aeternitatis aulaei vice oppansa est: tunc *restituetur* omne humanum genus ad expungendum (idest exsolvendum) quod in isto aevo boni seu mali meruit; et exinde pendendum immensam aeternitatis perpetuitatem. Ideoque nec mors jam, nec rursus ac rursus resurrectio; sed erimus iidem, qui nunc, nec alii post: Dei quidem cultores apud Deum semper, superinduti substantia propria aeternitatis. Profani vero et qui non integri ad Deum, in poena aeque jugis ignis, habentis ex ipsa natura ejus, divinam scilicet subministrationem incorruptibilitatis. » In quibus satis comprehenditur, quid sibi velit, et quo tempore peragenda sit naturae nostrae restitutio, seu restauratio, judicium nempe novissimum praecessura; et aliter penitus quam vulgo excogitarunt docuisse Origenem, quoad spiritus humani in bonum ac in coelestem gloriam instaurationem per poenitentiam: quasi suppliciis aeternis damnati, aliquando ad Deum conversi, miseratione divina cumulandi forent, quod falsum est. Et eo magis, quod Tertullianus apertis indubiisque argumentis, quod Ecclesia Catholica tenet de nunquam desituris poenis, amplissime significaverit, veluti ab initio quaestionis praenotatum est.

Item in hunc quoque sensum ac sub eadem dicendi formula *apocatastaseos* restitutionis in pristinum, abiit Clemens Alexandrinus Lib. III. *Stromatum*, ubi humanitatis nostrae corruptae necessariam statuit innovationem in consummatione seculi perficiendam, quin inde circa reprobos suppliciis aeternis mulctatos dogmati resistat. Ait enim: « Ortum autem et interitum, qui est in creatura, principaliter fieri necesse est usque ad perfectam et absolutam distinctionem et ἀποκαταστάσεως recapitulationem electionis; per quam quae sunt mundo confusae et inquinatae substantiae, proprietati suae restituuntur. » Et hoc idem est, quod docet Origenes in praecitato Libro III. c. VI. 6. *De Principiis*, innovationem corporis in resurrectione statuens: « Ita etiam, ait, de natura corporis sentiendum est; quod non aliud corpus est,

quo nunc in ignobilitate, et in corruptione et infirmitate utimur; et aliud erit illud, quo in incorruptione utemur et in virtute et in gloria; sed hoc ipsum, abjectis his infirmitatibus, in quibus nunc est, in gloriam transmutabitur, spiritale effectum; ut quod fuit indignitatis vas, hoc ipsum expurgatum, fiat vas honoris, et beatitudinis habitaculum. »

Demum circa quam hucusque expendimus necessariam unicuique post mortem lustrationem a *chachïa* malitia, divinitus in humanitate nostra efficiendam, ac ideo resurrectioni universali sicuti et judicio novissimo praeviam, quemadmodum perspicue ac saepe tradidit Origenes, non est silentio praetereundum quod ipse animadvertit de temporis varietate, quo in nostra fiet natura expiatio. In eodem libro namque c. VI. 6. *De Principiis* ait, hujusmodi substantiae corporeae emendationem non subito post mortem, sed paulatim fieri et partim, et immensis labentibus seculis donec inimica destruatur mors, ut sit Deus omnia in omnibus: tunc nimirum, quando finis omnium initium erit alterius aevi, in quo Christus, devicta morte, solus regnabit. » Tandem de his revocanda sunt, quae ex Nysseno supra notata sunt, dum ait se ex sapientum judicio ita docere de modo et tempore, quo post obitum nostrum talis malitiae fiet defoecatio per ignem divinitus immissum. Sic et Origenes, etsi necessariam statuat post mortem unicuique per ignem expiationem eamque Deo possibilem: quoad autem modum et spatium, quibus hoc opus perficiet Deus post mortem, potius de eo disputare dicit, quam pro certo et definito statuere. Ideoque cum ista parum quaestioni nostrae praecipuae conferant, prudentiorum consilio relinquens, ad ceteras gravioris momenti difficultates expediendas accedam.



CAPUT XVI.

Celera expenduntur argumenta adversariorum, quibus aeternitati poenarum contraire visus est Origenes.

Postquam plura ex Origenis scriptis citavimus ac diluimus testimonia tum de suppliciis apud inferos incessantibus, tum de expiatione temporanea, cui medio tempore idest post mortem et ante resurrectionem quisquis subjiciatur necesse est ad immortalitatem assequendam; frustra videretur reliquis obsistentium respondere argumentis, quibus catholicum Adamantii sensum labefactare conati sunt. Attamen ad ampliorem quaestionis perspicuitatem, investigatum incamus quae Origenes ipse alibi de eadem re dicit; et eo lubentius haec proferam, quo magis thesi nostrae satisfaciunt. Ex. g. Homilia I. *in Ezechielem* n. 13., errasse inquiunt dum scribit: « Si vero spiritus mala non abstulerit a nobis, purgationis ignis indigemus, quippe necessarius est nobis ignis ad expiandum sive tollendum stannum et plumbum naturae nostrae superinductum etc. »

Verba hujusmodi et similia saepe Origenis scriptis inspersa, jam non poenas peccatoribus post judicium extremum illatas spectare monuimus, verum tantummodo totius humanitatis lustrationem post obitum incorruptionis causa obtinendae. Aliter in eodem Sermone coram populo contradictionem admisisset. In principio namque ejusdem Homiliae ab exemplis probat, Deum non tantum punire peccantes, verum et misericordiam miscere suppliciis: « Misericordia quippe Dei in pondere. Si non esset utile conversioni peccantium adhibere tormenta peccantibus, nunquam misericors et benignus Deus poenis scelera puniret; sed quasi indulgentissimus pater ob hoc corripit filium, ut erudiat: quasi providentissimus magister ita severitate frontis lascivum discipulum castigat, ne amari se sentiens, pereat. » Quid inde, nisi Dei benignitas erga pravos eruitur, quorum emendationem in hac vita per punitionem quaerit, ne perpetuo in futuro seculo puniantur? Ideoque paulo post addit de sodomitis et gomor-

raeis: « Puniti sunt in praesenti, ne in futuro jugiter punirentur. » Quae magis Ecclesiae sensum firmant; et haec loquendi formula est Origeni valde communis.

Deinde ibi n. 3. addit: « Haec oportebat abscondere et in medium non proferre; sed haeretici nos impellunt, ut celanda efferamus in publicum: quia tecta sunt utiliter apud eos, qui adhuc parvuli juxta animae aetatem sunt, qui metu indigent magistrorum, minis et terroribus corripiendi sunt, ut possint consequi bonitatem, ut per amara remedia a vulneribus peccatorum aliquando desistant. Semper enim sacramenta Dei propter parvulos auditores velaminibus quibusdam operiuntur. » Haec porro ut comprehendantur, et quid sibi velit Origenes intelligas, Homiliae initium adito, ubi ait, ob peccata sua captivum abductum fuisse Israelem; quamvis inter eos nonnulli censerentur insontes, quorum ope ceteris reis subveniret Deus; ita disponens, quippe clemens et benignus et hominum amator, inter supplicia quibus peccatores punit, etiam visitationis suae miscens pietatem, nec immoderata poena miseros premens. Semper talis est Dominus noster; excruciat nocentes: sed quasi pius pater tormentis clementiam sociat. Et hoc dicit contra haereticos in Creatore reprehendentes iram immoderatam; et quamvis e Scripturarum exemplis probet rem aeque se habere; et in hoc divinam extollat oeconomiam; nihilominus talia parvulis potius occultanda docet, qui metu indigent magistrorum, tum ut vulnera sollicite curent, tum ut a peccatis desistant; quin praeterea quidquam de miseratione in damnatos decernat.

Ab hujus porro testimonii disquisitione desistentes, in alterum incidimus, quod valde adversariis facessere item videtur adeo ut, vix Origenem ab errore evadere opinentur. Et hoc legitur in Commentario Libri VIII. 12. Epistolae *ad Romanos* ac praecipue in verbis: *nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis apud vosmetipsos sapientes: quia coecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret: et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: veniet ex Sion, qui liberet et avertat impietates ab Jacob: et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum.* Ex hac inquam, pericope inter alia, haec tradit: « Qui vero

Verbi Dei et doctrinae evangelicae purificationem spreverit, tristibus et poenalibus purificationibus semetipsum reservat, ut ignis gehennae in cruciatibus purget, quem nec apostolica doctrina nec evangelicus sermo purgavit, sicut scriptum est: *et purificabo te igni ad purum*. Verum in hac ipsa purgatione, quae per poenam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisve seculis de peccatoribus exigatur cruciatus, solus scire potest ille, cui *Pater omne judicium tradidit*; qui ita diligit creaturam suam ut pro ipsa evacuaverit semetipsum de Dei forma, et servi formam susceperit, humilians semetipsum usque ad mortem, volens *omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire*. » Quemvis non latet tam Apostolum ibi, tam Origenem hujus mentem interpretatum, ad futuram intendere judaeorum conversionem; ex quo a Christi aevo ejusque Ecclesiae initio, coecitas in Israel obvenit, ac gentes in eorum locum per fidem successerant. Et hoc probat e Scripturis prophetarum: *veniet*, inquiens, *ex Sion*, *qui liberet et avertat impietatem ab Jacob*. Avertit autem impietatem ab eo secundum illud, quod scriptum est, quia *diluet Dominus sordes filiorum et filiarum Sion; et sanguinem mundabit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ustionis*. Et hoc ita fieri testamentum eis erat a Deo, ut sic ab eis averterentur impietates, et auferrentur peccata. » Cum itaque dicat in spiritu judicii et spiritu ustionis sordes sive peccata judaeorum infidelium diluere Dominum, talem mysticam intelligit expiationem per fidem sane, quacum aliquando Israel suae perfidiae expertus ignominiam, salutem assequetur, sicut et ceterae gentes, si tamen crediderint; aliter in perditionem ibunt. Ideoque addit, omnium rerum instante fine, quotquot Evangelicus sermo purificaverit in tempore praesenti sive ex judaeis sive ex gentibus, mundos fore. Et hoc reapse illud primum tempus respicit, quo homo arbitratu proprio fidem Christi amplexatus, colit et servat; et in fide, per quam mundus factus est, usque ad mortem perseverat.

In eo autem quod dicit Origenes, Verbum Dei sprevisse et Evangelii purificationem, proindeque semetipsos lustrationibus poenalibus nec non gehennae ignis cruciatibus servatos, nullimode ad novissimum tempus, idest ad futurum

respicit seculum nec inferni poenas. Ibi enim pro more suo, allegorico sermone ludens, Israelis conditionem considerat in infidelitate manentis, et gentium, quae adhuc Christum haud noverunt. Quos ideo Dominus, inquit, tradidit cruciatibus eorum perfidiae: donec aliquando resipiscentes ad eum convertantur. Et hoc docet consentanee apostolicis verbis: *quia coecitas ex parte contigit in Israel donec plenitudo gentium intraret:* et ex sequentibus: *Conclusit enim Deus omnes in incredulitate ut omnium misereatur.* Et hinc juxta Apostoli sensum ait Origenes, judaeos et gentes, quae tunc non credidere, ducere Deum per varias hujus vitae calamitates, et ad tempus sibi tantummodo notum, ut peccati sui sentiant pondus, atque ideo in se factae assequantur veritatem: cum velit ipse Deus, omnes homines salvos fieri. Porro verba symbolica *ut ignis gehennae in cruciatibus purget*, *quem evangelicus sermo non purgavit*, assimilantur et explanantur ex superiori Isaiae sententia pariter sub allegoria dictata: *diluet Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem mundabit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ustionis;* cum averterit nempe impietates a Jacob. Quod autem addit Origenes *ut ignis gehennae cruciatibus purget*, illum intendit scopum et sensum, quo ipse Dominus per Matthaeum in Evangelio inquit: *qui autem dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennae ignis;* ubi agitur de poena temporali proindeque desitura, veluti suo loco de hac et similibus locutionibus Evangelistarum dicendum postea erit. Ceterum nisi ita expendantur praecitata verba; vel si velis Adamantium de suppliciorum termino apud inferos post extremum diem intendisse sermonem, videas, quantas contra se statuisset antitheses; ac potissimum Christi verbis mentitus esset eisdem, quibus antea haereticos revicit.

Neque insuper contra nos faciunt, quae Petavius ex Homilia VIII. n. 5. in Librum Josue arguit, sumpto inde themate: *et incendit Jesus Hay; et effecta est urbs, quae non habitetur in aeternum:* « Vides, ait, quia haec quae sequuntur, magis ad mysterii, quam ad historiae pertinent veritatem. Non enim tam ille locus terrae inhabitabilis est in aeternum, quam locus doemonum inhabitabilis erit tunc, cum jam nemo pec-

cabit, cum diabolus et angeli ejus igni tradentur aeterno, Domino nostro Jesu Christō sedente rege et judice, et dicente iis, qui priores et posteriores vicerunt: *venite benedicti Patris mei; percipite regnum, quod vobis paratum est a Patre meo;* aliis autem dicet: *ite in ignem aeternum, quem praeparavit Deus diabolo et angelis ejus*, donec omni animae, quibus ipse novit remediis consulat, et omnis Israel salvus fiat. »

Haec postrema verba *donec omni animae* etc. nihil proposito nostro officiunt, cum non ad proximiora sed ad praecedentia pertinent: *quam locus doemonum inhabitabilis erit* instar loci Hay, qui nunquam habitabitur. Quasi dixisset Origenes in sensu anagogico, doemonis potestate penitus destructa, Deus animae fideli remediis aptis consulet, et omnis Israel idest populus christianus a timore et periculo peccati exemptus, in Deo ipso vivet nunquam culpae obnoxius. Ni enim ea sic exponantur, tunc dicendum foret, Origenem vocabulum *aeternum* evangelicae sententiae adjectum pro finito tempore usurpasse; quod immerito eidem, veluti superius ostendimus, inscriberetur: seu contra, doemones cruciatibus sempiternis vexari, homines vero improbos aliquando ab illis eruendos: quod pariter Scriptoris menti obstat. Attamen si in citata sententia quaedam obscura videantur, adeas Homiliam XIV. sub finem, ubi haec eadem patentius explanantur. Ibi namque ex ejusdem Libri dictis « *ne verearis a facie eorum, quia crastina die, hac hora tradam eos in manus tuas*: video, inquit, quod hodie non possumus illos omnes opprimere, nec cunctos interficere; sed crastino perimentur, idest post consummationem hujus seculi. Tunc enim omnis virtus contraria destruetur; et tunc penitus vincetur cum videris iis, qui a sinistris sunt, dici: *ite in ignem aeternum, quem praeparavit Deus diabolo et angelis ejus* etc. »

Praeterea adversariis visum est dogmati catholico officere quod scribit Origenes in Libro III. *De Principiis* c. 1. 21. ubi speciatim haec notanda sunt: « Ex quo opinamur (ita habet Ruffinus in sua versione) quoniam, sicut frequenter diximus immortalis est anima et aeterna, quod in multis et sine fine spatiis per immensa et diversa secula, possibile est, ut vel a summo bono ad infima mala descendat, vel ab

ultimis malis ad summa bona reparetur. » Divus vero Hieronymus haec eadem vertit in Epistola ad Avitum: « Saepius diximus in infinitis perpetuisque seculis, in quibus anima subsistit, et vivit, sic nonnullas earum ad pejora corruere, ut ultimum malitiae locum teneant; et sic quasdam proficere, ut de ultimo malitiae gradu ad perfectam veniant consummatamque virtutem. » Ex his Huetius ceterique putarunt, probos in vita futura fieri posse improbos; et sic vicissim reprobos ad probitatem converti: et ita docuisse asserunt Origenem.

In hac quaestione primo notandum est, quod ajunt Editores Maurini, hanc nempe pericopem non reperiri in textu graeco originali, quem prae manibus habuerunt Auctores Philocaliae, cujus omissionis ignoratur causa. Ruffinus vero et Hieronymus juxta exposita ita tradiderunt, ut paraphrasis potius eorum, quae antea scripsit Origenes videatur, quam ipsius Origenis genuinus foetus. Quomodocumque tandem sit, nihil inde eruendum est contra dogma de aeternitate poenarum in altero seculo, sicuti neque de proborum arbitrio, adeo ut in malum converti possint, et sic de reprobis de malo in bonum. Adamantius namque in eo capite totis viribus elaboravit ad arbitrii libertatem in homine constituendam, maxime e divinis Scripturis probans, nos nobis ipsis causam esse salutis vel interitus; ideoque recto Dei judicio in futuro seculo nos audituros: *venite benedicti Patris mei* etc. si juste egerimus; seu aliter: *ite maledicti in ignem aeternum*. Cujus vocabuli *aeternum* sensum de aevo interminabili, satis antea explanavimus atque ab ejusdem Origenis ore definivimus.

Quapropter ne in anthitesim secum ipso ac eodem de argumento reperiamus Auctorem, ejus mentem ex praecedentibus scrutemur. Paulo ante enim docuit ipse, fieri posse, hominem ex suae voluntatis arbitratu, dum in hoc mundo degit, a deterioribus ad meliora transire, sicuti a melioribus ad deteriora transverti; proindeque ex honoris vase fieri vas contumeliae, et e contra; quin inde nihil deducendum sit, tali voluntatis arbitrio usuros in futuro seculo bonos sic ut in malum converti possint, et similiter pravos, ut meliorem assequantur statum, a poenis erepti.

Et hoc dicens Origenes exemplum petit de populo Israel, qui etsi a Deo electus fuerit, tamen ob incredulitatem in venturo seculo vasa contumeliae futurum esse ait: ac diversimode ceteros, qui in hac vita veluti aegyptii et idumaei habentur, ipsos tamen suscepta israelitarum fide et conversatione, in revelatione filiorum Dei reputandos esse vasa honoris. Quod amplius Auctoris sensum patefacit. Ideoque quod postea dicit: *animam in seculis infinitis et perpetuis subsistere et vivere* juxta Hieronymum, seu juxta Ruffinum *immortalem esse animam et aeternam et per immensa et diversa secula vivere*, proindeque fieri posse nonnullas animas ad pejora corruere et alias ad meliora proficere, nihil contra dogma catholicum de suppliciorum aeternitate, sive de damnatorum possibilitate in melius aliquando se convertendi post judicium novissimum, uti e contra de beatis in pejus transituris, ex hoc Origenis argumento percipitur. Attamen de hujus paraphrasis sensu ac lectionis varietate alibi disputabitur.

Verum instant adversarii, aliunde Origenis incusantes errorem, ubi ipse Evangelii sententiam exponens *in Joannem* Tomo XIX. 3. *quo ego vado, vos non potestis venire*, disquirit quid sibi velit Dominus: « Quosdam novi, ait, qui non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro a proprio peccato detineantur, veluti istos, de quibus Filius Dei inquit: *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem neque in praesenti seculo, neque in futuro:* nec tamen sequitur, si non habet remissionem in futuro seculo, non habere in superventuris seculis. »

Ad haec Adamantii verba sedulo enucleanda, praemittendum sane est, quod ipse paulo ante docuit; ubi praesertim elucet clare, nullam iis dari redemptionem, qui in peccato mortui sunt. Ideoque de Lazaro locutus ejusque infirmitate non ad mortem, inquit: « Hanc ob causam si suscipiamus infirmitates ipsorum aegrotantium, adhibeamus animum, nequando ad mortem aegrotemus, morbo facto immedicabili, cum adhuc spes esse posset. Pariter etiam apertius quodammodo hoc erit dictum: *quo ego vado, vos non potestis venire*, quod subjungitur illis verbis: *et in peccato vestro moriemini*. Quando enim moritur quis in suo ipsius peccato; quo

vadit Jesus, non potest abire. Nullus enim mortuus sequi potest Jesum, quandoquidem: *non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum.* » Unde quisvis procul dubio intelliget Origenem declarare, eos, qui in peccato mortui sunt, nullam unquam apud Dominum consecuturos indulgentiam, sed ulla absque salutis spe in perpetuam ire perditionem.

Hisce positis juxta Petavii interpretationem, ac veluti in versione latina legitur, contra se veniret in eodem sermone Origenes. Antea namque absolute statuit immedicabile fore post mortem peccatum, proindeque pravos in peccato vita defunctos a regno Christi coelesti in perpetuum excludi. Ut ergo antilogia tollatur, ac pericopae sensus explanetur, textus graecus in medium proferatur ita sonans: *qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum non habebit remissionem neque in praesenti seculo, neque in futuro, ὀυ μέντοιγε ἐι μὴ ἐν τῷ μέλλοντι ἀιῶνι, ἤδη ὀυδὲ ἐν τοῖς ἀιῶσι τοῖς επερχομένοις*; idest *non sane, si non (remittatur) in seculo futuro, nec aliquando in superventuris seculis.* Particula μέντοιγε, quae quandoque veluti adversativa nempe *tamen* usurpatur; hoc in loco verum uti affirmativa stat, nimirum *sane certo* juxta usum scriptorum graecorum frequentiorem; ac sicuti statim post perspicue subdit idem ὁ μέντοιγε *sane Heracleon* etc. Ex quo arguendum est, non tantum in damnatis resipiscentiam ac suppliciorum terminum negasse Origenem in futuro seculo; quinimmo inde firmatur, ipsum tenuisse, nec dari, nec fieri posse in reproborum animis nec poenitentiae sensum neque evasionis spem.

Pari ratione nihil officiunt dogmati catholico de perpetuitate poenarum, quae ab adversariis iterum objiciuntur, ex ejusdem Praefatione sumpta *in Evangelium Joannis:* « Ceterum, inquit, non uno eoque brevi, atque inter solos pastores obeundo munere funguntur angeli evangelico; sed in fine sublimis et volans angelus Evangelium habens, evangelizabit omni populo, bono Patre non omnino deserente eos, qui a se desciverint. » In his tamen alio se vertit Adamantii sermo, quam ad finem cruciatuum apud inferos constituendum. Quinimmo tum ex praecedentibus tum ex prope sequen-

tibus Apocalypseos verbis, quibus ipse nititur, suppliciorum interminabile tempus statuitur. Antea sane locutus de angelis, qui pastoribus Christi nativitatem evangelizarunt, nequaquam, inquit, desiisse tunc eorum ministerium erga homines, sed perseverasse, donec boni Patris miserationes omnibus gentibus et linguis annuntiantes, eorum saluti consulerent. Quo quidem praeconii munere funguntur ac fungentur, non post judicium novissimum, sed illud praeeuntes, idest ante secundum Domini adventum; evangelizantes ubique omni populo genti et linguae, ut darent honorem Deo eumque timerent, (uti ex sequentibus Joannis verbis patet) ac dicentes: *quia venit hora judicii ejus.* Ac ita se habet Origenis argumentum.

Similiter ab errore innocuum venit quod ex eodem Evangelista Joanne tradit Auctor Tomo XIII. n. 58. Reguli filii enarrans salutem: « Existimo enim, inquit, aliquot ex principibus obstupefactos propter potentiam et divinitatem Jesu, confugisse ad eum, et orasse pro sibi subditis. Alioquin cur, quaeso, homines poenitentiam recipiunt, ex infidelitate ad fidem transeunt, idem vero in potentiis dicere veremur? Vel nobis dicat aliquis causam, cur homines carnem et sanguinem induti confugere possint mutati ad Deum per Christum; eos vero, qui puriori natura utantur (idem non posse sed) omnes incapaces esse credendi in Servatorem, minimeque obstupescere propter prodigiosas virtutes quas ipse fecerit. At ego reor etiam circa eas potentias, principatus quos vocant, aliquid factum fuisse, immutatas in melius Christi adventu: adeo ut quaedam integrae urbes, vel etiam gentes commodius quam multi habuerint, quae ad Christum pertinent. »

Hinc, inquam, cum adversarii putent concludendum ex Origenis mente, resipiscere posse doemones ac poenitentia duci, toto coelo ipsi errant. Immerito namque arguunt *archontes* sive *dynamis* sive *principes* ab eodem ibi nuncupatos, spectare ad doemones seu ad potestates tenebrarum; cum aliter ad virtutes coelestes et angelicas spectent, a Domino uti virorum custodes, urbium et nationum constitutas, et quotidie pro illis Deum rogantes. Si vero quis non ita se habere dicat, ostendat mihi, cur in praevio sermone ait: *exi-*

stimo enim aliquot ex principibus obstupefactos propter potentiam et divinitatem Jesu, confugisse ad eum et orasse pro sibi subditis? Fortasse doemones adhuc in infidelitate manentes (nihil enim dicit de eorum poenitentia) ad Deum confugiunt pro salute subditorum supplices? quomodo hoc staret? Et amplius: antea consideravit Origenes quaerens, utrum Regulus imago vel typus esset alicujus hujus seculi potentiae, et filius ejus num repraesentaret populum eidem obnoxium; et utrum quoque filii Reguli infirmitas affectum pravum populi exprimeret *praeter voluntatem ipsius Potentiae.* Ita vero, cum Auctor ipse sub Reguli persona occultet potestatem spiritualem, forsitan quis cogitaverit ipsum potestates diabolicas comprehendere? Si sic se habet, explicet mihi, quae ibi dicit, verborum sensum: *num etiam infirmitas filii ejus Reguli sit affectus pravus praeter archontis, sive potestatis propositum.* Si affectus pravus filii aegroti fiat praeter propositum et consilium doemonis, en absurdum, homines nimirum prave agere contra propositum et voluntatem diaboli; quasi ipse bonum in hominibus, et non pravum velit et cupiat. Nonne potius dicendum est, angelos gentium custodes, in primo Christi adventu, eumdem precatos pro illarum salute? veluti paulo post in Heracleonis persona illos angelos proprie vocat?

Quod porro scribit: *alioquin cur, quaeso, homines poenitentiam recipiunt; et ex infidelitate ad fidem transeunt, idem vero in potestatibus dicere veremur?* etsi resipiscentiam quamdam in virtutibus coelestibus instar hominum admittat, hoc tantummodo earum in melius, uti postea dicit, processionem respicit (neque vero in malum, quod fieri nequit) quasi ipsae virtutes angelicae utpote liberae in voluntate, ex Christi adventu ejusque prodigiis sapientiae splendoribus adauctae, adeo pro populis et gentibus, quibus praeerant, intercederent, ut Deo facilius ipsae appropinquarent, veritatem amplecterentur, ac magis in fidem proficerent. Quomodocumque vero hujusmodi angelorum in bonum processum de Origenis sententia comprehendere velis; nihil tamen inde infertur de eorum poenitentia et salute, postquam a Deo reprobati, in perditionem vinculis aeternis traditi fuere.

Denique siqua obscura ibi reperiantur, conferas, quae Origenes idem docet Homilia XII. *in Lucam, de eo quod scriptum est, angelum venisse de coelo, et ortum Domini nunciasse pastoribus.* Inde namque statuit, angelis creditas esse gentes sicuti et homines singillatim; et amplius addit unicuique adesse duos angelos, alterum justitiae, iniquitatis alterum. Deinde docet: « Ante adventum Domini Salvatoris isti angeli probi parum poterant creditis sibi utilitatis afferre, et conatus eorum sequi non valebat effectus. Quoddam est signum, quam parum prodesse poterant subjectis. » Et paucis interjectis subdit: « Nunc autem populi credentium accedunt ad fidem Jesu; et angeli, quibus creditae fuerint ecclesiae, roborati praesentia Salvatoris, multos adducunt proselytos, ut congregentur in omni loco conventicula christianorum. » Quod adamussim facit ad majorem praefati testimonii illustrationem.

Item *in Matthaeum* Tomo XV. n. 27. ex Christi sententia: *multi autem erunt primi, novissimi, et novissimi primi,* plures scrutatus sensus Origenes, ac diversas eorum, qui primi erunt, et novissimi expendens relationes, inter alias hanc subjecit interpretationem: « Postremus itidem erat, quicumque erat insipiens et incredulus, serviens desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agens, odibilis et odio prosequens. At primus evasit, cum benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti; et eum recipit, qui dixit: *qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Verum primos esse, qui salutem consequentur, per illa tradidimus; postremos autem, qui eodem ordine minime digni sunt, sed punitione et derelictione, vel donec plenitudo gentium intrarit, vel donec suas noxas eluerint. » Ex his Huetius statuit, Origenem terminum damnatorum poenis imposuisse.

Verumtamen quaeso tam ille quam ceteri mihi respondeant adversarii ac ostendant, num de vita futura disserat hic Adamantius, et an de vita praesenti; et num de poenitentia in altero seculo, et utrum in hoc mundo doceat ipse per regenerationis lavacrum, seu per baptismum sive cito, sive sero salutem obtineri. Et quis est iste *postremus,* quem

ibi dicit insipientem, incredulum desideriis servientem etc., qui postea evasit *primus* cum apparuit benignitas Dei et humanitas Salvatoris etc.? Nonne iste, quem Origenes vocat modo ultimum, modo primum, nonne iste est populus gentilis, qui, abjecto Israele ob suam perfidiam, in ejus locum fidei gratia successit; et judaicus populus tunc excoecatus in novissimum locum transivit? ideo poenas luiturus, et a Deo derelictus *donec* (juxta apostolica verba ad Romanos) *plenitudo gentium intraret*, seu donec ipse Israel peccati sui poenis exactis, fidei donum in fine mundi assequatur, et praemium capiat, sicuti primi idest gentiles, in regno coelorum? Frustra igitur contendunt Origenis hostes, ut illum ibi repraesentent tanquam perpetuitati suppliciorum apud inferos infensum. Aliud namque ejusdem sermo respicit; sicuti ab hac opinione penitus abhorret de poenarum termino: eoque magis, quod in eadem quaestione, dicta inserantur, quibus pro more suo, et ubique sibi constans, irrevocabilem in damnatos Domini sententiam celebrat.



CAPUT XVII.

Speciali disquisitione enucleantur Origenis sensus de angelis apostaticis in Libris praesertim Periarchon.

Post haec, diluenda manent quae scribit Adamantius in Libro I. *De Principiis* circa futuram doemonum poenitentiam sive salutem; de cujus verbis maxime offensi sunt Scriptores ecclesiastici; et in quae (inquam ego) offenderunt potissimum iidem, haud aeque verba eadem interpretati. Et primum quidem hic notare par est quod Huetius tradit de Petro Halloixio, qui Origenem ab hoc mendo de doemonibus quasi resipiscentiae capacibus absolvere conatus est: « Petrus Halloixius (ait Huetius in Quaestione XI. n. 25.) Origenianarum partium insignis patronus, duobus fere modis objectum Adamantio crimen amoliri studet. Nam vel eum studet ostendere non dixisse quidem damnatos et ad superiora regressuros, sed regredi tantum posse; idque certis quibusdam conditionibus, quae cum neutiquam possint contingere, non aliter intelligendum Origenem ac si omni penitus liberatione diabolum, damnatosque homines privasset. Conditiones autem illae sunt hujusmodi, posse angelos et beatos ad ima provolvi, si libertate utentes arbitrii, a virtute deficiant; ac e contrario ad summa posse damnatos et doemones pervenire, si gratia adjuti divina, resipiscant. Cum autem nullo prorsus modo futurum sit, ut hi resipiscant, et illi a virtute deficiant: hinc colligit Halloixius, arbitratum fuisse Origenem nec a beatitate dilapsuros illos, nec hos poenis iri liberatum. *Quare,* inquit, *quoties dicit Origenes, diabolum posse salvari, intelligendus est dicere ex parte naturae, non ex parte malitiae; sive quod natura ejus non sit repugnans saluti. Hoc enim tenebant Valentiniani.* Quam levis sit haec excusatio, satis, ni fallor, probatum est superioribus testimoniis, quae non hypothetice sed absolute et simpliciter felicitatem damnatis et doemonibus pollicentur etc. »

Ita Huetius cum in omnibus hucusque censitis, quemadmodum statuimus, illusus, in Origene reprobare studuit,

quod ipse non docuit: in hoc quoque Halloixio putavit contraire, qui accurate Adamantii ejusdem sensus scrutatus est; atque de angelorum doemonumque locutus probe a possibilitate actum in re sejunxit. Mihi itaque studio, quo incepi, eoque magis, cum pro me tot tantaque adhuc stent expensa testimonia, luculentissime ab eodem Origene tradita, ejusque vehementer cum fide catholica consensum propugnantia de nulla unquam doemonum reproborumque redemptione futura; mihi liceat, inquam, in praefatis Auctoris *De Principiis* excussionibus perscrutari cur et quomodo ibi docuit tum Spiritus coelestes arbitrio donatos ad ima, seu ad culpam delabi fieri posse, tum doemones per eumdem arbitratum in quo versantur, resipiscentes, ad bonum se vertere. Et eo amplius hoc geram, quod Origenes ipse apertius ad amicos suos alexandrinos scribens, obtestatus sit, se nunquam talia sensisse, nec docuisse de futura diaboli et sociorum suorum salute.

Tres porro sententiae ex primo Libro sunt, quae maximum negotium adversariis facessunt. Primam deferunt ex c. V. n. 4. ejusdem Libri; ubi Adamantius Ezechielis vaticinium interpretatus, sub nomine principis Tyri virtutem quamdam superiorem comprehendit divinae voluntati resistentem ac coelo delapsam. Unde et infert exemplum: « ex quo manifestissime, ait, demonstretur contrarias istas malignasque virtutes non natura tales esse conditas, seu creatas; sed de melioribus venisse in pejus, atque in deterius esse conversas: beatas quoque illas virtutes, non esse talis naturae, quae contrarium recipere non possit, si velit, ac negligat; et status sui beatitudinem non omni cautela custodiat. »

Sedulo quisquis in haec verba animum intendat, velle Auctorem ostendere, percipiet, angelicas virtutes immaculatas quidem fuisse a Deo creatas, arbitrio tamen compotes seu liberas, adeo ut primo suae conditionis tempore a bono ad malum divertere possent, sicut et in bono perseverare: veluti Angelus, Tyri princeps, qui in superbiam elatus, dejectus est in perditionem perpetuam ulla sine spe restaurationis in pristinum statum, uti saepius alibi affirmat Origenes et a me praenotatum est. Deinde a pari dicit, subdens virtutes quo-

que coelestes in bono perseverasse, non quod impeccabiles fuerint in creatione: ast quia in bono cum conditae essent, ac pariter sui juris ac liberae ut in contrariam partem desipere possent, in bonitate tamen perstitere, proindeque divina gloria cumulatae in coelis. Ideoque nemo me de temeritate arguat, si Auctoris locutioni: *beatas quoque illas virtutes non esse talis naturae, quae contrarium non possit recipere, si velit ac negligat, et status sui beatitudinem non omni cautela custodiat*, a Ruffino in latinum translatae de tempore praesenti sive futuro, in quo hujusmodi mutatio fieri poterat; si illi locutioni, inquam, substituero tempus praeteritum, sic transferens: *beatas quoque illas virtutes non esse talis naturae, quae contrarium recipere non potuerint, si voluissent, ac neglexissent, et si omni cautela non custodissent status sui beatitudinem*. Ita namque exposito horum verborum sensu, omnia plane se habent, nec ullus error de spiritibus, quasi nunc peccare possint, adinvenitur in Origene. Hoc tamen postulat verborum et orationis nexus, maxime cum praecedentibus collatae.

Siquis autem me rogaverit, undenam orta sit hujusmodi temporis et hinc sensus varietas? Ad sermonis graeci peritum loquor et magis scientem, quam frequentissime scriptores hujus linguae in usu habere *aoristos;* quibus modo praesens, modo futurum, modo praeteritum et ultra indicatur tempus. Hoc vero nonnisi e contextu stabilire nequit, veluti in hoc casu, ubi Ruffinus, sive invitus, sive quidam interpolator *Aoristum subjunctivum* loco *praeteriti* transtulit in *tempus praesens*. Quanto autem jure dicimus praefatam Origenis pericopem aliter quam decet, fuisse translatam; unde tanta sermonis orta confusio, ac genuinus originalis sensus corruptus est contra Auctoris mentem, adeas Pamphili Martyris Apologiam, quam Ruffinus ipse in latinum transtulit. Et ubi Pamphilus sedulus transcriptor Commentarii *in Epistolam* ad Titum, eamdem doctrinam de spirituum arbitrio in eorum creatione obsignavit. Quae sane, sive ex Pamphili peritia, sive ex accuratiori versione Ruffini, varium praebet sensum ab eo, qui modo legitur in citato Libro *De Principiis*. Ibidem namque docet Origenes ex Apologia s. Pamphili c. 1.

« Habendum est autem in ecclesiasticis observationibus, quod neque hominum quis a Deo in perditionem traditus est; sed unusque pereuntium sua negligentia pereat, et culpa; qui habens arbitrii libertatem, eligere quod bonum est, et potuit et debuit. Quod etiam de ipso diabolo sentiendum est, qui in conspectu Domini omnipotentis describitur restitisse, et deseruisse statum suum, in quo fuerat immaculatus: *qui utique potuisset* (meditare, lector) *qui utique potuisset in hoc statu, in quo ab initio fuit, usque in finem perseverare, si voluisset.* »

Quae hucusque statui circa angelos in bonitate perseverantes adeo ut in adversum nunquam venire possint, sicuti de spiritibus lapsis in pravitate perpetuo manentibus etsi in proprio arbitratu conditis a Deo, admodum conferunt ad alterum ipsius Origenis enucleandum testimonium; quod (nisi contra se stare velimus Auctorem alias affirmando, alias negando) aliter ab eo quod nonnulli interpretantur, vertendum; et hoc ob supradictas causas. Interea ita se habet versio Ruffini: « Similiter sane, (Lib. 1. *De Principiis* c. VIII. 4.) etiam de adversariis virtutibus sentiendum est, quae se in id loci atque officii praebuerunt, ut hoc quod principatus, vel potestates, vel mundi rectores tenebrarum, vel spiritualia nequitiae, vel spiritus maligni, vel doemonia immunda sunt, non substantialiter id habeant, neque quia tales etiam creati sunt; sed pro motibus suis et profectibus, quibus in scelere profecerunt, hos malitiae gradus sortiti sunt. Et est altissimus iste ordo rationabilis creaturae, qui se ita praeceps nequitiae dedit, ut revocari nolit, magis quam non potuit; dum sceleris rabies jam libido est, et delectat. » Ideoque si his verbis: *qui se ita praeceps nequitiae dedit ut revocari nolit magis quam non potuit*, diversimode sensum substituerimus praeteriti temporis, et dixerimus *doemonem ita se praecipitem nequitiae dedisse, ut revocari noluerit magis quam non potuerit*, omnia catholico dogmati concorditer ire patebit, sicuti et sermonis ordini, ac amplius ipsius Origenis menti, quam alibi et saepe manifestavit de insperata doemonum post illorum casum salute. Nihilominus fatear, probe intenta horum verborum syntaxis talis est, ut per se, uti Ruffinus

transtulit, satis clare exponat Auctoris sensum de irrevocabili doemonum reprobatione, praemisso, quod et sermonis nexus postulat, doemones aliquando idest a sua creatione (nec tamen modo) in suo jure fuisse circa boni et mali electionem. Et propterea nihil cavendum est, ut putarunt Editores Maurini.

Tertia demum sententia, quae uti opinantur adversarii, nobis contrait in Origenis tutela, ab eodem *Periarchon* Libro I. c. VI. 3. eruitur; quam sane fatendum est, eumdem contueri terminum, quem alterae nuper expensae intenderunt. Agit enim ibi Adamantius de agonibus, quos nos cum potestatibus tenebrarum pugnamus in hoc mundo, postquam ipsae e coelo delapsae in tantam indignitatem se dederunt, ut non solum haud eruditioni participarint, qua humanum genus instruitur, spirituum coelestium, sed et ipsae e contra eidem generi humano, quod eruditur, resistunt: « Unde et agones, inquit, quosdam atque certamina omnis haec habet vita mortalium, reluctantibus scilicet et repugnantibus adversus nos his, qui sine ullo respectu, de statu meliori delapsi sunt, qui appellantur diabolus et angeli ejus, ceterique ordines malitiae, quos Apostolus de virtutibus contrariis nominavit. Jam vero si aliqui ex his ordinibus, qui sub principatu diaboli agunt, ac malitiae ejus obtemperant, poterunt aliquando in futuris seculis converti ad bonitatem, pro eo quod est in ipsis liberi facultas arbitrii: an vero permanens et inveterata malitia velut in naturam quamdam ex consuetudine convertatur, etiam tu qui legis, probato etc. »

In hujus paragraphi parte prima patet quid sibi velit Origenes. Ait enim angelos apostaticos contendere pro humanitatis nostrae perditione, sicubi ipsi penitus a Deo deficientes ac inde miseratione indigni ac insuper *sine ullo respectu* de statu meliori delapsi sunt, adeo ut ab eisdem et poenitentiae locus et salutis perpetuo sublatus sit; quod sane juxta catholicum sensum docet. In secunda autem parte *jam vero si aliqui ex his ordinibus etc.* cum fieri non possit, ut ipse Origenes neget, quod antea firmaverat, nullimode quidquam de possibili aliquando doemonum poenitentia potuit excogitare, uti velit Huetius. Ideoque citatam pericopem ali-

ter comprehedere decet, quam exposuit latinus Interpres, et specialim intenta particula *si*. Ipsa enim cum apud graecos exprimatur sub voce *εἰ* alias conditionali, alias dubitativa, si loco *si* substituerimus *numquid*, tunc sermonis ordo servatur ac nulla interest nec antithesis, nec difficultas; et eo magis quod successiva locutio per particulam dubitativam *an* exprimatur : *an vero permanens etc.* (1) Quapropter talis secundae partis venit sensus : Jam vero numquid aliqui ex his ordinibus, qui sub principatu diaboli agunt, ac malitiae ejus obtemperant, poterint aliquando in futuris seculis converti ad bonitatem pro eo, quod est in ipsis liberi falcultas arbitrii? an vero permanens et inveterata malitia veluti in naturam quamdam ex consuetudine, convertatur? » Hinc ergo inspice quantum haec secunda priori locutionis parti se praestet uniformem, ita ut et amplius discas, cum Origenes ab eorum creatione in doemoniis arbitrium ex natura sua rationali non deneget, tamen, postquam Deo rebellarint, rebellionem in ipsis *naturam* evasisse proindeque inconvertibilem.

Contra vero hucusque statuta nemo putet venire dicta Homiliae XX. *in Numeros*, et alterius XXXV. *in Lucam* et alibi; unde contendunt Auctorem docere, tam probos quam reprobos angelos adhuc in arbitrio voluntatis suae versari ita ut si velint, possint a proprio statu ad alterum divertere, idest de bono in malum, sive vicissim: « In quo etiam, inquit, stupendi mysterii admiratione promoveor, quod in tantum Deo cura est de nobis, ut etiam angelos suos culpari pro nobis et confutari patiatur. » Item : « Quomodo enim si per eorum curam et industriam salus hominibus comparatur, faciem Patris semper attendant : sic si per negligentiam eorum homo corruerit, etiam sui periculi rem esse non nesciunt.»

Verumtamen in his et similibus Origenis expositionibus, quamvis minus plausibiles censeantur, nobis tamen nulla ratione hinc inferendum est, Auctorem coelestes spiritus aut

(1) Saepissime Ruffinus graecanicam particulam *εἰ* aliquando *si* vertit, alias *num*, etsi juxta sermonis ordinem dubitatio exposita sub voce latina, potius *utrum*, quam *si* explicanda foret. Et in his graecorum magis quam latinorum idiotismum servavit Interpres.

doemones veluti sui juris capaces, fieri aliquando posse, ut suam mutent conditionem, adeo ut doemon a poenis ad gloriam et beatitudinem, et Angelus Dei a beatitudine ad cruciatum transferatur. Hoc sane non dicit Origenes; aliter perpetuo sibi contrairet. Ideoque sine praefatorum testimoniorum detrimento ac violentia tum ex contextu tum ex ceteris ejusdem generis dictionibus rectum assequemur sensum, si dicatur ibidem Interpres, non poenam absolute, nec multo minus aeternam damnationem angelis tutoribus comminari ob quamdam negligentiam erga homines commissam, sed tantummodo quosdam meritorum gradus ipsis angelis adscriptos ob custodiam nobis praestitam respicere; et hoc relative non ad seipsos, qui beati quotidie sunt, sed ad nos, qui libere agentes in hac vita sub angelorum custodia bonum operamur et proficimus, unde varia nobis obveniunt merita; quorum consortes quodammodo uti adsistentes habentur angeli. Et haec omnia juxta Christi verba: *ita dico vobis gaudium erit in coelo coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente;* et inde consequenter angelorum tristitia ob eosdem in peccato perseverantes et ob illud damnatos. Ideoque in citata Homilia inquit: « Ignominia angelo est, si homo justus creditus fuerit, et peccaverit: ut e contrario gloria est angelo, si creditus sibi saltem minimus in Ecclesia fuerit. »

Ea porro latius explanantur Homilia XI. 4. *in Numeros* ubi legitur: « Igitur unusquisque angelorum in consummatione seculi aderit in judicio, educens secum eos, quibus praefuit, quos adjuvit, quos instruxit, pro quibus semper vidit faciem Patris, qui in coelis est. Et puto etiam ibi inquisitionem futuram, non quidem an culturae hominum angelus defuerit; sed an culturae angelicae nequaquam digne segnitia humana responderit. Erit ergo et in hoc judicium Dei, utrum negligentia aliqua ministrorum spirituum, qui ad ministerium et adjutorium missi sunt propter eos, qui haereditatem capiunt salutis, an eorum, qui ab iis juvantur ignavia, tam multi lapsus vitae humanae proveniant. Quod si ita est, erit ergo etiam inter angelos et homines judicium Dei. » Hinc perspicue apparet Auctorem, cum judicium Dei statuat in consum-

matione seculi, et homines cum angelis comitibus adstare ibi, non angelorum custodum ignaviam sed hominum negligentiam in illorum obsequendo consiliis Deum animadvertentem inducere, quamquam ignominiae species, veluti in humanis, manifestetur in iis ad nostram curam destinatis. « Omnis autem Creatura superior, (inquit Libro VIII. *in Epistolam ad Romanos* n. 4.) agones et certamina nostra spectat, et dolet cum vincimur. Cum vero vincimus, gaudet: et multo plus quam nobis, illis inest gaudere cum gaudentibus, et dolere cum dolentibus. »

Praeterea cum sacra verba excutit: *angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, hoc dicit relate ad varios excellentiae gradus, quos saepe Origenes difinivit in angelorum ordinibus; ita ut supremum dignitatis gradum in illis constituat angelis, qui adstant coram Deo, juxta Tobiae Scripturae elocutionem: *Ego enim sum Raphael angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum*: aut potius prope Danielis et Apocalypseos verba; *Millia millium ministrabant ei; et decies millies centena millia assistebant ei*: de quibus non secus ac Origenes, multa veteres exposuerunt Ecclesiae Patres.

Denique quamvis Idem in praefatis testimoniis, angelorum coelestium notet negligentiam, seu culpam, aut periculum, vel ignominiam in hominum tutela, nemo tamen cogitet, ipsum arbitrari, eosdem posse, si velint, unquam a charitate Dei decidere, ac in perditionem ruere. Id nequaquam vult Origenes; praelucet enim ipsius de hoc dogmate fides, quam frequenter vindicavit contra haereticos, et potissimum definivit in c. V. n. 1. Libri I. *Periarchon* de rationalium creaturarum specie, hominum, angelorum, et doemonum. Quos omnes Deus etsi sui juris creaverit in principio; nihilominus nunc homines solum in arbitratu suo manere docet, ita ut de bono in malum et vicissim converti possint: Spiritus vero coelestes ac doemones quantumvis in sua creatione liberos, attamen post horum lapsum, et aliorum in bono continentiam, immutabiles se habere; ac ideo diabolum modo semper peccare, ejusque peccatum in ipso *naturam* factum esse, nec unquam ad poenitentiam suam excitari voluntatem; quemadmodum ordines angelicos nunc in bono existentes, incom-

mutabiliter in eo perseverare. De qua re admodum revocare juvat quod contra Heracleonem haereticum Libro XIII. n. 59. *in Joannem* alacriter scribit illius temeritatem et impietatem refellens, cum evangelica verba *credidit ipse et Domus ejus tota*, commentatus sit de angelorum ordine. Quando de istorum quibusdam, *inquirere dicit utrum nec ne salutem consecuturi sint, qui nimirum descenderunt ad filias hominum*: quae et alia hujus generis Origenes vocat *audacia et impia Heracleonis commenta.*

Ut autem amplius ex his Origenis mentem haud satis comprehendisse cujusque aetatis interpretes, patefiat, ac ideo quod ipse non senserit, aliter exposuisse, conferantur quae ait Lib. 1. c. VIII. 3. de rationalis creaturae arbitrio, proindeque de boni malique ejusdem capacitate; adeo ut et ipse doemon ante lapsum sui juris compos, ad unum seu ad alterum divertere posset: « Secundum nos, inquit, ne diabolus quidem ipse incapax fuit boni: non tamen idcirco quia potuit recipere bonum, etiam voluit, seu virtuti operam dedit. » Quae sane verba per se patent. Attamen Hieronymus in Epistola ad Avitum, aliter ea interpretatus est ab eo, quod exposuit Ruffinus. Sic enim transtulit Hieronymus: *diabolum non incapacem esse virtutis, et tamen necdum velle capere virtutem.* Quod quidem totum sensum pervertit, praeterito tempore in praesens revoluto, idest *esse* loco *fuisse* translato; et sic de sequentibus: *et tamen necdum velle capere virtutem;* quod omnino abhorret ab interpretatione Ruffini; quae satis contextui conformis incedit, mentique Origenis connectitur; uti e posterioribus probatur: « Sicut enim, addit, per haec, quae de prophetis exempla protulimus, edocetur, diabolus fuit aliquando bonus cum in paradiso Dei in medio Cherubim versaretur. Sicut ergo iste habuit quidem in se vel virtutis recipiendae, seu malitiae facultatem; et a virtute declinans tota se mente convertit ad malum etc. » Cum itaque hoc in loco non ex textu graeco (qui deest) arguere liceat, unde late pateret sensus, nihilominus exempla Scripturarum ibi citat Origenes eadem, quibus indubium et probatum tradidit ipse nobis suae fidei testimonium circa perpetuam doemonis ac sociorum suorum perditionem. Quos adeo lapsos

esse ait, ut sive velint, sive nolint, nunquam resurgere potuerint, omni salutis spe ab eis adempta sicuti et poenitentiae: veluti antea a me testimoniis perspicuis, quibus ne adversarii quidem Origenis refragentur, patefactum est.

Hinc ergo statuitur, ni in antilogiam penitus incidisse velimus Adamantium, falsatos codices legisse dicendum est Hieronymum, diverse transferentem, quod argumentum illius non intendit: quemadmodum in secunda Parte latius disputabitur. Quapropter tum ob hanc minus aequam Hieronymi interpretationem, tum ex ceteris Origenis sententiis et maxime in Libris *De Principiis*, quas Ruffinus obscuras in versione reliquit aliquando, unde et posteri ac latini speciatim de eodem Origene offensi sunt, tum ex graecis ipsis scriptoribus, qui malitia, seu ignorantia, ejusdem libros percurrentes, illius mentem praeter fas transverterunt, firmatur amplius, quam recte Pamphilus martyr (qui profecto Scripta *Periarchon* scrutatus nullibi talem de futura doemonum sive reproborum salute animadvertit errorem) Auctoris nostri doctrinae vindex contra ejusdem accusatores invehitur ob has, quas praemisi causas: « Praeterea etiam illud est invenire, inquit in Praefatione Apologiae, quod nonnunquam tales sunt accusatores ejus, qui nec graecam noverint linguam; alii omnimodis imperiti, nonnulli etiamsi aliquid videantur habere peritiae, non tamen etiam id studii habuisse inveniuntur, ut libris ejus operam dederint. Aut si acciderit ut etiam legerint, non continuo etiam tantae eruditionis fuerint, ut altitudinem sensus ejus assequi quiverint, quo ea, quae ille diverso prospectu pro locis et causis disserere solet, advertere voluerint etc. » Ideoque ob has potissimum causas quoad doemonis salutem, ipsemet Origenes ad amicos alexandrinos scribens, inimicorum suorum calumniam manifestat, cum ii, quod ipse nunquam nec dixit, nec excogitavit, talia docuisse affirmarint, doemonem scilicet malitiae patrem ejusque criminis ac poenarum socios fore salvandos.

Ex his insuper praemissis et quoad Pamphili pro Origene Apologiam, et alteram Origenis ejusdem contestationem solemnem de fidei suae integritate circa doemonum perditionem perpetuam, duo mihi notanda offeruntur. Primum

in eo vertitur quod ipse profitetur Adamantius in Prologo Librorum *De Principiis* n. V. ubi pro certo ex doctrina apostolica accepit, et sic ipse statuit: « quod anima substantiam vitamque habens propriam cum ex hoc mundo discesserit, pro suis meritis dispensabitur, sive vitae aeternae ac beatitudinis haereditate potitura, si hoc ei sua gesta praestiterint: sive igni aeterno ac suppliciis mancipanda, si in hoc eam scelerum culpa detorserit. » Et similiter *in Evangelium* Joannis contra Heracleonem firmiter tenet, doemone lapso, ipsius peccatum factum esse naturam. Quapropter cum nos jam speciali quaestione, *aeternitatis* vocabulum, quid in eo velit Origenes, ita expendimus, ut nihil dubii amplius maneat, quin ad interminabile aevum extendendum sit, et maxime cum ageretur de vita futura post mortem et resurrectionem, pari perpetuitatis sensu, utrisque sive probis, sive malis destinanda: ac insuper cum pro hujusmodi significatione ab Ecclesiae Catholicae testimonio probata, contra haereticos aliter sentientes dimicasset; satis arduum mihi videtur, ne dicam impossibile, ut Adamantius in citatis Libris *De Principiis* potissimum (in quibus haec eadem ex Apostolorum auctoritate definivit) aliter doceret et contra seipsum pergeret, sicuti adversum Christi doctrinam, illud negans, quod alibi ab initio sermonis, veluti suae fidei fundamentum, posuit. Et istud sane praefatos libros sedule percurrenti, liquido patebit.

Secundum ex eodem Pamphilo eruitur, qui pro Origene elaboravit, et pro ejusdem cum Ecclesia Catholica concordia, ea revocans dicteria, quibus ab obtrectatoribus impetebatur. Postquam enim s. Martyr praemisit, Adamantium, nec definitiva sententia pronunciasse de multis (quae sane a dogmate de aeternitate poenarum aberant) sicuti in aliis dicens immerito tanti viri famae derogasse adversarios: ad specialem transit eorum inquisitionem, in quibus errasse dicebatur Origenes. Atque in his Libros *De Principiis* praeponit, ubi ejus criminatores, ait Pamphilus, maxime illum incusandi praetextum repererunt, ut sic ordinatim ad ceteros libros transiret. In his itaque libris percurrit s. Martyr, quae ex traditione ecclesiastica docuit Adamantius, de Trinitate, de

Christi Divinitate, de Incarnatione, de Scripturarum sensu, de Resurrectione, de Poenis peccatorum, de Anima, etc. Ceterum quod nostram quaestionem tangit, de suppliciorum nimirum aeternitate, quasi in hoc doctrinae catholicae restiterit, terminum poenis apud inferos ponens, per eam, quae dicitur *palingenesia* seu *regeneratio* reproborum post diuturnum tempus ipsis superventura (unde sequiores aevi scriptores adhuc usque offensi sunt de Origene) nihil animadvertit Pamphilus, neque ex se, neque ex aliorum, qui tunc ei adversabantur, auctoritate. Quod profecto indicat, nec Pamphilum in citatis potissimum Libris *De Principiis*, nec ceteros ad octoginta fere annos, hujusmodi perspexisse errorem in iis pericopis, quas nuper dilui: atque ex contextu et amplius ex ejusdem Origenis contestatione firmavi ita se habere eorum verborum sensum, aliter, inquam, penitus quam hodierni excogitarunt interpretes.

Quoad autem reliquas quaestiones in praefatis Libris ab Origene excitas, de *accidente*, sive *decidente bonitate*, et aliis similibus ibidem traditis, utrum scilicet sint nec ne acceptanda, scias, quae ipse initio c. VI. n. 1. Libri I. scripsit, inquiens: « Haec quidem a nobis etiam cum magno metu et cautela dicuntur, discutientibus magis et pertractantibus, quam pro certo ac definito statuentibus. » Attamen in Capite *de Anima* sedula disquisitione cum haec expendenda sint, de iis quaerere nunc supersedeo, tantummodo, quae in proposito argumento catholicum dogma pertingunt, studens. Ideoque his praetermissis, ad quaestionem reversus, neminem puto latebit, quod ideo ad invicem contenderunt Hieronymus et Ruffinus, et quae ille alteri exprobat de Litterarum mutilatione, quas Origenes ad alexandrinos misit, ubi obtestatus est, se nunquam ab Ecclesiae sententia decessisse circa aeternam doemonis perditionem; de quo superius disputatum est. Similiter ibidem actum est de Dialogo inter Candidum et Origenem circa doemonis naturam: ubi ille, Origenes Candidi calumniam refellit, sibi objicientis dictum, idest diabolum salvari posse. Cujus Origenis responsum, interpretationi accommodatur, quam nuper super libros *Periarchon* liquido exegimus de doemonis ante lapsum arbitrio.

quam supremam obiit diem, passus ideo sit reprehensiones, et convicia; et eo magis cum viri perversi ejus verba corruperint, falso interpretati illius mentem, ad sua desideria sibi inde praetextus coacervantes in propriam ac imperitorum ruinam, offendiculis huc illuc in Ecclesia disseminatis. A quibus innoxium ire penitus Origenem, nemo post tot argumenta negare praesumet.



CAPUT XVIII.

De gehenna ignis, de tenebris exterioribus, de inferno ac demum de loco in vita futura pro animarum expiatione sive de Purgatorio, quae sensit Origenes.

Ne taedeat lectorem: adhuc expendendae supersunt quaedam dicendi formulae apud Evangelistas praecipue in usu de vita futura locutos; cujusmodi sunt ᾅδης *infernus, gehenna ignis, tenebrae exteriores*. Cum enim varimode ab Origene (siculi et a priscis Ecclesiae patribus) sumptae sint, et discussae, adversariis, nulla in iis vocabulis exacta distinctione, visum est ideo a recta fide de suppliciorum aeternitate, Auctorem nostrum defecisse, quod penitus falsum est. Quapropter has speciatim dictiones scrutati, duplici sensu comperimus *infernum* comprehendisse Adamantium, alias generice sumptum, locum nimirum defunctorum animabus post mortem destinatum; alias seorsim pro tormentorum loco, ubi jugiter pravi torquentur. Ex. g. « Sed et inferni locus, inquit, in quo animae detinebantur a morte, etiam ipse mors appellatur. » Alibi: in morte sua, ait, triumphans Christus, perrexit etiam in domum mortis, in infernum, ut inde vasa ejus eriperet. Item dicit, Christi animam non derelictam esse in inferno: ac pro salute mundi usque ad infernum descendisse, et inde Adamum revocasse. Ita scribit Tomo I. *in Joannem* n. 34. et in *Epistolam ad Romanos* Libro V. n. 10.; quibuscum Origenes juxta veterum hebraeorum traditionem sub *sceol* sive ᾅδης sive *inferni* vocabulo variam animarum defunctorum repraesentavit conditionem in futuro seculo. Verum aliquando eo nomine tantummodo tormentorum locum designat, siculi e contra beatorum sedem vocat Abrahae sinum, veluti Homilia IX. *in Leviticum*. Pariter *in Psalmum IX. Convertantur peccatores in infernum* etc. sicut, inquit, paradisus justorum est habitaculum, sic infernus peccatorum est ad ferenda supplicia domicilium. » Ideoque juxta variam hujus vocabuli relationem in scriptis Origenis, ita quoque ejusdem sensus venit, adeo ut nil sit inde eruendum contra dogma de aeternitate poenarum.

Pari autem ratione arguendum de nomine gehennae est contra adversarios, qui Homiliam XVIII. *in Hieremiam* legentes, ubi dicitur: « gehenna ignis aliud quaero gravius supplicium; et forte dici potest, gehennam peccatis deputari involuntariis, quae expiari possunt » ibi, inquiunt, errorem suum iterat Origenes de poenis damnatorum temporariis. Patet enim duplici sensu in apostolicis Scripturis venire hoc gehennae vocabulum, alias de poena temporali, alias de sempiterna. Et id perspicue eruitur ex Matthaeo c.V. 22. *Qui autem dixerit (fratri suo) fatue, reus erit gehennae ignis.* Tantummodo namque hic temporalis poena etsi gravissima, statuitur in eos, qui sic fratres suos vituperassent, veluti antea ait Dominus, suppliciorum varietatem ex culpae varietate distinguens contra pharisaeorum placita. Deinde cum hujusmodi temporalis poena reos valde torqueret ob facinora scelestissima ab iis patrata, factum est, ut sub quadam similitudine ibi repraesentarentur perpetua in futuro seculo per ignem tormenta, quibus reprobi mulctandi erunt. Et hoc probatur ex c. XVIII. ejusdem Evangelistae, ubi *gehennae ignis* substituit ignem aeternum: *bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum;* quod et divus Marcus c. IX. 44. fecit, addendo *in gehennam ignis inextinguibilis,* volens hunc ab altero igne temporaneo, qui extinguitur, secernere.

His animadversis, conferantur citata Origenis verba, ubi distinguit poenas, quas Lex delinquentibus irrogabat, ab aliis quas statuit Evangelium quippe, uti dicit, primis duriores ob aetatis varietatem. Docens enim Legem mosaicam infantibus positam fuisse, et evangelicam aetate perfectis; transit inde et ait: « Si autem is, qui *dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis,* adulter cujus erit reus? gehenna ignis aliud quaero gravius supplicium; et forte dici potest gehennam peccatis deputari involuntariis, quae expiari possunt. » Sic nempe statuens de gehenna uti de expiationis loco seu in hac vita, sive in altera, ubi poenas luent homines ad reatus expiationem, hoc ipse cum Ecclesia Catholica docet. Cum autem paulo post dicat, supplicium majus gehenna esse illud,

quod adulteris paratum est: et amplius addat praeter illud, quod dici, audiri et excogitari potest, tormentum majus destinatum eis, qui Filium Dei conculcaverint, idest *poenas aeternas, ignem inextinguibilem*; taliter inquam, ab eo statuta discrepantia, quid unquam contra catholicum dogma de perpetuitate poenarum ex citata pericope inferendum est?

Item sub alia significatione gehennae nomen, idest statum quemcumque post mortem comprehendit, Heracleonem arguens (Tomo XIII. *in Joannem* n. 59.) qui existimabat *animam et corpus interire in gehenna.* Hunc *in Epistolam* ad Romanos purgationis locum pro omnibus vita defunctis constituit ad humanitatis reformationem, veluti antea a nobis explanatum est. *Contra Celsum* Lib. VI. n. 25. ait gehennam in Evangelio usurpari pro poenarum loco, et juxta hebraeorum traditiones, cum illa eadem sit ac vallis Ennon prope Hierusalem sita; hinc anagogice eam sumens, animarum lustrationes ibi significari dicit a malitia, quae eis contigit, uti jam expendimus. Aliter deinde Tractatu *in Matthaeum* XXIII. n. 16. hanc vocem sumit, Christi verba interpretatus *facite eum filium gehennae duplo quam vos estis.* Ibi enim Origenes aeternam damnationem comprehendit, ac varia tormentorum genera eisdem ibi perpetuo infligendorum prope cujusque in vita reatus: « Ut justus quidem secundum numerum justitiarum suarum augeatur in gloria: peccator autem secundum numerum peccatorum suorum multiplicetur in gehenna. »

Ita eodem sensu hoc profert vocabulum de resurrectione locutus: ubi non solum animae sed corpora adstabunt, *ante tribunal* nimirum *Christi*, *ut reportet unusquisque propria corporis prout gessit*, et secundum illud, quod dictum est: *timete magis eum, qui potest et corpus et animam perdere in gehenna*: *uti in Epistolam* ad Romanos Lib. VII. n. 5. Unde concluditur, Origenem per *gehennae* dictionem non ubique *infernum* repraesentare, uti vulgo in Ecclesia docetur animas contineri, suppliciis sempiternis damnatas; sed aliquando pro morte illam sumit, quandoque pro expiationis loco, alias pro nomine loci proprio, ac prope Hierosolymam siti et generatim pro animarum defunctorum mansione: ideo-

que nihil inde statuendum est contra catholicam doctrinam de aeternitate poenarum.

Quod hucusque dictum est de *gehennae* vocabulo, pari jure concedendum est alteri Evangelii formulae *de tenebris exterioribus* ab eodem Matthaeo in cc. VIII. XXII. XXV. parabolice sumptis; quae sibi volunt miseriarum symbolum, quibus subjiciendi erunt infideles, atque ex adverso Christifidelium coenaculo luminibus et gloria plane lucenti. Qui quidem locus tenebrarum non tantum futuram post mortem pravorum conditionem respicit, sed et in hoc seculo improborum statum in vitiorum caligine degentium. Nisi quod ii, qui nunc temporis in tenebris et umbra mortis sedent, fieri potest, ut aliquando resipiscentes in Ecclesiae coenaculum admittantur; aliis vero in peccato mortuis nulla nec emendationis nec lucis spes fulgebit unquam. Ita sane id comprehendit Origenes in parabola de filii regis Nuptiis, quibus adstitit vir haud veste nuptiali indutus. « *At ille obmutuit.* At obmutescit, inquit *in Matthaeum* Tomo XVII. n. 24. is, qui absque veste nuptiali in magnificas hasce nuptias ingredi ausus est, neque quidquam proferre potest. Qui ut poena ac damnatione dignus ab eo condemnatur, qui ministris edicit, aliis nempe ab exercitibus; de quibus supra dictum est, ut colligatum ipsum pedibus, manibusque, quibus recte, et uti par erat, usus non est, (nec enim, uti decuerat, ambulavit, neque ea, quae decuerant, egit) non extra nuptiale dumtaxat convivium, sed in tenebras etiam exteriores, et omni cassas lumine, ejiciant; ut postquam in exterioribus tenebris fuerit versatus, lumen sitiens ad Deum, qui beneficium in eum conferre, atque inde illum liberare potest, fleat, infrendatque dentibus, qui propter nequitiam suam uvam acerbam comederunt, atque idcirco obstupuerunt. »

Item *in Matthaeum* Tractatu XXXIII. n. 69. *de talentis* sic ea verba exposuit: « Iste autem, qui unum acceperat talentum, et absconderat ipsum in terra, non solum quasi malus et piger arguitur, sed quasi inutilis mittitur in tenebras exteriores; ubi nulla illuminatio est, forsitan nec corporalis, nec est respectio Dei illic: sed quasi indigni speculatione Dei, qui talia peccaverunt, condemnantur in his,

quae exteriores tenebrae appellantur; forsitan donec intellexerunt, ut convertantur, et digni efficiantur exire ab eis: forsitan et propter aliam causam, quam nos ignoramus: quoniam legimus aliquem, qui fuit ante nos exponentem de tenebris abyssi, et dicentem, quoniam abyssus est extra mundum foris et tenebrae. Consideremus ergo si potest vera esse expositio ejus, ut exteriores tenebras illas intelligamus, ut quidam quasi indigni toto mundo, in abyssum illam, quam ille exposuit, foras ejiciantur: in qua sunt tenebrae, nemine eas illuminante, cum sint extra totum mundum. »

Quomodocumque tandem ex his et praemissis, vocabula hujusmodi sive *infernus* seu *gehenna* sive *tenebrae exteriores* suscipere velis latiori, vel restrictiori significatione; patet tamen Origenem, varietatem perspicue statuisse, quae poenis intercedit temporaneis in hac vita ac aliis in futura post mortem tum pro levibus tum pro gravioribus reatibus infligendis; adeo ut pro levibus expiatio statuatur, unde communis in Ecclesia Purgatorius locus venit; pro gravioribus vero nulla detur venia: quinimmo suppliciis torqueatur sempiternis ille, qui sic peccaverit; quod in proposita quaestione satis est.

Ex hoc capite sicuti e praecedenti (quod mihi hoc ultimo loco manet Adamantii adversariis objiciendum) omnibus simul collatis, quae ad hujusmodi expiationis genus per ignem, pertinent, ea Origenes variis ex Bibliorum sententiis comprobare studuit. Ex. g. *Deus ignis consumens est*: *si quis autem superaedificaverit super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: et uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit:* Similiter Homilia XXV. in *Numeros* n. 6. tradit: *haec erit justificatio legis, quam constituit Dominus Moysi: praeter aurum et argentum et aeramentum, et ferrum et plumbum, et omnis res, quae transit per ignem, traducite per ignem et mundabitur. Sed et in aquae purificationis purificabuntur etc.* E quibus haec statuit: « Vides quomodo purificatione indiget omnis, qui exierit de praelio hujus vitae. Quod si ita est, ut aliquid audeam dicere secundum divinam auctorita-

tatem, omnis qui exierit de hac vita, non potest esse mundus. »

Ideoque si eorum velimus probare opinionem Origenem exprobrantium, quod reprobos aliquando a poenis apud inferos exemptum iri docuisset, et hoc ex praedictis ejusdem testimoniis, quibus saepissime huc illuc, uti vidimus, suos libros inspersit, statuendum ex legitima illatione foret, omnes et singulos homines universim post judicium novissimum inferorum igni cum doemonibus destinandos esse, ibique ad praefinitum tempus per ignem transeuntes, expiandos. Et etsi alios ad modicum temporis, quosdam ad diuturnum, alteros ad longius, et ceteros ad aevum longissimum, singulos tamen sive patriarchas, sive apostolos, sive martyres, ceterosque fide et sanctitate praestantissimos eo indigere igne, per illum transire, ac in eo degere torquendos sive parum seu multum; quousque penitus lustrati ad coelestem gloriam transferantur coram Deo et angelis ejus. Quod quidem tantummodo cogitare absurdum est.

Nos ergo urget necessitas aliter Origenis mentem interpretandi; et quidem merito alium admittentes ignem, quem ipse metaphorice ac mystice dicit, humanam naturam, protoplastorum vitio corruptam ac pessumdatam, detergere et sanare post mortem, ut in resurrectione omnes in aeternum vivant incorruptibiles et immortales probi reprobique. Ignem dico diversum ab altero, qui revera divinitus immissus, divinitus ardens, vehementer et incessanter ac nunquam extinguendus, apud inferos corpora excruciabit damnatorum. De hoc consulas, quae ipse scribit Homilia IV. in Isaiam n. 5. ex verbis: *Et missus est ad me unus de Seraphim, et manu ejus habebat carbonem, quem acceperat forcipe de altari*: « Non quocumque, inquit propheta, simpliciter et fortuito igne purgatur, sed qui est de altari Dei. Si purgatus non fueris altaris igne, residet tibi ille, de quo dictum est: *Ite a me in ignem aeternum, qui praeparatus est Zabulo et angelis ejus*. Non est talis ignis de altari. Omnes igni tradendi sunt; sed non omnes uni igni, alios de altari ignis expectat, alios ignis, qui praeparatus est Zabulo et angelis ejus ».

Novissime, postquam de *chachïas* malitiae expiatione per ignem efficienda late egimus secundum Origenis mentem, ne videatur ipse, tertium transegisse post obitum, locum, ubi defunctorum animae detinentur ad aevum definitum pro levium culparum lustratione, aut ad solvendum debitum ex reatu peccatorum lethalium quoad culpam dimissorum, quemadmodum docet et tenet Ecclesia Catholica: novissime, inquam, praestat obsignare de hac re sicuti de ceteris, ipsius Origenis fidem doctrinae catholicae consonam. Istud porro tradit Homilia XXVIII. *in Numeros*, regionem chananaeam describens; et ubi terrena coelestibus comparans, imaginem coelorum dicit praeferre Judaeae terram; ac ex varietate quoque urbium ibidem sitarum, habitantium sortem ex cujusque meritis designari: « Et hoc modo, inquit, ista quae nunc in Libro *Numerorum* scripta referuntur, adumbratio quaedam sit futurae sortis in coelis, eorum dumtaxat, qui per Jesum Dominum ac Salvatorem nostrum haereditatem, ut diximus, capient regni coelorum. Ibi credo, observabuntur etiam ista, quae hic adumbrantur privilegia sacerdotum, quibus vicina quaeque urbibus loca, et ipsis moenibus juncta, segregari mandantur a filiis Israel. Ibi credo et civitates istae erunt, quarum hic figura describitur, quas refugii nominat civitates; ad quas confugiant non omnes homicidae; sed qui ignoranter homicidium commiserunt. Sunt enim fortasse aliqua peccata, quae si proposito ac voluntate committimus, homicidas nos faciunt: et sunt alia, quae si ignoranter committimus, decernitur nobis, credo, et praeparatur ex praecepto Dei aliquis locus; ubi ad certum tempus habitare debeamus; siqui non voluntaria peccata commisimus: si tamen mundi inveniamur et alieni ab iis peccatis, quae voluntate commissa sunt. Et ob hoc secernuntur quaedam civitates ad refugium ».

CAPUT XIX.

Origenis sicuti et Nysseni cum Apostolo in Epistola I. ad Corinthios, c. XV. *et hinc cum Ecclesia Catholica concordia statuitur in fide et in divinae dispensationis ordine, quo mortui in fine dierum denuo ad vitam perennem revocandi erunt; unde majori lumine cumulanda veniunt, quae hucusque de hoc argumento et praesertim de regeneratione egimus.*

Ex aevo apostolico invaluit in ecclesia error circa mortuorum resurrectionem, adeo ut nonnulli huic dogmati mentirentur penitus, alii allegorice resurrectionem in baptismo exponerent, alii alia de eadem commenti sint. Ideoque s. Paulus Christi verba sectatus, ejusdemque a mortuis tertia die resurrectioni testimonium perhibens, Corinthios monet, in hac fide persistere, scientes humanum genus universim a mortuis excitandum fore sive probos, sive malos, sive fideles sive infideles: *quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*

Verumtamen Apostolus humanae naturae corruptibilem conditionem ac ideo mortalem animadvertens ob protoparentum culpam humanitati universae superinductam adeo ut nemo in perpetuum vivere posset; per novum hominis figmentum. Deique manu elaboratum, corruptionis causa sublata, statuit corpora humana incorruptionem et immortalitatem tunc in resurrectione consecutura. Et hoc ex necessitate: *oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem,* quin inde ullus ab hac sit transformatione eximendus, et ita staret illud: *absorpta est mors in victoria*; omni nempe principatu et potestate hostili penitus destructis, solo regnante Christo, coram eo genuflexis coelestibus, terrestribus et infernis, ut *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Et in hoc praecipue consistit Apostoli argumentum, et sic per totum caput incedit contra incredulos, resurrectionis possibilitatem sicuti et veritatem ostendens, quin

ibi de retributione unicuique pro meritis post judicium novissimum obvenienti, specialem instituat sermonem.

Quapropter et quod deinde docet Paulus v. 50: *Hoc autem dico fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit;* hoc, inquam, haud tantummodo in futuram proborum sortem vertitur, iis in regno coelesti paratam; verum et de reprobis ibi agitur; vel potius de humanitatis universae conditione in melius refingenda per regenerationem, ut in aeternum vivat, loquitur Apostolus. Ideoque, quod ait, *regnum Dei*, cum aliquando praesentis quoque aevi Ecclesiam comprehendat; quandoque Christi regnum cum Patre in coelis sibi velit, ubi sempiterna fruitione cum Deo laetantur sancti; in hoc loco tamen Paulus illud solum Christi regnum indicat, ubi devicta morte, malitia seu concupiscentia carnis ab homine dissipata, potestate tenebrarum diruta, solus Christus regnabit. Et ubi omnes e pulvere mortis expergefacti, Christum Deum confessi, glorificabunt eum tam pii quam impii, tam justi quam peccatores, etsi inaequalem conditionem pro cujusque meritis sortituri, alii in coelis Deum facie ad faciem intuiti, bonis omnibus cumulati, ceteri cum doemonibus incessanter miseri, cruciatibus affecti sempiternis: quod alibi docet Apostolus.

Hunc porro sensum objicere apostolicam sententiam e contextu eruitur, ubi nulla agitur specialis mentio nec de probis, neque de reprobis resuscitandis, sed omnes indiscriminatim, ait, necessario resurgent, omnes immortalitate praediti, et omnes incorruptibiles; et quamvis vitiorum omnium congeriem in sua corpora intulerint, incorrupti resurgent: *canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti*, boni malique simul. Ideoque ut hunc statum incorruptionis humana pertingat natura, a veteri homine in novum ipsa mutanda venit; quod veram regenerationem ac restaurationem constituit, veluti praefati Scriptores mentem apostolicam interpretati, docuerunt. Ex his igitur talis se habet pericopae sensus: *Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio corruptionem.* Idest hominis natura sub peccato perdita, carnalibus vitiis corru-

pta, cum regnum Dei possidere non possit, per regenerationem, instaurationem et mutationem divinitus patratam, perficienda est, ut resurrectionem assequatur ad immortalitatem; alioquin Christi triumphus in mortem mentiretur, nisi resurrectio per hanc fieret regenerationem.

Ceterum hujusmodi formulam *caro et sanguis* talem praeferre sensum corruptionis nempe naturae humanae, ex quo Adam Deo rebellis e perfectionis statu decidit, ac mortem subiit, ex aliis Scripturae testimoniis probatur. Ad Romanos c. VIII. 6. dicit Apostolus: *prudentia carnis mors est.* Ben-Syrach in Ecclesiastico c. XIV. inquit: *generatio carnis et sanguinis*, uti paulo ante dixit, *omnis caro ut foenum veterascet.* Item Synagogae magistri: angeli stant in aeternum, inquiunt, ego vero caro et sanguis hodie sto, cras moriturus.» Ita praeterea ex Apostolo ibidem, quin de coelesti beatitudine dissereret, universum comprehendisse genus humanum in regno Dei resuscitandum; proindeque peccati legem in carne mortificandam, ut solus regnet Christus, statuit ipse Origenes *in Epistolam ad Romanos* Lib. V. n. 10. in iis quae Paulus idem ait: *mors ei ultra non dominabitur*: «Potest ergo quis compendiosius in his dicere, quia hic *mortem*, communem hanc dicit et mediam, qua mortuus est, sicut idem Apostolus dicit *secundum Scripturas,* et nihil absurdum videri, si is, qui formam servi susceperat, dominatum pertulerit mortis, quae sine dubio dominatur omnibus, qui in carne positi sub servili forma censentur. Sed et illud assertioni huic adjacet, quod propterea forma haec servi, idest ipsa etiam nostra caro, seminatur in corruptione, ut surgat in virtute, et seminatur in contumelia, ut surgat in gloria, et seminatur corpus animale, ut resurgat corpus spiritale, sine dubio, ut mors ipsi ultra non dominetur; quae dominata est ei, dum esset in infirmitate, et contumelia et corruptione. De tali enim carne, quae adhuc in his est passionum vitiis, ipse Paulus ait: *quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem possidebit.* Sed et quod alibi idem Apostolus corpus *mortis* nominavit, is qui haec asserit, hujus mediae mortis intelligendum dicit, quae hujuscemodi corpori dominatur, donec animale est, et

corruptibile, et necdum per resurrectionis gloriam commutatum, atque ex corruptibili incorruptibile effectum, et ex ignobili gloriosum etc. » Videas ergo hic Apostolum verba *regnum Dei* non seorsim, idest beatorum sedem in coelis comprehendere voluisse, verum Christi dominationem in omnibus sive bonis sive malis a regno mortis exemptis et in regnum Dei translatis; ubi mors, idest virtus contraria vitae, ultra non dominabitur eis, utpote perpetuo viventibus in retributionibus juxta cujusque in vita actus.

Item *in Psalmum* 144: « *Sed in tabulis carnalibus cordis*, tabula, inquit, carnalis est anima ratione praedita, quae facile suscipit legem Dei. Est etiam caro, quae in malam partem accipitur, ut cum dicitur: *non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* Paulus quoque ait: *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt:* hoc loco enim caro *chachïan malitiam* significat. » Item in *Periarchon* Lib. II. c. X. n. 3. in eumdem sensum vadit dicens: « Quod utique si credunt Apostolo, quia corpus in gloria et virtute et incorruptibilitate resurgens, spiritale jam effectum sit, absurdum videtur et contra sensum Apostoli dicere, id rursum carnis et sanguinis passionibus implicari cum manifeste dicat Apostolus: *quoniam caro et sanguis regnum Dei non possidebunt; neque corruptio incorruptionem.* » Patet igitur Apostolum in verbis; *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, praefatis congruenter, non bonorum salutem animadvertere, judicio novissimo peracto, sed omnium comprehendere et regenerationem et resurrectionem, malitia seu peccato in carne consumpto, quemadmodum antea dixit: *sicuti enim omnes in Adam moriuntur, sic etiam in Christo omnes vivificabuntur*; unde concludit Origenes: « Nam quamvis dederit illi omnia Pater, in manus, atque in Christo sint vivificandi; non confunditur tamen, quin distributio fiat ex dignitate uniuscujusque: quod declaratur ex his, quae mox huic dicto: *sic in Christo omnes vivificabuntur*, subjunguntur nempe: *unusquisque autem in ordine suo.* »

Tertullianus, qui eodem tempore, pari studio et alacritate resurrectionis dogma contra haereticos propugnavit, apostolica verba: *caro et sanguis regnum Dei possidere non*

possunt, exponens, hanc, quam praemisimus, contulit interpretationem in Libro *De Resurrectione carnis* c. L: « Sed et omissis hujusmodi interpretationibus carnis et sanguinis opera taxantibus, ipsas quoque substantias non aliter quam sunt, intellectas licebit resurrectioni vindicare. Non enim resurrectio carni et sanguini directe denegatur, sed Dei regnum, quod obvenit resurrectioni (est enim et in judicium resurrectio) immo et confirmatur carnis resurrectio generalis, quum specialis excipitur. Dum enim in quem statum non resurgat, edicitur, in quem resurgat, subauditur. Atque ita dum pro meritis distinctionem, resurrectionis opus substantiae non genus patitur, apparet hinc quoque carnem et sanguinem nomine culpae non substantiae, arceri a regno Dei, nomine tamen formae resurgere in judicium, qui non resurgant in regno...

« Sed quoniam, deinceps ait, opera carnis et sanguinis non posse consequi regnum Dei edixerat, quo magis hoc exaggeraret, ipsi quoque corruptelae, idest morti, cui carnis et sanguinis opera proficiunt, haereditatem incorruptelae ademit. Nam et paulo post ipsius mortis quodammodo mortem expressit: *devorata est mors* dicens *in contentionem. Ubi est mors aculeus tuus? Ubi est mors contentio tua? Aculeus autem mortis delinquentia, virtus autem delinquentiae lex.* Illa alia sine dubio, quam constituit, in membris suis militantem adversus legem animi sui, ipsam scilicet vim delinquendi contra voluntatem: « Paucis interjectis: » Oportet enim corruptivum istud induere incorruptionem, et mortale istud induere immortalitatem. Quid mortale nisi caro? quid corruptivum nisi sanguis? Ac ne putes aliquid aliud sentire Apostolum providentem tibi, et ut de carne dictum intelligas laborantem, quum dicit istud corruptivum et istud mortale, cutem ipsam tenens, dicit. Certe istud nisi de subjecto, nisi de comparenti pronuntiasse non potuit. Demonstrationis corporalis est verbum, aliud autem corruptivum, aliud corruptela; et aliud mortale, et aliud mortalitas. Aliud enim quod patitur, aliud quod pati efficit. Ita quae patiuntur corruptelam et mortalitatem, caro scilicet et sanguis, ea necesse est patiantur et incorruptelam et immortalitatem. » Concludas ergo apostolica

dicta *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, non verti tantum ad beatorum sortem in Paradiso Dei, sed universim afficere et sanctorum corpora et reproborum; aliter reprobi non resurgerent. Omnes namque incorruptibiles, immortales tam pii quam impii in regno Christi novissimo excitandi erunt: et hoc propugnat ex Paulo Tertullianus. Verum ut resurrectionem pertingant, devicta morte, omnium penitus corpora redintegranda, seu regeneranda fore dicit ad illam naturae conditionem, qua homo primus creatus est immortalis et incorruptibilis; ut sic substantia carnis habilis efficiatur regno Dei. « Erimus enim, scribit, in Libro V. *contra Marcionem* c. X. sicut angeli. Haec erit demutatio carnis, sed resuscitatae. Aut si nulla erit, quomodo induet incorruptelam et immortalitatem? Aliud igitur facta per demutationem, tunc consequetur Dei regnum jam non caro nec sanguis, sed quod illi corpus Deus dederit. Et ideo recte Apostolus: *caro et sanguis regnum Dei non consequentur*, demutationi illud adscribens, quae accedit resurrectioni. » Et hoc est, quod saepius statuit Nyssenus et praecipue in cc. XVI. et XVII. *De hominis Opificio*, ostendens, deplorandam hanc naturae humanae ταλαιπωρίαν aerumnam, nequaquam respondere τῇ μακαριότητι τῆς ἀπαθοῦς beatitudini apassibilitatis, in qua primum conditus est homo; ac ideo dicit universim hanc nostram substantiam corpoream denuo in resurrectione demutandam ac restaurandam fore in pristinum statum, ut immortalis fiat.

Ex his porro praemissis de apostolica sententia: *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam possidebit*, uti illatio necessaria, quae subsequuntur, idem viderentur pertingere argumentum: *ecce, inquit, mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur*. Nihilominus cum parum clarescat ibi Vulgata Editio; cumque amplius ex codicibus graecis et latinis variae et discordes inter se et a Vulgata hucusque pervenerint lectiones; nemo offendatur, si a Vulgato Interprete modo mihi recedendum sit. Id autem non auderem, nisi ve-

tustissimus Codex graecus Bibliorum Vaticanus, Origenes, Nyssenus aliique, et praesertim contextus, emendationi praeberent suffragium.

Lectio itaque Codicis Vaticani ista tradit: « Ἰδοὺ μυστήριον ὑμῖν λέγω, πάντες οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. *Ecce mysterium vobis dico: omnes non dormiemus, omnes autem commutabimur: in momento, in ictu oculi in novissima tuba. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos commutabimur.* Vide ergo quantum haec lectio a Vulgata discrepet. Profecto, particula negativa οὐ a primo hemistichio translata ad secundum, totum argumentationis ordinem confundit, atque extra scopum ducit Apostolum. Qua sane ratione explicaretur: *sed non omnes commutabimur* ? cum in orationis serie illud praecipuum velit Apostolus, idest necessitatem commutationis nostrae substantiae corporeae a statu corruptibili ad incorruptionem, non quorumdam hominum, sed cunctorum universim, nemine excepto, ita ut omnes assequantur resurrectionem. Cum enim omnes, dicit, in Adamo peccarint, ac in Adamo corruptionem haereditarint, ideo, ut resurgant, ait omnes indigere commutatione ab infirmitate carnis in virtutem, ut in aeternum vivant. Hujuscemodi porro commutatio ea perinde est, quam Evangelistae primum dixerunt *palingenesiam et apocatastasim* probe ab Origene et a Nysseno expositas.

Verum ut melius dignoscatur Codicis Vaticani supra ceteros genuina lectio, scripta consulantur praefatorum Origenis et Nysseni, ac una eorum interpretationem in dicta apostolica: quae simul Pauli mentem illustrant nostrumque propositum. Origenes itaque in Libro II. *Periarchon* c. X. n. 2. textum Epistolae ad Corinthios secundum Codicem Vaticanum legit, ejusque menti consequenter interpretatur: « Quod utique, ait, si credunt Apostolo, quia corpus in gloria et virtute et incorruptibilitate resurgens, spiritale jam effectum sit, absurdum videtur et contra Apostoli sensum dicere, id rursus carnis et sanguinis implicari passionibus, cum manifeste dicat Apostolus: *quoniam caro et sanguis regnum Dei non possidebunt: neque corruptio incorruptionem possidebit.* Sed illud quomodo accipient quod dicit Apostolus: *omnes au-*

tem immutabimur? Quae utique immutatio secundum illum ordinem, quem superius docuimus expectanda est etc. ».

Adversus Celsum porro Libro V. n. 17 idem adstruit eamdem tradens lectionem oraculi apostolici: « Non enim animadvertit (Celsus) arcana quadam sapientia dictum ab Apostolo Jesu fuisse, *ἐν πάντες κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα non omnes dormiemus; omnes autem commutabimur in momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Scire tamen illum oportuit, quid in animo haberet is, qui sic loquitur ut ipse nequaquam mortuus; qui se suique similes a mortuis segregat; qui postquam dixit, *et mortui resurgent incorrupti*, addit *et nos immutabimur.* Atque hunc intellectum eorum esse, quae ex priore ad Corinthios Epistola protulimus, confirmant ea, quae in priore ad Thessalonicenses habentur. In hac enim Paulus ut vivus et vigilans et omnino a mortuis diversus ait: *hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini etc.* » Unde eruas, quare Origenes dicta apostolica legerit, comprehenderitque textui consentanea Codicis Vaticani sicuti et ipsius Pauli sensui. Similiter *in Epistolam* ad Thessalonicenses (ex Litteris Hieronymi ad Minervium et Alexandrum) bis eamdem lectionem profert Origenes: *omnes non dormiemus, omnes autem immutabimur.*

Haud porro aliter legit ac interpretatus est praefatum testimonium beatus Gregorius Nyssenus in Libro *De hominis Opificio* c. 22. perspicue inquiens: « Quum igitur universe genus nostrum Deus (qui cuncta ordine certo administrat) prospiceret more brutorum animantium oriturum; neque fieri aliter posse intelligeret, quam ut hoc modo propagaretur, natura se nostra humiliorem ad statum demittente, sicut ipse multo ante fore praedixerat, qui futuros eventus tanquam res praesentes intuetur, etiam aevum quoddam conveniens opificio humano praestituit, ut animarum numero temporis duratio responderet: atque tum demum fluxus ille temporis motus quiesceret, quum genus humanum propagari desiisset. Hujus denique procreatione absoluta, temporis etiam continuatio exspiraret: sequente vero rerum instauratione et mu-

tatione universitatis hujus, cum qua hominis conjuncta esset conversio de natura interitui obnoxia terrenaque in illud quod est ἀπαθὲς apatibile, idest passionibus expers et immortale. Eo mihi respexisse divinus ille Apostolus videtur, quum in Epistola ad Corinthios scripta, subitum temporis desinentis finem rerumque prius mobilium diversam in partem conversionem praediceret. Sunt enim haec ipsius verba: *ecce rem arcanam vobis patefacio* πάντες μὲν ὀυ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα i. e. *omnes quidem non dormiemus, omnes vero commutabimur in temporis puncto, in oculi momento ad extremum tubae clangorem.* Hoc mihi dicere videtur: hominum generatione illo modo, quo a Deo praefinitus est, amplificata, quum animarum numero nihil accedere porro poterit; tum ergo res universas uno temporis momento commutatum iri. »

Propositum vero amplius juvat luculentissimum Chrysostomi testimonium in Homilia *De Resurrectione;* ubi verba apostolica juxta praefatum Codicem citat, ac ibidem plura scribit quaestioni de regeneratione substantiae corporeae satis apta. Ita namque dicit: « Resurrectio est enim ejus, quod dissolutum est. Anima autem non dissolvitur, sed corpus. Quid ergo id est, siquidem et induti inveniamur et non nudi? Sacramentum magnum et ineffabile nobis hic adumbratur. Quale autem hoc? nempe id, quod et in Epistola ad Corinthios dicit: *omnes quidem resurgemus, unusquisque autem in ordine suo.* Quid est autem hoc, quod hic dicitur? Hoc videlicet, quod graecus et judaeus, et haereticus et omnis homo, qui venit in hunc mundum in illo die resurget. Et hoc ipsum declarat, dicens: πάντες μὲν ὀυ κοιμηθησόμεθα πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα· i. e. *omnes quidem non dormiemus, omnes autem demutabimur in momento in ictu oculi in novissima tuba.* Quia ergo communis est omnibus resurrectio et piis et impiis et malis et bonis hominibus, ut ne ideo putes injustum quoddam fieri judicium; nec dicas apud te ipsum, quidnam est hoc? Ego qui multo studio et labore et in miseria vixi, resurgo; et graecus et impius et idololatra et qui ignorat Christum, etiam ipse resurget et similis τιμῆς *honore?* Ut ne talia dicens conturberis, audi quid dicit: si-

quidem induti, non nudi inveniamur. Et quomodo dicit, cum, qui indutus est incorruptionem et immortalitatem, inveniri nudum? Videlicet si gloria privamur, et fiducia ad Deum destituimur. Etenim peccatorum quoque corpora incorruptibilia resurgent et immortalia: sed hic *honor* fomentum et viaticum ipsius erit suppliciorum et ultionis: incorruptibilia enim resurgunt, ut urantur perpetuo. » Ex hoc itaque Joannis sermone, humanum corpus sive proborum sive improborum universim ad incorruptibilitatem fore in resurrectione transmutandum comprehenditur. Et quamvis scilicet reprobi sint suppliciis sempiternis mulctandi; attamen horum corpus honore immortalitatis cumulandum erit secundum Apostoli dicta: *omnes autem demutabuntur.*

Qua propter, cum ita sibi velint apostolica verba tum circa universalem corporum regenerationem sicuti et resurrectionem, in quam omnes indiscriminatim occurrent, uti adhuc ostendi: necessario dotes omnes ab ipso Apostolo memoratas, spiritalitatem nempe, claritatem, incorruptibilitatem, coelestisque imaginem, corpori resurrecturo proprias, cum ab hoc statu ad alium transformatum fuerit, has omnes dico qualitates pariter cunctos probos et reprobos in corpore suo resumpturos statuendum est. Et quidem ob hujusmodi dotes, etsi sub aliis nominibus pari tamen significatione munitas, *bonitatis* nimirum *pulchritudinis, apatibilitatis, decoris, perfectionis, divinae imaginis* a praefatis Origene et Nysseno comprehensas, et praesertim ob istud *beatitudinis* vocabulum (quod nihil commune habet cum beatitudine, qua fruituri sunt probi in coelesti gloria) ita offensi sunt posteri, ut ad hanc usque diem existimarint a recta fidei regula eosdem descivisse: quod penitus falsum est.

CAPUT XX.

Peculiare studium instituitur circa duplicem vocabuli graeci μακαριότης beatitudo *significationem secundum veterum Ecclesiae Patrum notionem.*

Quamvis superius hujus vocis *beatitudo* sparsim sensum expendimus: attamen rei utilitate inspecta, haud displiceat si denuo hanc ex Nyssae episcopi et aliorum veterum Patrum usu, ad examen revocemus. Sanctus Gregorius in Libro I. *De Beatitudinibus* distinxit quae vera beatitudo est et absoluta ab altera relativa: « Beatitudo, inquit, primo loco est illa incorrupta vita, ineffabile illud bonum et incomprehensibile, pulchritudo inenarrabilis ipsa gratia et sapientia, et virtus, lux vera, omnis bonitatis fons etc.... Cum autem ille, qui finxit hominem, secundum imaginem Dei fecit illum, secundo loco beatum judicandum erit illud, quod ob participationem illius, quae vera beatitas est, sub ejus nominis typo venit. Quemadmodum enim in praestanti corporis forma, prototypa pulchritudo in viventi ac vere subsistenti facie est; et alterum locum ab hac obtinet illud, quod ad imitationem ostenditur in imagine. Ita et natura humana, quae supernae beatitudinis imago est, ipsa quoque pulchri decoris charactere designatur, quum in se beatorum ostendat characterum repraesentationes. » Huic autem beatitudini opposuit Nyssenus contrariam ἀθλιότην miseriam ex carnis concupiscentia exortam, quam jure graeci dixere *certamen*, idest naturae humanae luctam, qua ipsa nunc temporis cum tristibus et affectionibus involuntariis pugnat, ab ipsis defatigatur; et a quibus dissolvi cupit. Quapropter cum ita sit et comprehendatur beatitudo, ad quam natura humana per se tendit, quamque Deus hujus artifex vult, quippe cuncta, quae feceral, *erant valde bona*; necessario sequitur, hujus generis beatitudinem nequaquam sibi velle nec verti ad Dei visionem intuitivam in coelis: verum significare tantummodo beatitudinem illam, ad quam per regenerationem denuo instaurandum est genus humanum juxta pristinum vitae beatae statum, divina virtute

refictum, quo a Deo factum est in similitudinem et imaginem suam; quum tamen *in reprobis damnandis maneat voluntas inordinata, et a proprio fine deficiens*, uti inquit divus Thomas. Et ob hoc, inquam, talis beatitudo nullimode confundenda est cum ea, qua pii fruentur in coelesti patria. Non enim creaturae rationalis voluntati consulet Deus in regeneratione; neque ideo eamdem hominis voluntatem Deum mutaturum unquam post judicium novissimum, docuere praefati Origenes et Nyssenus: sed hominis naturae solum consulturum in resurrectione Conditorem omnium, instituerunt contra haereticos, ut in aeternum maneret homo incorruptibilis et immortalis, dissipata carnis malitia.

Ut autem, quae statuimus, magis pateant, singillatim ex Origenis libris *beatitudinis* dictio ejusque sensus investigetur, ubi de mundi Consummatione agit; cui titulo, fateor, si illius accusatores attendissent, nequaquam de eo tam indecora dixissent. Ibi enim Origenes de mundi fine, deque iis orbi universo tunc superventuris in restauratione omnium adeo perspicue loquitur, ut non sit perscrutari opus, nec non, nisi per somnium, excogitare liceat aliam quamcumque velis regenerationem. Et sane merito, in Libro I. *Periarchon* c. VI, I: scribit: « Finis ergo mundi et consummatio dabitur, cum unusquisque pro merito peccatorum etiam poenis subjicietur; quod tempus solus Deus agnoscit, quando unusquisque quod meretur, expendet. In unum sane finem putamus, quod bonitas Dei per Christum suum universam revocet creaturam, subactis et subditis inimicis.... *Oportet* (Christum) *regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis.* » Paulo post n. 4. in idem argumentum redit Origenes ostendens quomodo in fine componenda sit hujusmodi regeneratio, non per mundi interitum sed innovationem ejusdem ex Isaiae verbis: *erit coelum novum et terra nova.* Quae innovatio et immutatio: « his sine dubio, ait, praeparabitur, qui per illam viam, quam supra ostendimus, iter agentes, ad illum finem beatitudinis tendunt, cui etiam ipsi inimici subjiciendi dicuntur; in quo fine omnia et in omnibus dicitur esse Deus. » Si in his, uti patet, creaturae transformatio a mundi fine, neque amplius post judicium novissimum, cum fuerit Deus omnia

in omnibus, statuatur ab Origene, tunc ex adversariorum ore dicendum foret, omnes homines pios improbosque, nullo excepto, post resurrectionem beatos in coelis futuros, et neminem damnatum et miserum inventum iri; quod est absurdum.

Necesse est ergo, et rerum simul et hominum naturae transformationem ad mundi finem, neque ultra, mandare; proindeque *beatitudinem* illam, ad quam creaturae tendunt, aliam, quam animi, sive spiritus cum Deo consortium, ibi comprehendi ab Origene; verum corporeae tantummodo substantiae reparationem ad illum statum, quo a Deo creatus est Adam ad imaginem Dei: *et vidit cuncta, quae fecit, et erant valde bona.* Quae quidem verba deinde Adamantius Libro III. c. VI. 5. 6, ubi idem argumentum de mundi Consummatione instaurat circa corporis nostri conditionem in resurrectione, praeclare illustrat. Scribit enim: « Propterea namque etiam novissimus inimicus, qui mors appellatur, destrui dicitur, ut neque ultra triste sit aliquid, ubi mors non est, neque adversum sit, ubi non est inimicus. Destrui sane novissimus inimicus ita intelligendus est, non ut substantia ejus (corpòris) quae a Deo facta est, pereat, sed ut propositum et voluntas inimica, quae non a Deo, sed ab ipso processit, intereat. Destruetur ergo non ut non sit, sed ut inimicus non sit et mors. Nihil enim Omnipotenti impossibile est etc. Paulo post: « Denique caro nostra ab imperitis et infidelibus ita post mortem deperire existimatur, ut nihil prorsus reliquum substantiae suae habere credatur. Nòs vero, qui resurrectionem ejus credimus, immutationem ejus tantummodo per mortem factam intelligimus, substantiam vero ejus certum est permanere; et voluntate Creatoris sui, certoque tempore rursus reparari ad vitam, atque restaurationem ejus fieri; ut quae primo fuit caro ex terra terrena, tum deinde dissoluta per mortem, et iterum facta cinis et terra: *quoniam terra es,* inquit, *et in terram ibis,* rursus resuscitetur e terra; et post hoc prout meritum inhabitantis animae poposcerit, in gloriam corporis proficiat spiritalis etc. » Quae omnia apostolicae sententiae aeque accommodantur, cum de corporum resurrectione universim disserens, ait: *seminatur corpus in ignobilitate, resurget in gloria.*

Ceterum quae admodum proposito faciunt circa variam ab Origene statutam corporis regenerationem sive restaurationem et quoad modum et quoad tempus, ab altera spiritus sive animi regeneratione, quae a libera prorsus hominis voluntate proficit, ut inde rectus *beatitudinis* sensus patefiat, duplicem pariter praeferens significationem et analogiam, ne corporis beatitudo cum altera spiritus confundatur, e sequentibus eruuntur: « Sicut enim, ait, de rationabilibus naturis videmus, non alias esse, quae pro peccatis in indignitate vixerint, et alias, quae pro meritis ad beatitudinem invitatae sint, sed has easdem, quae antea fuerant peccatrices conversas postmodum, et Deo reconciliatas videmus ad beatitudinem revocari. Ita etiam de natura corporis sentiendum est, quod non aliud corpus est, quo nunc in ignobilitate, et in corruptione et infirmitate utimur, et aliud erit illud, quo in incorruptione et in virtute et in gloria utemur. Sed hoc idem, abjectis his infirmitatibus, in quibus nunc est, in gloria transmutabitur spiritale effectum, et quod fuit indignitatis vas, hoç ipsum expurgatum, fiat vas honoris et habitaculum beatitudinis. »

Patet igitur differentia, qua Origenes unam ab altera beatitudine secernit; unam naturae corporeae propriam ac inde necessariam in resurrectione universae creaturae rationalis; alteram ex cujusque meritis ac pro arbitrii libertate probis tantum in paradiso donandam. Et quemadmodum paulo post Adamantius naturam visibilem et corpoream ab altera invisibili et incorporea dividit; quarum secunda quippe rationalis atque libere agens, animo ac proposito suo mutatur; prima vero idest natura corporea substantialem recipiet mutationem non ex se, sed a Deo, ita ut ad omne quod moliri vel fabricare, seu retractare voluerit ipse Deus omnium artifex, ipsa ei famulatum praestet: pari ratione beatitudo corporis, seu gloria, sive perfectio, quae juxta Apostoli et Origenis mentem designat incorruptionem et immortalitatem, corpori ex divina virtute conferendam in resurrectione mediante ejusdem corporis regeneratione, ab altero prorsus beatitudinis genere sejungenda est, quam probi solummodo assequentur in coelis; et a qua penitus ac in perpetuum excludentur re-

probi. Et ob hoc dicit Origenes *vas indignitatis* corpus humanum ex *chachïa* malitia effectum, evadere in resurrectione *vas honoris et beatitudinis*; commutata scilicet, non abolita corporis essentia; non variam statuens corporis speciem in judicio futuram ab illa, quae fuerit antea, sed eamdem, verumtamen in meliorem et pulchriorem conditionem restitutam (veluti in Psalmum primum scribit) quod idem est ac scripsisset in gloriam et beatitudinem. Quam quidem gloriam, sive pulchritudinem, sive beatitudinem, sive dignitatem, sive decorem, sive spiritalitatem tam eorum, qui in coelis Dei visione fruentur, indutura ait corpora, tam illorum, qui suppliciis aeternis destinandi erunt. Et quidem merito hi novissimi talia corpora praeferent in resurrectione, ne suppliciis apud inferos corrumpi vel dissolvi valeant, ut ait in Libro II. *De Principiis* c. X. 3. Ac ideo ad illum statum eorum corpora instauranda erunt, quo a Deo primus homo creatus est in imagine sua, immortalis et incorruptibilis. Quae sane qualitates ambae, perennitati carnis humanae peculiares in vita futura, necessario ad se ceteras trahunt praefatas dotes. Opus enim Dei est homo, ad imaginem et similitudinem suam effictus, et quidem absolutus et perfectus: *vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.*

Postquam vero multa ex Nysseno et Origene diximus de hoc *beatitudinis* vocabulo, unde maxime confusi sunt interpretes, cum ejus certum non assecuti fuerint sensum, non àbs re erit ethnicorum auctorum praecipue graecorum interpretationem consulere, utrum nec ne in hoc quidquam analogiae cum praefatis Patribus praebeant. Quamvis enim videantur uterque Nyssenus et Adamantius quodammodo in hujus vocabuli definitione decessisse a communi graecorum et latinorum sensu; attamen secundum etimologiae regulam non longe ab eisdem ivisse comperitur, et potissimum a scriptoribus graecis. Eustathius *μάκαρα* beatum dicit *παρὰ τὸ μὴ ὑποκεῖσθαι κηρὶ* cum alpha privativo, idest *qui non subjicitur fato*, nempe immortalis. Hesiodus et Callimacus deos *μάκαρες* beatos utpote immortales vocant; et aliquando sine additione *deorum* illos nuncuparunt *μάκαρες beatos* idest nunquam interituros. Suidas *μακαρίτας beatos*, inquit, per eu-

phemismum graeci dicunt mortuos; quod mortui, sint beati, nec ullum malum amplius sentiant, veluti ab hujus vitae infirmitatibus exempti.

Licet porro constet tam apud veteres scriptores, tum potissimum apud evangelistas et apostolos, latiori significatione hoc μακάριος *beatus* vocabulum excellere, adeo ut non solum immortalitatis donum manifestet, verum etiam omnis bonorum generis in coelis possessionem et fruitionem, qua probi cumulandi erunt ad eorum distinctionem, qui apud inferos perpetuis cruciatibus mulctantur; atque una praefati Origenes et Nyssenus quantumvis multoties cum Deo omnium bonorum participationem sub μακάριος nomine comprehendant; nihilominus ubi de carnis humanae conditione agebatur in resurrectione, strictiori sensu ac relate tantummodo ad incorruptibilitatem et immortalitatem beatos dixerunt homines tam bonos tam malos; ex quo per regenerationem divinitus humano generi in resurrectione collatam omnes resurgent beati, idest immortales; quemadmodum primus homo Adam in creatione digito Dei beatus conditus est incorruptibilis et immortalis. Quod adamussim divus Gregorius *de Opificio hominis* cc. IV. et V. statuit, docens Deum creasse hominem omnibus animi perturbationibus expertem, ac μακαριότητι *beatitudine immortalitatis suffultum*; quam post dicit *beatitudinem apassibilem* ex adverso aerumnosae vitae praesentis conditioni ob Adami reatum, quo archetypa Dei imago et similitudo in ipso periit ac in universo ejusdem genere. Unde patet hujus vocabuli *beatitudo* vim ac terminum sumptum a Nysseno fuisse ad mirum hominis statum definiendum in incorruptione et immortalitate; quas Adamo primum in sua plasmatione impertivit Deus; et quibus s. Doctor asserebat archetypam Dei imaginem praeseferre: *et creavit Deus hominem ad imaginem suam; et ad imaginem Dei creavit illum.*

Neque aliter a Nysseno Origenes hoc ipsum *beatitudo* vocabulum de eodem argumento in sua scripta contulit, alias humanitatis universae incorruptibilitatem designans in resurrectione, alias animi, sive spiritus beatitudinem indicans absolutam in coelesti gloria, idest proborum et sanctorum di-

vinam fruitionem, ipsi Deo omnium bonorum fonti communicantium. Quapropter Tomo II. *in Joannem* n. 12. quaerens, cur Apostolus dixerit de Deo, *qui solus habet immortalitatem*, ait: « Cum vero inquiramus de his, quae ad Deum viventem pertinent, et de vita, quae est Christus, deque viventibus, qui sunt in sua regione, atque de viventibus etiam his, qui coram Deo non justificantur, consequenter his adjicientes, *qui solum habet immortalitatem*, pariter etiam assumemus, quae subintelliguntur: nempe quod omne quidquid dixeris rationis capax, non habeat substantialiter ceu inseparabile accidens, beatitudinem. Nam si omne rationis capax sive *logicon* inseparabilem habeat beatitudinem, et praecipuam vitam, quomodo verum erit illud, quod de Deo dicitur, *qui solus habet immortalitatem*? »

Inspice ergo quomodo Origenes in homine beatitudinem definiat tanquam attributum ei proprium et inseparabile sicuti et cetera, vitam, rationalitatem, spiritualitatem, immortalitatem, quippe Deo imaginem secum praeferat. Quae omnia attributa substantialiter in judicio novissimo et post resurrectionem sive probi seu reprobi, seu in coelo gaudentes, seu apud inferos torti, perpetuo servabunt. Cum ergo ita sit, hoc beatitudinis genus, de quo hic loquitur Adamantius, aliud est, quam animi gaudium, spiritus fruitio cum Deo existentis, Deum contemplantis, omnibus bonis participantis cum angelis in paradiso Dei; sed tantum habendum est, uti privilegium, quod Deus creaturae corporeae et rationali impertivit, qualis est homo, sicuti et immortalitas, adeo ut unum sine altero stare nequeat. Idest, juxta Origenem, homo si est spiritalis, erit etiam immortalis; et si sit immortalis, erit quoque beatus: et hinc, quomodocumque in suis actibus sese gerat homo sive bene, sive male, perpetuo ipse vivet, ipse rationalis erit, ipse immortalis, ipse beatus; ex quo beatitudo in ipso inseparabilis sit, sicuti ratio et immortalitas; quod praeclare ibi significavit Origenes.

Humani interim corporis conditioni cum a Deo Creatore hoc praestitum fuisset vitae, incorruptionis, immortalitatis et beatitudinis donum: cumque post peccatum eidem supervenisset mors, corruptio, mortalitas et inquietatio, haec omnia

per corporis ejusdem regenerationem cessabunt in universali omnium piorum impiorumque resurrectione, ut denuo corpus, morte devicta, ejusque causis sublatis, restituatur ad vitam, immortalitatem, incorruptionem et beatitudinem, sicuti a principio illud creavit Deus perfectum: *et vidit Deus omnia quae fecerat, et erant valde bona.* Ideoque *in Psalmum* I. ita definivit *beatitudinem*: « μακαριότης δὲ ψυχῆς ἀπαθέια μετὰ γνώσεως τῶν ὄντων ἀληθοῦς. i. e. Beatitudo autem, animae est impassibilitas cum cognitione vera rerum, quae sunt. » Quam utique assequetur natura humana in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, ut ait Hieronymus: quando scilicet et mortui de corruptione resurgent incorrupti.

Divus porro Augustinus, quamvis saepissime proborum in coelesti patria fruitionem designavit sub hoc beatitudinis nomine penes universalem Ecclesiae usum; tamen in argumento de corporum resurrectione sapientissime sub alia notione illud suscepit vocabulum, satisque nostrae disquisitioni opportuna. Itaque secundum priorem significationem in Libro XI. *De Civitate Dei* c. 13. inquit: » Beatitudo intellectualis naturae consistit in fruitione boni incommutabilis, quod est Deus, ac in eo bono mansurae in perpetuum, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur. » Item in Libro *Confessionum* c. 22. « Beatitudo, ait, sive vita beata est gaudere ad Deum, de Deo, propter Deum etc. »

Verumtamen haud latuit Augustinum hujus vocis μακάρ (unde μακαριότης) praecipua notio prope etymologicam significationem (veluti nuper ex priscis graecis scriptoribus deduxi teste Sylburgio) quod idem esset ac *fato expers* idest *immortale incorruptibile* etc. Quapropter in Libro I. *De Doctrina Christiana* n. 18. dogma de morte et de resurrectione tractans scribit: « Jam vero sicut animi quaedam mors est vitae prioris morumque relictio, quae fit poenitendo, sic etiam corporis mors est animationis pristinae resolutio. Et quomodo animus post poenitentiam, qua priores mores perditos interemit, reformatur in melius; sic etiam corpus post istam mortem, quam vinculo peccati omnes debemus; credendum et sperandum est resurrectionis tempore in melius commu-

tari, ut *non caro et sanguis regnum Dei possideant*, quod fieri non potest; sed corruptibile hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem; nullamque faciens molestiam (quia nullam patietur indigentiam) *a beata perfectaque anima* cum summa quiete vegetetur. Cujus autem animus non moritur huic seculo, neque incipit configurari veritati, in graviorem mortem morte corporis trahitur; neque ad commutationem coelestis beatitudinis, sed ad luenda supplicia reviviscet. Hoc itaque fides habet; atque ita se rem habere credendum est, neque animum, neque corpus humanum omnimodum interitum pati; sed impios resurgere ad poenas inaestimabiles, pios autem ad vitam aeternam. »

Similiter in Epistola 118. ad Dioscurum n. 14 nonnullis ejusdem respondens quaestionibus *De summo bono*, ait: « Da igitur qui cito videat, non corpus esse animi bonum, sed animum potius esse corporis bonum: recedetur jam ab inquirendo utrum summum illud bonum vel aliqua pars ejus sit in corpore. Quod enim stultissime negatur, melior est animus corpore. Item stultissime negatur meliorem esse eum, qui dat beatam vitam, vel partem aliquam beatae vitae, quam eum, qui accipit. Non igitur accipit animus a corpore vel summum bonum, vel partem aliquam summi boni. Hoc qui non vident, coecati sunt dulcedine carnalium voluptatum, quam ex indigentia sanitatis venire non intuentur. Sanitas autem perfecta corporis illa extrema totius hominis immortalitas erit. Tam potenti enim natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine, quae in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus; non beatitudo, quae fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, idest incorruptionis vigor. Quod qui non vident, ut dixi, bellant inquietis altercationibus, varie pro suo quisque captu, in corpore constituentes summum hominis bonum, et carnalium seditiosorum turbas concitant. »

Vides interim quomodo ex duobus consertis testimoniis s. Doctor verba apostolica de resurrectione interpretetur. Ubi omnium et universim piorum et reproborum statuens corpora resurrectura incorruptibilia, necessario sustulit ab

eisdem omnes corruptionis causas, passiones scilicet aegritudinis, cupiditatis, timoris, irae, voluptatis, *chachías* vitiositatis originalis effectus. Hoc autem egit Augustinus, ut ipsam humanam naturam in ἀπαθείαν impassibilitatem restituendam indicaret, sicuti a Deo primum condita est, et hinc in eam beatitudinem, quam paulo ante definivit Origenes; et uti apertius distinxit s. Doctor; hanc in vigore incorruptibili naturae corporeae, et in plenitudine sanitatis collocans, alteram in fruitione et intelligentia animae. Cui beatitudini tamen consortes tantummodo cum angelis erunt electi in coelesti patria. In primo casu, inquam, beatitudo in resurrectione omnibus communis, immunitas dicitur per regenerationem patrata, a corporeis indigentiis, ab infirmitatibus et a corruptione. Et hoc esset juxta etymologiae μακαριότης vim. In secundo vero aspectu eadem vox comprehendit gaudio plenissimam contemplationem Dei altissimae veritatis, ejusdem intuitionem facie ad faciem, et bonorum omnium insatiabilem satietatem, · ac delectationem perpetuam; uti scribit idem s. Doctor in Sermone 362. *De Resurrectione.*

Quod autem in eodem loco et in subjecta materia apprime distinxit Augustinus, ex Origenis libris non tam aperte eruitur, nisi collatis pluribus hinc inde locutionibus; ubi uterque manifestatur vocis *beatitudo* sensus. Exempli gratia in Libro I. *Periarchon* c. VII. 5. docet, omnes creaturas aliquando ad statum beatitudinis seu ad incorruptionem perventuras unde deciderunt, id repetens ex apostolica sententia: *quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Et paulo post: *non solum autem nos, sed et ipsa creatura congemiscit et condolet usque nunc*: veluti antea explanatum est. Ac ideo Libro III. c. VI. n. 2. docens in consummatione seculi Deum esse omnia, proindeque dissipata undique *chachia* malitia: « unde diligentius, ait, intuendum est, quale est hoc quod perfectionem beatitudinis rerumque finem significat: quod non solum in omnibus esse Deus dicitur, sed etiam omnia in omnibus. »

Seorsim vero, et cum id vellet sermo, ab hac definitione accepit eamdem vocem agens de proborum statu in gloria coelesti; et praecipue in *Exhortatione ad Martyrium.* In eo

namque statu dicit electos cumulum beatitudinis consecuturos, in altissima pace et tranquillitate et serenitate victuros: « Quid ergo, n. 47. subdit, quid ergo refugimus et dubitamus, abjecto quod nos impedit, corruptibili corpore et terreno tabernaculo, quod animam gravat, et onerat mentem sollicitam, vinculis absolvi, et carnis et sanguinis fluctus evadere, ut cum Christo Jesu propria beatitudinis requie perfruamur, ipsum omnino per omnia Verbum vivum spectantes, ab ipso enutriti, mire variam in ipso sapientiam comprehendentes, ab ipsa veritate informati, et a vero et indeficienti scientiae lumine mente illustrati ad illa spectanda, quae per illud lumen conspicabilia sunt iis oculis, quos Domini praeceptum illuminaverit? »

Hinc eruitur qua mente Origenes et cum eo Augustinus considerent *beatitudinem* corporis in resurrectione aliam ab eo animi incomprehensibili gaudio, quo fruentur in coelo electi. In ea enim substantiae corporeae comprehenderunt integritatem, quam omnes universim mediante quam diximus, regeneratione seu restitutione in pristinum, assequentur resurrecturi, cum in nobis corruptibilis carnis cessaverit certamen, ac morbi et affectiones et cujusque generis vitia quieverint, quibus in praesenti vita angimur.

Praeterea, quod dictum est de beatitudine substantiae corporeae in resurrectione hoc idem instaurandum est de *corpore spiritali*, ut ait Apostolus: *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale;* de quo ita loquitur Origenes in libro III. *Periarchon* c. VI. 4: « Quantum ergo sensus noster capere potest, qualitatem spiritalis corporis talem quamdam esse sentimus, in quo habitare deceat non solum sanctas quasque perfectasque animas; verum etiam omnem illam creaturam, quae liberabitur a servitute corruptionis. » Quam interpretationem deducit quoque Augustinus ex sequentibus Pauli verbis superius excussis *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt:* cum in sermone 362 *De Resurrectione* n. 14. scriberet: « Manifestatum est, quod in illa resurrectione non habebit caro illecebrarum tractum, ut ducat animam per quasdam titillationes atque blanditias, quo anima non vult. » Et paulo post: « Ne ad talia nos resurrecturos

crederemus, qualia secundum hominem corruptibiliter agebamus, subjecit statim: *hoc autem dico fratres quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt;* atque ostendere volens quid dixerit carnem et sanguinem; quia non ipsam speciem corporis, sed corruptionem significat nomine carnis et sanguinis; quae corruptio etc. »

Porro hoc beatitudinis genus, quo ditabitur substantia corporea in orbis instauratione, accipit et probat s. Hilarius, sensus discutiens Psalmi 148. *Laudate Dominum de coelis* etc.: Quos sive eosdem habeas ac Origenis, ab eodem Doctore latine versos, aut hujus expressiones proprias, uti putat Hieronymus; quomodocumque sit, veterum Patrum in hac re consonantia deprehendetur. Sic namque de Christi triumpho in resurrectione scribit, deque ipsius regno, inquiens: « Nam secundum propheticam et apostolicam praedicationem, beati istius regni et civitatis aeternae in his ordo dispositus est, in resurrectionis demutatione, in congregatione sanctorum, in dominicorum civium confrequentantium incolatu. Post quae jam in aeterna *beatitudine* omnibus constitutis ad canendas Dei laudes, hoc consequenti Psalmo chorus coelestium virtutum, potestatumque contrahitur; et ob depulsam seculi vanitatem, creatura omnis ex magni officiorum suorum laboribus absoluta, et in *beato* regno aeternitatis aliquando respirans, Deum suum et laetà praedicet et quieta, et ipsa secundum Apostolum, in gloria *beatae* aeternitatis assumpta, cum ait: *etenim expectatio ipsius creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe. Quin et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Hinc ergo hymnus est libertatis indultus, quod officiorum suorum necessitate absoluta, et antea in usus humani subjecta servitii, jam conformata, tandem filiorum Dei gloria in aeternam *beatitudinem*, creationum elementa requiescunt. Cujus *beatitudinis* longo jamdiu secundum Apostolum Petrum, desiderio detinebantur, cum ait: *Haec quae modo vobis nuntiata sunt per eos, qui vobis Spiritu Sancto evangelizaverunt, quae missa sunt de coelo: in qua re concupiscunt angeli prospicere.* Expectatio igitur coelestium

est beatitudo terrena (terrestrium): et corruptionis nostrae demutatio divinarum creationum demoratur elementa, prospicere hanc evangelicae praedicationis spem concupiscentia, gloriam suam ex gloriae nostrae conformatione, susceptura: qua jam secundum prophetiam Psalmi adepta, in consonam laudem perceptae *beatitudinis* advocantur. »

Quid ergo dicit Hilarius in verbis *illius regni beati* cujus omnis creatura participabit per totius orbis restaurationem, in omnium universim resurrectione, per Jesu Christi triumphum, devicta morte, ejusque causis superatis? Quidnam significat beatitudo aeterna creaturae in gloriam aeternitatis assumptae, ibique respirantis, cum antea gemebat ac dolebat, redemptionem expectans, ut ait Apostolus? Profecto s. Doctor nec dicit ibi nec animadvertit, ut quisque videt, nec angelorum coelestium nec probarum animarum beatitudinem in divinae visionis fruitione, ac bonorum ineffabilium gaudio. Sed aliter sub eodem vocabulo (et quidem relative et non absolute) *beati* sive *beatitudinis* cujusque generis rationabilium, et irrationabilium quietem indicat, solatium et absolutionem a servitute, a commotione scilicet naturae inordinatae, sicubi in omnium *apocatastasi* fuerint a Deo in pristinum ordinem restituta, ut una gloriam eamdem suscipiant gloriae nostrae conformem; et in consonam laudem nobiscum advocentur ideo mundi elementa, ut ait Psalmista: *laudate eum sol et luna* etc. Verum de hac re infra speciali disquisitione agetur.

Pari usu et significatione s. Ambrosius in Libro I. *de Abrahamo* c. VI. 24. consideravit vocabulum *beatitudo*, idest tranquillitas a molestiis secularibus de Adami patrimonio in nos derivatis, ut non solum animae sed et corpori hanc concedat: unde ex proposito nostro corpus quoque reproborum in futura vita hoc privilegium maneat etsi ad eorumdem majorem cruciatum, ut ait Origenes. Et hoc beatitudinis genus sive tranquillitatis, seu quietis a morbis naturae corruptae, Athenagoras coram Gentibus dogma de mortuorum resurrectione propugnans indicavit sub voce *apatibilitas*, ut corporis ostenderet futuram ac perpetuam tunc sive proborum sive reproborum universim incorruptionem: « Neque, scri-

bit, id quisquam dixerit indignum Deo esse, dissolutum corpus exsuscitare et colligere. Nam si deterius idest corruptibile et patibile corpus facere indignum eo non fuit; multo magis praestantius facere, idest incorruptibile et apatibile. » Quod idem est ac diceret beatum.

In hoc insuper admodum suffragatur nobis Tertullianus, qui, uti Origenes, in resurrectionis corporeae hostes pugnavit et maxime contra Marcionem: *malum esse creaturam*, asserentem. Is namque cc. V. VI. *De Resurrectione carnis* sic humanum corpus extollit: « Et finxit Deus hominem, limum de terra. Jam homo, qui adhuc limus. Et insufflavit in faciem ejus flatum vitae, et factus est homo idest limus in animam vivam: *et posuit Deus hominem quem finxit in paradiso*. Adeo homo figmentum primo, dehinc totus. Hoc eo commendarim, uti quidquid omnino homini a Deo prospectum atque promissum est, non soli animae, verum et carni scias debitum; ut, si non ex consortio generis, certe vel ex privilegio nominis. Persequar igitur propositum, si tamen tantum possim carni vindicare, quantum contulit ille, qui eam fecit jam tunc gloriantem, quod illa pusillitas, limus, in manus Dei, quaecumque sunt, pervenit, satis *beatus* etsi solummodo contactus. Quid enim si nullo amplius opere, statim figmentum de contactu Dei constitisset? Adeo magna res agebatur, qua ista materia extruebatur. Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur . . . . . Sic enim praefatio Patris ad Filium: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Et fecit hominem Deus, id utique, quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, idest Christi. Et sermo enim Deus, qui in effigie Dei costitutus, *non rapinam existimavit pariari Deo*. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Deo opus erat, sed et pignus. Quo nunc facit, ad infuscandam originem carnis, nomen terrae ventilare, ut sordentis, ut jacentis elementi? cum etsi alia materia excudendo homini competisset, artificis fastigium recogitari oporteret, qui illam et eligendo dignam judicasset, et tractando fecisset. »

Arguas igitur inde quomodo Tertullianus, qui profecto aeternitati poenarum nunquam mentitus est, tamen ipse quoque carnis humanae dignitatem, honorem, gloriam, et beatitudinem novit, probavitque in resurrectione instauratum iri, sicuti, primi hominis corpus beatum et gloriosum conditum est. Ac insuper animadvertas, qua ratione *limum beatum et gloriosum* vocaverit Adami corpus, illud idem, quo in judicio novissimo se Deo judici sistet; num scilicet illud beatum dixerit ob Dei fruitionem in paradiso coelesti, an potius ob ejusdem praestantiam quippe digito Dei efficti et ad imaginem et similitudinem suam. Et sane ob hoc ita corpus beatum vocavit. Quid ergo de cruciatuum perpetuitate officit dogmati, si caro, seu corpus humanum in resurrectione talibus splendidis ac nobilibus praestiterit dotibus, ut corruptioni resistat et mortalitati?

Praeterea si Tertullianus ex testimonio, quo carnis resurrectionem Origenis instar ac Nysseni vindicavit contra haereticos, *beatitudinis* vocabulo usus sit, alia quidem significatione, quam gaudium proborum in coelis liceat comprehendi, statuendum pariter est, praefatos viros per eamdem *beatitudinis* nuncupationem, nihil de futura aliquando reproborum salute, sicuti neque de suppliciorum termino sensisse, nec unquam docuisse. Demum ita posita et probata hujusmodi distinctione beatitudinis naturalis ab altera coelesti beatitudine, a pari consequitur sub eodem sensu prodire ceteras qualitates *decoris; pulchritudinis*, *boni*, *perfectionis* etc.; quae in se unum quidem sonant; differunt vero in relatione subjecti. Prout enim in proposita quaestione, corpori vel spiritui applicantur, sic distincta earumdem exit significatio plus vel minus late patens. Itaque damnatorum corpus post resurrectionem, pulchrum quidem erit, gloriosum et beatum, utpote digito Dei in persona Adami effictum, ac post mortem inde divina virtute denuo instaurandum, e corruptionis statu ad incorruptionem reductum. Talis nihilominus gloria et beatitudo nequaquam eorum voluntati satisfaciet, neque rationalem satiabit appetitum adeo ut Deum diligant, Deum intueantur clare trinum et unum sicuti est, unum sint cum Christo et Deo Patre, gaudioque inenarrabili laetentur; qui-

bus soli electi cumulandi erunt in coelis. Verum tantummodo Creatoris opus perfectum repraesentabit in corpore suo reprobus a vitiositate expiato, et a mortalitate ad immortalitatem transvecto, cum voluntate sua tamen firmiter in malo perseverans, a Deo ultimo fine aversus, et in poenis perpetuo manens; cujus *vermis non moritur*, *et ignis non extinguitur*. Et ita contra Epicurum scribit in Libro *adversus Gentes* n. 45: « Sic et Epicurus omnem cruciatum doloremque depreciat, medicum quidem contemptibilem pronunciando, magnum vero non diuturnum. Enimvero nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique aeternam ab eo poenam providemus, merito soli innocentiae occurrimus; et pro scientiae plenitudine, et pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum sempiterni, eum timentes; quem timere debebit et ipse, qui timentes judicat, Deum non proconsulem timentes. »

His denique inter se collatis, et quae ad Corinthios scripsit Apostolus, quaeque Origenes et Nyssenus interpretati sunt circa humanitatis conditionem in vita futura, et quae Tertullianus luculentius de eadem re sancivit adversus eos carnis resurrectioni tunc temporis obversatos (horum enim unus erat scopus, idem studium, eadem fides, ac iidem adversarii quibuscum decertarunt) sequitur inde frustra tum Petavium, tum Huetium, tum ceteros cujusque aetatis scriptores laborasse, Origenem et Nyssenum aliquando post diuturna secula reproborum poenis constituisse terminum, contendentes, ea mediante regeneratione; cujus neque sensum, nec tempus comprehendentes, immerito admodum hos et alios Ecclesiae Patres labe erroris notarunt; a quo penitus immunes sese perpetuo gesserunt.

Denique (etsi alibi fortasse dictum sit) cum eo usque in nostra quaestione devenerimus, sincero praemisso regenerationis significato, ejus tempus judicio finali praevium, manifeste statuentes, quisque amplius viderit, nisi hoc ita foret, in quot sphalmata et absurda contra sacra dominici oris dicta incidissent praefati Origenes et Nyssenus. Si enim hujus regenerationis scopum aliter a substantiae animalis reformatione, fuerimus interpretati; aut si reproborum a-

nimos eo regeneratos tempore in melius mutatos excogitare velis: tunc sane ipsi ex Evangelistae sententia frustra dixissent, universis gentibus congregatis ante Filium hominis, eo sedente super sedem gloriae suae *segregabit oves ab haedis* idest malos a bonis. Si nempe per spiritus regenerationem homines pravi de malo in bonum vertendi erint in resurrectione, quid adhuc manet pravitatis in humana voluntate adeo ut in judicio novissimo Christus separet malos a bonis? Et undenam reprobi, infideles? cum jam in bonos et fideles transmutati sint? Cur ibunt peccatores in supplicium aeternum, cum jam a culpa expiati sint per regenerationem propriae voluntatis?

Quod autem revera ex tali regeneratione in universo hominum genere tum proborum tum reproborum maxime fiet in novissima die, in ea consistet cognitionis perfectione, quam coram Deo judice stantes, absque errore, sine affectuum variorum impulsu, quibus in praesenti vita agitantur, *chachïa* malitia dissipata, consequentur omnes, Christum ejusque Divinitatem palam cognoscentes tum justi tum peccatores: « Quando palam omnibus (inquit ipse Origenes Tractatu XXXIII. *in Matthaeum* n. 70.) tam bonis quam malis, tam fidelibus quam infidelibus manifestus factus fuerit; ante oculos mentis eorum, jam non fidei aut diligentiae alicujus inquisitione repertus, sed ipsius Divinitatis suae manifestatione prolatus. » Et paulo post subdit: « Existimo ergo quoniam erit tempus adventus Christi, quando tanta manifestatio futura est Christi et Divinitatis ejus, ut non solum nullus justorum, sed nec aliquis peccatorum ignoret Christum secundum quod est, quando et peccatores cognoscent in conspectu suo sua delicta: et justi manifeste videbunt semina justitiae suae ad qualem eos perduxerint finem..... Cum autem propter manifestationem Filii Dei omnes ad intellectum venerint suum, tunc Salvator segregabit bonos a malis... his novissimis dicens: *ite maledicti in ignem aeternum;* cujus maledictionis unusquisque est sibi auctor, qui maledictione digna operatus est. »

Et hoc est, quod ab initio hujus capitis ex Apostoli verbis praemisimus: *quia caro et sanguis regnum Dei possidere*

non possunt. Quae sapientissime non solum ab Origene, verum etiam fuerunt a Gregorio Nysseno, a Tertulliano et Augustino, ceterisque speciali studio exposita de futuro post hanc vitam Christi regno in perpetuum duraturo; et ubi creatura omnis, malitia ex terrarum orbe dispersa, restituenda erit in illum statum, quo a Deo primum condita est, scilicet in bonum: *et vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*.

Ideoque tandem haud ultra mirandum est, si Origenes et cum eo s. Gregorius Nyssenus adversus resurrectionis obtrectatores, essentiam corpoream sive proborum sive reproborum universim in mundi fine divina opera regeneratam, aliquando dixerint *pulchram* quandoque *bonam*, alias *decoram*, modo *gloriosam*, nunc *spiritalem* alias *beatam*. Haec enim attributa carnis resurrecturae, eumdem praeferebant sensum ac corpus incorruptibile, immortale, perfectissimum, alteri corpori oppositum infirmo, ignobili, animali, terreno, quod nunc gerimus, uti docet Apostolus in citata Epistola. Cujus summa in eo capite, themate sumpto a Christi resurrectione, illud spectabat, sicuti nempe omnium et universim mortem in Adamo, ita et in Christo omnium et universim resurrectionem, dissipata malitia, et cum ea vitiis omnibus carnis, idest infirmitate, corruptione, ignobilitate, quibus ipsa in praevaricatoribus generis humani parentibus affecta fuerat: *canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti*.... *Et tunc fiet sermo, qui scriptus est*: *absorpta est mors in victoria*, idest, hujus mortis causa *chachïa* sublata, quae totum pervaserat genus humanum ob Adami culpam.

Et hoc est, ad quod ab hujus discussionis exordio magnopere animum intendi, talem malitiae dissipationem per palingenesiam sive regenerationem eo ipso revera temporis intervallo efficiendam, quod inter mortem et judicium novissimum cedit: nec ullimode ultra hoc tempus; uti plures et veterum et recentiorum illusione capti arbitrati sunt, frustra ideo reprobantes pios ac sinceros viros, bene valde de Ecclesia meritos. De quibus in tertia Parte specialis instituetur quaestio.



CAPUT XXI.

Analysis critica discrepantiae Textus graeci Commentariorum Origenis in Matthaeum *per Huetium translati, a veteri Interpretatione latina. Seu, num genuinus habendus sit graecus textus, et interpolata Versio latina; aut aliter codices Origenis graeci corrupti, et fidelis prisca Translatio latina reputanda.*

Quamvis hucusque prospero itinere incesserim in Origenis causa patrocinanda, et hinc in ejusdem libris disquirendis difficultates superarim, insimulationibus, quibus impetebatur ipsius fides, profligatis; nihilominus ejus Commentaria *in Matthaeum* percurrens, fateor, nec inficior quidem, nonnulla animadverti, catholico contraire dogmati, tum in iis, quae doemonum spectant resipiscentiam; quasi adhuc in arbitrio sit eorum conversio ad Deum, tum circa resurrectionem, et alia ejusdem generis dogmata.

Cum autem in hac gravi animi perplexitate versarer, valde dignoscendi sollicitus, cur in hoc Commentario opiniones peregrinae occurrerent, quas alibi non legi in genuinis ipsius scriptis; primum sensi, quamdam intercedere varietatem inter textum graecum ab Huetio editum, ac latinam Interpretationem jam ab aetate vetusta elaboratam. Secundo, comprehendi ea falsa dogmata capta in graeca editione Huetii desiderari in veteri Interpretatione latina. Quamobrem haud ignorans Ambrosii sententiam, qui Origenis in Libros Novi Testamenti Commentaria recensens, nihil reprehensione dignum notat, quod item fecit Hieronymus, eximios reputans hos Commentarios; existimavi, qua via, qua ratione talis acciderit differentia, investigare. Quare scilicet vetus Interpres ea omiserit, vel aliter quam in textu graeco leguntur, exposuerit.

Quamvis enim latinos graecorum librorum interpretes, generatim loquendo, admodum accuratos non fuisse fatendum sit; seu verbotenus non reddidisse graecorum Patrum sententias: tamen raro reperitur eosdem nedum praeteriisse,

aut mutasse auctoris graeci mentem, sed et longas penitus transegisse discussiones, sicuti in hoc Origenis Commentario egisse apparet antiquus Interpres, ita ut Huetius de ipso scripserit: « Summa veteris illius Interpretis barbaries, vix mediocris idiomatis graeci peritia, plane nulla in evolvendis obscurioribus sententiis perspicacitas; cujus sibi conscius difficillima quaeque quasi consulto praetermisit. Certe tam abnormi licentia interpretationem hanc administravit, ut mirabile sit, totas paginas detraxit, totas addidit: nec uspiam exemplar assectatus est. » Quamvis autem multis, quae ait Huetius ibi, non assentiar, tamen in iis convenio quae subdit, *sibi mirabile videri, Interpretem tot detraxisse paginas*; adeo ut minus suspicer de veteris latini Translatoris negligentia, quam de alterius, qui in graeco codice elaborasset, additamentis in originalem textum proprio marte intrusis.

Porro hujusmodi quaestio non nisi ex sedula versionum, textuum, et rerum, quae in his portractantur Commentariis, collatione et studio, definiri potest; quis scilicet amborum genuinos Origenis codices sectatus sit, an Transcriptor graecus horum Commentariorum, vel Interpres latinus; cujus sicuti et alterius latet nomen. Interea ex pluribus indiciis mihi videtur esse veteris Interpretis praeferenda lectio, alterius repudiata Transcriptoris graeci fide; quem puto in describendis praefatis Commentariis ex suo ingenio elaborantem, plura quandoque mutasse, saepissime adjecisse, ita ut glossator potius diceretur Origenis, quam suorum Operum fidelis descriptor. Et praecipuum mihi quidem in hac re indicium adstat, simul componendo, quae s. Pamphilus ex dictis in *Matthaeum* Commentariis citavit in Apologetico ejusdem Origenis; quaeque sincere Ruffinus in idioma latinum vertit. Sic namque in Tomo XI. n. 17. in idem Evangelium ex codice s. Martyris Apologetici transtulit Ruffinus Adamantii verba: et ita Huetius ex codice sub ejusdem Origenis nomine designato.

Interpretatio Ruffini

« Hi quidem qui alieni sunt a catholica fide, transferri animas putant ex humanis corporibus in corpora animalium

secundum differentiam peccatorum. Nos vero, qui hoc nusquam cautum invenimus in divina Scriptura, dicimus, quia per multam vitae negligentiam, cum fuerit inculta atque neglecta, efficitur velut irrationabile pecus per imperitiam seu negligentiam, non per naturam. Similiter autem et hi, qui tales fuerint effecti ex propositi sui negligentia, qua erudiri neglexerint, si eruditioni se atque exercitio rationabili dediderint, rationabiles efficiuntur atque prudentes: sicuti scriptum est de illis evangelicis canibus, qui manducabant de micis, *quae cadunt de mensa dominorum suorum*: ex quibus conversa chananaea, facta est Dei filia, secundum quod dicit ad eam Salvator: *o filia, magna est fides tua*. Sicut enim virtus animi confert unicuique ut sit filius Dei: ita malitia mentis et verborum insania atque impudentia facit unumquemque, secundum auctoritatem Scripturae, appellari *canem*. Similiter autem intelligendum est etiam de celerorum animalium appellationibus. »

Interpretatio Huetii

: « Existiment igitur alii in ecclesiasticis sermonibus peregrini, transire animas ab humanis corporibus in corpora canina pro varia iniquitate: nos vero in divina Scriptura id minime reperientes, pronunciamus ratione magis pollentem constitutionem in carentem magis ratione mutari, ex magna nempe ignavia et incuria id patientem: similiter et rationis inopem voluntatem propter neglectam rationem converti ita nonnunquam, ut ratione praedita evadat, adeo ut qui olim catellus fuerit de micis e mensa dominorum suorum cadentibus, edere amans, filii statum assequatur. Plurimum siquidem confert virtus, ut quis filius Dei fiat; nequitia autem et in contumeliosis sermonibus rabies et impudentia, ut quis juxta Scripturae sermonem canis appelletur. Simile etiam intelliges de reliquis nominibus, quae ratione carentibus animalibus tribuuntur. Verumtamen qui reprehenditur ut canis, nec aegre fert indignum se dici pane filiorum, et cum omni patientia sermonem Chananaeae illius usurpat, dicentem: *etiam Domine, nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa*

Dominorum suorum, mitissimam consequetur responsionem Jesu dicentis ipsi: *magna est fides tua,* postquam tantam assumpserit fidem, et dicentis: *fiet tibi sicut vis*, ut et ipse sanetur; et siquem protulit fructum sanatione indigentem, sanetur et ille. »

Cum itaque hic desinam textum graecum proferre quippe omnimode Huetii versioni respondentem, lector sane varietatem percipiet, quae utrique et ipsius Huetii et Ruffini intercedit expositioni, adeo ut idem arguendum sit de codicum graecorum discrepantia, quos ambo traduxere. Unum dico, quem consuluit et descripsit divus Pamphilus, et alterum ab Huetio versum; cujus ignoratur Transcriptor, ejusdemque aetas. Et primum quidem quoad codices graecos Commentariorum *in Matthaeum*, quos Huetius vertit edidit que, non esse inter sinceros Origenis libros censendos, proindeque dogmata ibidem expressa, quoties a veritate secedant, haud Auctoris sensum praeferre, ex ea praesertim adstruendum est ratione, quam Ruffinus tenuit, in transferendo textum graecum Apologetici s. Martyris, fideliter graece ab ipso Pamphilo ac ex genuinis graecis Origenis exemplaribus descripti et concinnati: quodque pariter fideliter interpretatus est Ruffinus. De quo nulli ambigendum est propter obtestationes ab eisdem praemissas. Et ad hujus rei amplius testimonium nobis adstat excerptum a Libro IV. *Periarchon*, a s. Martyre Apologetico insertum, et a Ruffino latine versum; quod graece transcriptum usque modo servatur ab Auctoribus Philocaliae. Inde enim constat, Ruffinum ipsum accurate et sincere Adamantii mentem expressisse in sua translatione; nec unquam sive per paraphrasim, aut additionem, seu imminutionem decessisse ab iis, quae scripta reperit in originali graeco. Et hoc leviter quisque intelliget discurrens, quae leguntur in cc. V. VI. etc. ejusdem Apologetici; ubi simul inscribuntur et textus graecus Origenis et vetus Ruffini interpretatio; et ubi convenientiam quoque erues, quae inter textum codicum s. Martyris et alterum textum graecum in Philocalia descriptum cedit; adeo ut ubique ingenuitatem eorum, qui in hoc Opere elaborarunt, compertam habeas. Quapropter si s. Pamphilus in loco citato Commenta-

riorum Origenis *in Matthaeum* fidelem exegerit transcriptionem; et si Ruffinus pari sinceritate verbotenus inde Origenis sensus latine expresserit, inspecta varietate codicum graecorum, quos vertit Huetius, ab antiquissimis, quos consuluit s. Martyr, et Ruffinus interpretatus est, indubia eruitur consequentia, Commentaria graeca sub Origenis nomine ab Huetio edita, alii quam Origeni ipsi esse adscribenda. Quinimmo cujusdam ignoti Glossatoris tenendum esse opus, qui Origenis ejusdem scripta transcribens, pro lubitu adauxit, breviavit, corrupitque.

Praeterea, cum amplius ex proposito velimus codicis s. Martyris et hinc Versionis Ruffinianae praeferre lectionem, et alterius tum interpolationem, tum adserti falsitatem adstruere; omnibus in primis constet, quo ordine, qua perspicuitate sermo incedit Ruffini in versione. Origenes enim recensens ethnicorum somnia de animarum transmigratione in varia animantium corpora, ita disponit argumentationem, ut notiones generales de hac re antea praemittat, inquiens, animas humanas universim juxta cujusque earum varias pravitates, in diversa quoque animalium corpora transferri. Sciebat namque ex eorumdem ethnicorum fabulis Origenes, pro varietate et qualitate delictorum, animabus post obitum corporis, varia deputari animantium corpora. Et in his stat dictionis ordo. Et sic in sequentibus uniformiter praefatis, docet hominem per negligentiam, aut imperitiam in actibus suis fieri non proprie sed per assimilationem veluti pecus irrationale: quemadmodum, siqui irrationales aliquando fuerint et imperiti, fieri deinde rationales et prudentes.

Ex adverso autem his loquitur et excutit Auctor textus graeci ab Huetio editi; qui notiones generales de animarum transmigratione confundit peculiaribus ac definitis contra, quas tenebant philosophi, adsertiones. Scribit enim animas post corporeum decessum transire *in corpora canina penes malitiae pravitatem*, quod falsum est. Non enim ita putabant veteres. Plato, inquit Servius, perpetuam tenet animam, et ad diversa corpora transitum facere statim pro meritis vitae prioris; et hinc iracundas, et furiosas et rapaces animas, luporum et leonum corpora induere. Quae vero intemperan-

ter vixissent, asinorum, aut aliorum ejusmodi corpora assumere. Itemque Basilidem addit Origenes, ex graecanica philosophia putare, animas humanas devolvi in ordinem irrationalium brutorum. Non ergo *in corpora canina* solummodo transmigrare animas, sed et in cetera animantia: et istud pro malitiae diversitate, opinati sunt philosophi. Et hoc sane non ignoravit Origenes; proindeque cum is non ita sentiret, erravit Interpres graecus; qui genuina Auctoris verba *in corpora animantium secundum peccatorum differentiam*, aliter mutavit *in corpora canina pro diversitate malitiae;* propositionem nimirum generalem transferens in particularem: quod totum pervertit argumentationis ordinem, reique veritatem.

Praeterea Ruffinus ex divi Martyris codice, ordinatim postquam generalem de subjecta materia exposuit notionem juxta philosophorum somnia; ista emendans, exemplum e Scripturis sumit, mulierem Chananaeam assimilans cani irrationali manducanti *de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum*: quae conversa ob fidem suam sinceram, rationalis evasit. Quae omnia sapienter et perspicue ab Origene expensa, fideliter a s. Martyre citata in Apologetico, eademque perspicuitate et convenientia latine versa a Ruffino, haec omnia, inquam, ab altero ignoto Transcriptore, multis adjectis, ita confusa sunt, ut vix scias, quomodo sint inter se et argumento principali connectenda.

Cum interim ex his constet varietas textus graeci citati a s. Pamphilo, ab altero, quem tradidit Anonymus, cumque insuper ex dictione codicis s. Martyris, magis pateat sensus convenientia; cernito quanto jure nos dicimus Anonymi textum haud praeferre originalis exemplaris tesseras, sed potius glossas pro lubitu ab ipso, Adamantii Commentario consertas; ideoque non esse uti mentis Origenis expressionem, acceptanda, quae in citato testimonio leguntur. Nec amplius contra ea, quae diximus ac postea dicemus, suspicari quis poterit, cum s. Pamphilus in Apologia, Origeniana dogmata ab hostium suorum injuria vindicaret, quaedam ipsum mutasse, aut emendasse, vel omisisse in Auctoris gratiam. Eoque magis id non videtur admittendum in s. Martyre, quum ipse jam ab Apologetici initio (haud nescius contra quos si-

bi dimicandum esset) coram ipsis 'obtestatus sit, inquiens: « Quod ita nobis rectius prosequi visum est, ut non nostris verbis et assertionibus defensionem paremus, sed ex suis propriis vocibus, quibus ipse aliena sibi haec esse, quae isti objiciunt, proprio sermone testatur, idest omne quidquam praeter fidem catholicam praedicatur. Quia si nostris verbis haec asserere velimus, suspiciosum videri forte possit, eo quod nos amore ejus, siquid ipse prave senserit, coelaverimus. Ubi autem ejus ipsius, qui accusatur, vocibus utimur, et ad omnes objectiones accusatorum suis verbis eum, non nostra assertione defendimus etc. » Unde clare ejusdem martyris lucet in hoc conficiendo opere, cura et fides, nihil addentis, nihilque de Origenis libris detrahentis: proindeque documenta ab eisdem selecta fideliter adversariorum oculis objecisse, uti in priscis exemplaribus servabantur, genuina.

Verumtamen non ex iis solum quae s. Pamphilus citavit in capite X. Apologetici sincera, ac varia ab illis, quae reperiuntur in Exemplari graeco Anonymi quippe infideliter tradita, argumentum nostrum invalescit; sed et ex paulo post sequentibus de Libro XIII. n. 1. Commentariorum in eumdem Matthaeum: ubi item disseritur de ethnicorum erroribus circa animarum transmigrationem. Ita namque uterque Origenis sensus exposuit in verba Evangelii: *sicut enim in diebus Noe, ita erit adventus Filii hominis.*

Interpretatio Huetii

: « Punientur autem eorum peccata, qui tunc erunt, non per migrationem e corpore in corpus; nam si adhuc peccantes deprehenduntur, vel alio poenae genere postea punientur: ac duae proinde generales puniendi rationes erunt; illa quidem per transitum a corpore in corpus: illa vero extra hoc corpus, ac illarum causas et differentias exponant: vel non punientur, quasi peccata sua confestim abjecerint, qui in consummatione fuerint deprehensi: vel quod melius est, una tantum ratione plectuntur, qui in corpore peccaverunt, poenas videlicet extra illud, et extra vitae hujus statum ex peccatorum suorum merito dantes. Unumquodque autem il-

lorum, ut facile intelligit quisquis res introspicere potest, sententiam de migratione animarum e corpore in corpus funditus labefactat. Quod siqui transitum animarum in varia corpora invehunt ethnici, utpote consentanea doctrinae huic adstruentes, mundi interitum necessario non admittunt, superest etc. »

Interpretatio Ruffini

: « Erit autem his, qui tunc erunt, vindicta, non ex transmutatione animarum: non enim jam ad peccandum locus erit; sed alia genera erunt poenae. Transmutatio namque corporum poenam non faciet peccatorum ita ut nulla extrinsecus putentur inferri supplicia: quin potius est peccatoribus poenarum modus; idest ut pro his, quae in hoc mundo (corpore) gesserunt, poenam recipiant delictorum. Manifestum tamen est quod istae singulae rationes his, qui possunt rei consequentiam diligenter advertere, contrariae sunt huic dogmati, quo perhibentur animae transmutari. Quod si gentilium auctores sequi volunt, qui opinionem istam ex principiorum suorum consequentia persecuti sunt, dicentes cum haec fiant, sine dubio nunquam mundum istum posse finiri, consequens est eos, qui haec sentiunt etc. »

In hac expositione sicuti in praefatis, pluribus et claris Bibliorum testimoniis adaucta, Origenes probare conatus est mundi hujus terminum, et hinc ethnicorum futilia argumenta de animarum transmigratione. Ideoque concludit, hominum peccata in mundi fine punitum iri non per eamdem migrationem de corpore in corpus, quinimmo per alia punitionum genera. Et cum haec legas in utraque Versione, jam ab initio non te offendat quaedam varietas inter Ruffini textum latinum ab altero Anonymi graeci per Huetium edito: propter quod ad Editoribus, *perfidi* nota ictus est Ruffinus; ac praecise in iis, quae sic vertit: *non enim jam ad peccandum locus erit*: quod sane differt a textu graeco, ubi legitur *εἰ γὰρ ἔτι ἁμαρτάνοντες παραλαμβάνονται* i. e. *si enim adhuc peccantes deprehenduntur* etc. Porro differentia tantummodo consistit in particula *ἔτι si*; ubi Ruffinus in s. Martyris co-

dicibus legit *ὃυ non*: in ceteris sensus concordat. Quis autem horum veram lectionem complexus sit, paulo post dicetur.

Interea manifestum est ex Huetio Transcriptorem codicis graeci paulo ante, particulam conditionalem *ἐι si* uti sermo postulabat, mutasse in *ἦ num* dubitativam a vero Auctoris sensu alienam. Unde item fieri potuit in casu nostro, ut loco *ὃυ non* (uti legerat s. Martyr) ab ipso Transcriptore inscriberetur *ἐι si*. Ceterum tam de hac particula, tam de tota pericope, inter se collatis utriusque et Anonymi et s. Martyris textu et versione: quis de sinceritate et perspicuitate dubitarit, quam praesefert Pamphili textus a Ruffino translatus, supra textum graecum Anonymi et Huetii interpretationem? Origenes namque contra adversarios per s. Martyrem absolute docet, in fine mundi, seu in adventu Domini vindictam dari non in transmutatione animarum, cum tunc nullus peccandi locus erit. Idest, cum omnes peccatores in adventu Filii hominis puniendi sint, hoc fieri non potest per animarum emigrationem in aliena corpora, cum ista corpora amplius non sint, ubi poenam peccatorum lui necesse sit: neque locus detur amplius peccandi; sed alia erunt castigationis genera. Propterea subdit Adamantius, transmutationem corporum non constituere veram delinquentium poenam, cum isti non in proprio corpore sed in alieno poenas luerent peccatorum suorum; cum aliter et quidem jure dicendum sit in corpore suo quemque, quo male agit, poenas dare. Ac sic expugnat gentilium fallacias in suis assertionibus circa animarum migrationem de corporibus ad aliena in sui poenam errati. Et sic se habet sensus Ruffinianae versionis, et sane luculenter Auctoris menti consectarius.

Ex adverso porro Huetius, aut potius Transcriptor graecus eumdem paragraphum obscuritate nobis objicit involutum; et amplius sensus illius, contextui inconsequens apparet; et speciatim ab initio. Ait enim: *punientur autem eorum peccata, qui tunc erunt,* idest in adventu Filii hominis; *non per migrationem a corpore in corpus;* et usque huc sermo recte se habet. Quod vero deinde subdit: *nam si adhuc peccantes deprehenduntur* (in adventu Filii hominis) *vel alio poenae genere postea punientur: ac duae proinde generales puniendi ra-*

tiones erunt etc. In eo nescio quid sibi velit Auctor, nisi frustraneam praedictorum repetitionem. Et si sermonis syntaxim spectemus, propositioni negativae, quam praemisit, necessario adversativa subeunda videbatur, ne frangeretur locutio, saltem priusquam ad propositionem conditionalem accederet, veluti legebatur in codicibus s. Martyris. Praeterea, si genuinus acceptetur textus Anonymi graeci scribentis *si enim adhuc peccantes deprehenduntur*, quasi diceret, si homines peccare perseverarint in adventu Filii hominis idest in consummatione seculi, tunc dicendum esset, post mundi interitum docuisse Origenem, homines peccare posse, quod est absurdum. Et sic de ceteris, quae ibi sequuntur, loqui fas est; ubi varietas hujus ab altero Ruffini, sive s. Pamphili textu, paraphrasim tenebrosam manifestat Anonymi Transcriptoris.

Siquis autem contra istud, veterem hunc vocarit Interpretationem latinam uti ab utroque diversam et a codice s. Martyris et ab Anonymi graeco textu; negare non possumus ejusdem prae ceteris in expositione brevitatem. Attamen non tantum quae necessaria erant ad Origenis mentem explanandam, ipsum notasse constat, verum etiam uniformiter divi Pamphili textui, Auctoris verba expressisse. Ubi enim iste Evangelii dicta citavit de glorioso adventu filii hominis scribit: « Et erit eis, qui tunc fuerunt peccatores punitio, non in transcorporatione, sed in igne. Unde necessario, qui transcorporationis dogma defendunt gentiles, quasi consequentias ibi dicere cupientes, denegant mundum esse aliquando consummandum. Contra quos etc. » Et id egit vetus Interpres, illas denuo nolens recensere ethnicorum opiniones de transcorporatione, quas antea excusserat. Aut diversimode dicendum s. Pamphilum Origenis adversus ipsius accusatores sensus a veteri Interprete latino genuine traductos, late exposuisse.

Demum, etsi quandoque si ita velis, latinae Interpretationis Auctor, Origenis locutionem breviarit, nunquam vero a scopo recessit textus originalis graeci; nec ullas reliquit, nec praecidit, nec emendavit, quomodocumque se haberent, appositas discussiones. Proindeque, siqua occurrant in textu graeco

Anonymi tam late expensa ut ne vestigium aliquod appareat eorum in veteri Interprete, et aliquando fortasse contraria, statuendum est, sicuti praemisi, ea apocripha haberi et Transcriptori graeco reddenda, sive bene, sive male dixerit.

Ideoque valide praestat non esse nobis usque huc immorandum ad hujus argumenti illustrationem; et potissimum ob illas dubias seu falsas illationes contra rectum Origenis de re catholica sensum, praesertim in iis, quae illum sibimetipsi adversatum constituunt.

CAPUT XXII.

Argumenta subnectuntur, quibus vetus latina Interpretatio Origenis in Matthaeum *praestare ostenditur recenti graeco Textui ab Huetio edito.*

Quanto porro jure dicimus Anonymi glossas textui Origenis insertas, unde non videtur reprehendenda veteris Interpretis latini negligentia; sicuti amplius, si in illis erraverit Origenes, non esse eidem adscribendum erratum, sed Glossatori; plura nobis exhibentur ex eodem Commentario. Interpres vetus reapse in Tomo XIV. verba exponens Auctoris de Connubio christiano ex Evangelico statuto, inquit n. 23:

Vetus Interpretatio

« Post haec accedamus ad verbum pharisaeorum, quod dixerunt ad Jesum. *Quid ergo Moyses praecepit dare libellum repudii et dimittere?* Quomodo Moyses legem scribens non tantum aspexit, quae sit vera justitia, sed secundum infirmitatem eorum, propter quos lex ponebatur, condescendens plura mandavit, sicut est et lex dandi repudii. Quoniam autem secundum infirmitatem eorum dabatur, et non secundum justitiam, subjectus sermo demonstrat dicens: *ab initio autem non fuit sic.* Et in Novo quoque Testamento sunt quaedam, non secundum veram justitiam, sed secundum duritiam cordis hominum carnalium constituta, ut puta propter duritiam cordis vestri lex data est dicens: *bonum est mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque propriam habeat uxorem, et unaquaeque proprium virum: etc.* »

Anonymus vero graecus eamdem eodemque sensu proponit et excutit quaestionem; nisi quod post priora uniformiter recitata verba: *quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere?* subdit: « Consentaneum erit super his locum e Deuteronomio petere, in quo de Libro Repudii agitur, qui talis est: *si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit* etc. » Et ibi longissimum elaborat ser-

monem, anagogicum sive spiritualem sensum disquirens hujus mosaicae legis; ac insuper ex Apostoli statuto *unius uxoris virum* de episcopo, quasdam interserit discussiones peregrinas, et parum proposito facientes. Quae omnia sex fere paginas comprehendunt; quin praefatus Interpres vetus de his aliquid verterit, seu notarit. Cujus omissionis cum ignoretur causa, apparet, non ex istius Interpretis incuria id factum esse, aut brevitatis gratia, sive aliis de causis supervenisse; sed quia in codice graeco, quem prae manibus habuit, vertitque, ea ipsa desiderabantur. Proindeque credendum est haud Origenis opus genuinum, sed alterius esse, qui libros Auctoris graecos transcribens, hanc de suo adjecisset glossam. Neque vero contra hoc facit, quod paulo ante perspeximus, veterem nimirum Interpretem quaedam omisisse in sua versione, quae in codice graeco s. Pamphili legebantur. Verumtamen aliud est, quaedam breviare, cum ex contextu facile suppleri possint; et aliud est diversas penitus et quidem amplissimas tollere discussiones, uti in casu nostro; de quibus nulla mentio in veteri latina Interpretatione. Si tamen hinc defectum repetere liceat, ut diximus.

Praeterea ex pluribus, quae ibi varimode disquiruntur nonnulla n. 22. referuntur ad Apostoli statuta de episcopis, diaconis et viduis, eorumque ad Ecclesiae ministerium electione, qui unius uxoris, vel unius viri fuerint. Quae, si studiose Auctoris sensus investigetur, nisi apertam in antilogiam, certe in peregrinum sensum conducuntur ab iis, quae alibi docuit. Ita namque cum ait, Apostolum istud dedisse praeceptum Ecclesiae viris de monogamia, subdit: « Cum autem fieri posse videremus ut, de unius uxoris viris nonnulli bis matrimonio conjuncti, longe meliores essent, dubii eramus, quare Paulus ab ecclesiasticis magistratibus digamos arceat; id enim mihi examine dignum videbatur, propterea quod fieri potest, ut qui in duobus matrimoniis fuerit infelix, et alteram uxorem etiamnum juvenis amiserit, reliquum vitae tempus ad senectutem usque continentissime et castissime traduxerit. Quis ergo jure merito incertus non haereat, quid sit cur, cum Ecclesiae principe opus sit, hunc duarum uxorum virum, propter ista connubii vocabula, non praefi-

cimus; unius autem uxoris virum, etiamsi ad senectutem usque uxori convixerit, nec se fortasse unquam ad castitatem et continentiam exercuerit, principem eligimus? »

Cum igitur ita scribat Origenes de digamis, sicubi primam et secundam uxorem amiserint, ac in utroque conjugio misere se verterint, eosdem scilicet fieri posse longe meliores ceteris, qui unam tantum uxorem duxerint; adeo ut ob hoc ad Ecclesiae utilitatem non solum primam deceret admittere uxorem sed et secundas probare nuptias pro iis qui sacro ministerio praeficiendi essent, cum sic vitae miserias experti, reliquum vitae tempus in castitate transigerent; ita suadens, contraire videretur et iis, quae sparsim scripsit de secundis nuptiis, quas fere reprobavit universim et potissimum in Ecclesiae ministris; nec non apostolico statuto resisteret, quod alibi recte interpretatus est, valdeque commendavit. Cum autem ita sentiens Anonymus, et Apostolum putans sibi prorsus adversari, tunc ipsius verba in allegoriam transmutavit, quin animadverteret, amplius statui antilogiam ob ea, quae in aliis locis diversimode notavit, et Ecclesiae presbyteris de hac re praescripsit Origenes. Quae omnia cum vix in Origene admitti possint, necessario inter apocryphos censendi sunt hujusmodi sensus, et graeco Glossatori inscribendi, fide veteris latinae Interpretationis probata.

Et re quidem vera, Homilia XVII. in Lucam ait: « Puto enim monogamum et virginem et eum qui in castitate perseverat, esse de Ecclesia Dei; eum vero qui sit digamus, licet bonam habeat conversationem et ceteris polleat virtutibus, tamen non esse de Ecclesia et de numero eorum, qui non habent rugam, aut maculam etc. » Item Homilia XIX. n. 4. in Hieremiam, monogamos eorumque beatitudinem supra digamos valde extollens scribit: « Ei, quae unicas nuptias contraxit, arbitror conducibilius esse decipi, et putare bigamam damnandam, et poenis aeternis afficiendam esse, ut ipsa a secundis nuptiis abstineat, et puritati studeat, quam rei veritatem agnoscere, et fieri bigamam. »

Denique hujusmodi anagogicas discussiones non pertinere ad Origenem, sed alterius glossam haberi, ex eo quoque

constat, quod, quae ibidem expensa sunt de Synagoga n. 19. sub uxoris symbolo, eadem et antea, etsi brevi sermone dictata, reperiantur tam in graeco, quam in veteri latina Versione. Ex. g. ibi n. 17. legitur: « Sed quoniam Apostolus de Christo et Ecclesia id dictum esse vult: *et erunt duo in carne una*, dicendum est non aliam ob causam, priorem, ut ita appellem, conjugem ipsius, priorem nempe Synagogam fuisse repudiatam a Christo, illud servante: *quod Deus conjunxit, homo non separet*, quam quod a *malo* vitiata haec mulier fornicata est, et cum eo insidias struxit viro suo; eumque neci dedit, dicens: *tolle hujusmodi hominem de terra, crucifige, crucifige eum*. Illa igitur discessit potius quam vir eam repudiatam dimisit. » Hoc item paulo post in n. 19. ubi Versio antiqua desideratur, sic instaurat: « Synagogam vero uxorem duxisse potest Christus, et cum ea habitasse; sed illam postmodum gratiam coram eo non reperisse. Cur autem gratiam coram illo non invenerit, causa haec est, quod foeditas in ea inventa sit. Quid enim foedius, quam quod unius in festo dimittendi cum optionem haberent, latronem Barabbam dimittendum decreverint; Christum vero morti addixerint? Et quid foedius quam quod de eo pronuntiaverint omnes: Crucifige, crucifige eum, tolle hujusmodi hominem de terra? »

Aliud porro glossae furtive ab Anonymo graeco textui Origenis insertae, testimonium eruitur ex Tomo XIII. n. 6. ubi Genethliacorum exposita opinione, ad lunae figuras referentium varia insaniae genera, ait, qui hoc morbo laborant, aliquando cadere in aquam, alias in ignem. Deinde subdit: « Veruntamen et hoc accidit, quoniam et difficilis sanatu est hic morbus, qui gratia pollent hunc sanandi, aliquando curae spem abjiciunt, ac renuntiant, aliquando cum jejuniis et orationibus, et pluribus sudoribus sanant. » De his autem in hoc paragrapho 6. nihil legitur apud veterem latinum Interpretem. Sed tantummodo in sequenti, ubi ideo discipulorum exprobrata a Domino incredulitate, ait: *hoc doemoniorum genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium*. Quae verba ita commentatur Origenes: « Et si aliquando oportuerit, nos circa curationem tale aliquid patientium perma-

nere, non adjuremus, neque interrogemus, neque loquamur, quasi audienti spiritui immundo: sed permanentes in orationibus et jejuniis impetremus patienti salutem a Deo; et abigamus jejuniis et orationibus nostris spiritus malignos. »

Itaque animadversis quae in n. 7. docet Origenes cum iis, quae dicuntur in n. 6. (omissa in veteri latina Interpretatione) parum, ostenditur inter se ea convenire: ita ut jure illa prima excludenda sint a genuinis Origenis scriptis et Anonymo glossatori tribuenda. Quomodo sane Adamantius in n. 6. doemonum lunaticorum curationis difficultate ab iis considerata, qui hoc munere a Deo pollent, dicere poterat, quandoque ipsos ab hac opera cessare; et aliquando cum precibus et jejuniis salutem consequi? Idem enim hoc esset ac si diceret Origenes, exorcistas nescientes, aut nolentes orare et jejunare, ut doemones profligent a corporibus, ab hoc opere cessare, quin consequantur effectum. Ni staret de hac re Domini praeceptum, id quidem fieri posset; hoc vero mediante et omnibus noto, quicumque hac virtute praestant, nisi exorcismis, vel similibus doemonis expulsionem obtineant, profecto jejuniis et orationibus additis, cum ista omnibus praesto sint, voti compotes fiunt. Videas igitur quam inepta sit hujusmodi sententia: *aliquando spem sanandi abjiciunt exorcistae; aliquando precibus et jejuniis hanc obtinent*: quasi ipsis jejunia et orationes prohiberentur in doemoniacorum salutem. Quapropter cum Origenis indigna, nec non contradictoria sermoni, quem postea de hoc argumento contexuit, manifestentur discussa in citato paragrapho 6. ac desiderata in veteri latina Interpretatione, merito inter apocrypha censenda sunt, graecoque Anonymo inscribenda.

Hinc progressis alterum nobis subit proposito satis aptum argumentum in Tomo XVI. n. 4. ejusdem Commentarii, ubi ab Origene discutiuntur verba matris filiorum Zebedaei ad Jesum dicentis: *dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, et alter ad sinistram in regno tuo.*

Vetus Interpretatio

Non est meum dare vobis etc. « Quaeret autem qui sapiens est auditor Scripturae; quid sit sedere ad dexteram Jesu

et ad sinistram in regno ejus. Et conveniebat quidem congregare, quae sunt scripta de sessionibus Dei, vel Christi, ut ex tractatu eorum, et ex collatione eorum ad invicem clarescere posset aliqua dogmatis magnitudo. Sed prolixitatis declinandae gratia proponimus unum, quod dicit Michaeas : *vidi Deum Israel sedentem in sede sua : et omnis militia coeli stabat in circuitu ejus ad dexteram ejus et ad sinistram*. Omnis ergo, qui est spiritalis et cum judicio vult cuncta discutere, dicet, quoniam spiritalis est sessio Dei super spiritali sede, similiter etiam Christi. Nihil enim in omnibus sessionibus hujusmodi Dei, vel Christi, de corporali sessione significat sermo. Ridiculum enim est, propter has corporales sessiones appellatas existimare sedes aliquas corporaliter esse aedificatas de materia nescio qua, in quibus sedeat Deus, vel Christus ejus, vel qui ad dexteram ejus sessuri sunt, vel ad sinistram ; quibus hoc a Patre paratum est. Et nescio si sit corporale, quod dicitur, militiam coeli stare ad Dei dexteram, vel sinistram, et iterum existimare, quoniam qui salvantur quidem et laudabiles sunt, a dextris corporalibus sunt regis nostri Jesu, mali autem et perditi similiter in sinistris corporalibus etc. »

Huetii Interpretatio

Anonymus porro Transcriptor eisdem sensibus notatis, plurima adauxit testimonia a Scripturis, quae desunt in veteri latina Interpretatione ; et nonnulla mutavit, quae ex Huetii versione, judicio oppono lectoris : « Acutus Scripturae auditor esse sibi videns aliquis, quidnam sibi velit, a dextris Jesu, vel a sinistris in ipsius regno sedere postulabit. Ac in eorum quidem gratiam, qui haec anxie nimis ac curiose a nobis disquiri putant, colligenda sunt, quae de Dei vel Christi sessione scripta extant ; ut ab eorum ad id collectorum examine et invicem comparatione ex desumpto simpliciori exemplo sententiae magnitudo elucescat ; quale in Tertio Regum scriptum extat, dixisse Michaeam : *Vidi Deum Israel sedentem super solium suum; et omnis exercitus ejus assistens ei a dexteris et a sinistris.* » Hinc exorsus Anonymus graecus plura et ad quindecim testimonia Scriptura-

lia congerit ac interpretatur ut duas impleat fere paginas, quin de ipsis verbum indicet Interpres latinus; donec tandem, unde digressus est, reversus, veteri Interpretationi concors scribit: « Quoniam spiritualis est sessio Dei super thronum spiritualem, nihil de corporali sessione per illa significatur, quam id esse definierunt, clunibus sedi alicui incumbentibus inniti. Nam quod haec corporaliter nuncupata sunt, ridiculum foret thronos esse quosdam (ex quanam materia mihi non liquet) fabricatos aestimare, sessionis Dei vel Christi capaces, eorumve, qui a dextris vel sinistris Christi sedeat; quibus nimirum id Pater praeparavit. Certe an coeli militiam arbitrari fas sit a dextris vel sinistris Dei corporaliter stare, vel sibi rursum fingere salutem adeptos et laudem meritos a corporeis regis nostri Jesu Christi dextris esse; at vituperio et reprehensione dignos ac perituros, a corporeis similiter sinistris stare, haud satis scio. »

Ubinam ergo reperietur genuinus Origenis textus? prope ne veterem latinum Interpretem, an apud Transcriptorem graecum? Num vetus Interpres omiserit, quae alter adjecit, an potius iste de suo addiderit ac mutarit ab iis, quae in manuscriptis originalibus Auctoris legebantur? Latinus Interpres sincere Origenis mentem exposuisse, nullis detractis, mihi videtur: ex quo nunquam, seu nullibi apparet ex persona suamet esse ipsum in hac Translatione locutum; quinimmo semper Origenis sensus atque ex ipsius persona genuine contulisse. Cum enim ibi latinus Translator notet: *et conveniebat quidem congregare quae sunt scripta de sessionibus Dei vel Christi* etc.; si, inquam in illa locutione propriam et per seipsum patratam indicare decrevisset textus Origenis breviationem, significasset sane Origenis nomen, ubi ait *quae sunt scripta* idest ab eodem *de sessionibus Dei* etc.; itemque in illis quae postea scribit: *sed prolixitatis declinandae gratia proponimus unum*, ex multis scilicet testimoniis, quae citavit et expendit Origenes ipse, *quale istud quod ait Michaeas* etc. Veruntamen de his omnibus siluit latinus Interpres; ideoque non iste ibi loquitur, sed Origenes de se loquitur; qui brevitatis causa noluit multa Bibliorum effata censere, cum unum sufficeret. Et hoc reapse magis a

sequentibus firmatur; ubi Origenes ex hoc uno tantummodo testimonio sermonem intexit, spiritaliter ostendens, comprehendenda esse vocabula *sessionis*, *dexterae*, *sinistrae*, *militiae* etc. uti legitur in praefato versu: *vidi Deum Israel sedentem in sede sua, et omnis militia coeli stabat in circuitu ejus ad dexteram ejus et ad sinistram.*

Porro ex adverso graecanicus Transcriptor, postquam multa coegerit in suam glossam testimonia de Scripturis, eaque uniformiter singillatim exposuerit, tandem redit ad interpretationem illius, quod praemisit sine discussione relictum, quodque alteri deserviret praecipuo: *dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram et alter ad sinistram in regno tuo*, et sic accommodatur orationis ordini, quem tenuit vetus Interpres. Praeterea ab initio paragraphi Anonymus de suo addens, quae non scripsit Origenes, dictum quoque ejusdem tenebris obvolutum prodit; adeo ut vix sensum perceperis. Cum enim se velle dicit e Libris sacris testes colligere de Dei, sive Christi sessione, easque comparare, ob id notat, ut: « ἀναθεῖλαι δυνηθῇ μέγεθός τι δόγματος ἀπὸ ἁπλουστέρου παραδέγματος ληφθέντος, elucescere possit magnitudo aliqua dogmatis e suscepto simpliciori exemplo. » Quae si Versioni antiquae aptaveris, significationem attigeris, aliter horum extravagantiam probabis. Et hoc sane accidit illi, qui in arvo sato aliena superseminans, seminis primitivi puritatem tollit et aliquando corrumpit. Ceterum Interpretatio vetus tum in his, tum alibi limpidissime se habet, uti cuique legenti patet.

Praeterea ut talis gravissimi negotii quaestio certis et perspicuis argumentis illustretur, ad ceteras diluendas pergamus varietates. In Tomo XIII. n. 24. Origenes, Christi verba interpretatus: *si manus tua, vel pes tuus, vel oculus tuus scandalizaverit te* etc., diversas exponit causas scandalorum, illas videlicet, quae intra et extra nos agunt, inquiens: « Et vere quae scandala ex nobis ipsis nascuntur, sicuti ait Jacobus in Epistola sua: *Deus neminem tentat, sed unusquisque tentatur in concupiscentiis suis.* Quaedam extrinsecus veniunt, vel ab extraneis, vel a proximis, de quibus praesens loquitur sermo; et bonum quidem erat, ut laudabilis esset et

oculus et manus, ut ne possit juste dicere oculus manui, *necessaria mihi non es*. Si autem aliquis ex toto Ecclesiae corpore videatur manus propter aliquem actum, conversus autem factus fuerit scandalizans, oculus dicat hujusmodi manui, *necessaria mihi non es*, et dicens eam praecidat, et pellat a se. » Et sic de ceteris, in quibus potissimum Origenes considerat haeresum et haereticorum scandala, quae ab Ecclesia tollenda sunt, ne totum fidelium corpus perdant. Deinde ordinatim de proximis, seu domesticis loquitur, quos nobis scandalum inferentes ac sub eisdem manuum, pedum et oculorum nominibus repraesentatos, abjicere debemus. Ac tandem sub eisdem vocabulis dicit comprehendi posse animae sive voluntatis nostrae actus intrinsecos et quidem malos: « Potest autem et sic intelligi, ut actus animae peccans, manus intelligatur: et incessus animae peccans, pes: et visus animae peccans, oculus: quos oportet praecidere, si scandalum faciant etc. » Quae omnia ita exposita in veteri latina Interpretatione quisquis legerit, in nullam offendet difficultatem tam in dictionis tam in ratiocinii ordine. Cuncta namque in utroque paragrapho 24. 25. a principio ad finem perbelle connectuntur.

Ex adverso porro, siquis, relicta veteri Interpretatione, Textum graecum adeat ab Huetio accurate versum, hoc idem non assequetur. In codicibus enim graecis quaestionis titulus desideratur, de qua agendum erat, idest dominica verba: *quod si manus tua, vel pes tuus scandalizat te excide eum, et projice abs te. Bonum enim tibi est introire in vitam claudum vel debilem, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum*. Et ex abrupto incipit n. 24: « Ac optime sane se res habebit, si oculus et manus laudabiles sint, ne juste manui oculus dicere possit: *opera tua non indigeo*. Quod si quis in toto coetuum Ecclesiae corpore, propter strenuitatem etc. » Quae verba non nisi praemissi divini testimonii: *si manus tua scandalizat te* etc. consequentia reputata, postulant, quod ibi desideratur, quaestionis initium. Secundo, sermone breviori quam latinus agit Interpres, ea vocabula excutiens Anonymus, nullam distinctionem notat de scandalis, quae exterius interiusque in nobis

operantur. Ac ideo graeca Expositio ita praebetur confusa, ut nisi vetus Interpretatio succurreret, frustra quaereres illius sensum. Ea enim quae in hac Interpretatione, tertio loco et ordinate disposita circa scandala intra nos excitata, veluti concupiscentiae carnis motus, quos reprimendos esse dicit, ne in detrimentum fiant animae nostrae, ea nimirum seorsim censita a graeco Transcriptore, corrupto Auctoris sensu, translata sunt ac inserta discussioni de scandalis extrinsecis, tanquam causa horum forent. Quae cum totum sensum pervertant, alio exportanda sunt, suoque restituenda loco, veluti tradit vetus Interpres.

Alterum item glossae indicium sive interpolationis Codicis graeci, ac simul integritatis veteris Interpretationis, adstruitur in Tomo XIV. n. 1. 2. 3; ubi ab Origene disputatur de Salvatoris sententia: *iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis.* Varios enim discurrens Adamantius illorum verborum sensus et speciatim in vocabulo *συμφωνίας symphoniae* ex iis deducto, quatuor inde eruit mysticas expositiones. In prima comprehendit fideles tum privatim tum universim, in oratione consentientes, ut optata a Deo consequantur. In secunda specialem putat repraesentari viri et uxoris in precibus consensum; et hanc ex cujusdam interpretis mente, expressit: « Est et alia expositio verborum istorum, quam exposuit aliquis ante nos exhortans ad castitatem conjuges. Si duo, inquit, vestrum convenerint, idest vir et uxor ex consensu semetipsos ab invicem separantes a corporali conjunctione, ut vacent orationi: tunc enim orantes de omni re, quamcumque petierint, consequentur, praestante eis Deo per talem castitatis consensum. Et iste consensus non videtur conjugium solvere etc. » In tertia expositione sibi exprimi posse videtur spiritus et carnis consensus: « Et fit consensus duorum, spiritus et carnis super terram: quo consensu expleto, et oratio transmittitur, corde quidem credenti ad justitiam etc. « In quarta tandem, ea Christi verba duorum Testamentorum *symphoniam* sive convenientiam adumbrare existimat: « Jucundum est, ait, istum consensum intelligere etiam circa convenientiam duorum Testamentorum:

in quo enim testamenta duo conveniunt sibi, ut nullus sit inter ea dissensus, eorum invenitur oratio de omni re acceptabilis Deo. »

Porro si haec eadem graeco Exemplari conferantur, inanem probabis repetitionem in additamentis numero I. quae jure quidem desiderata in veteri Interpretatione, veluti spuria habenda sunt. Ibi namque disserens de citato vocabulo *symphonia* Glossator graecanicus scribit; « Sic ego quoque verba haec Apostoli interpretor: *nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Quoniam enim harmoniae vocabulum iis, qui secundum Deum connubio junguntur, in quodam Proverbiorum loco tribuitur, qui sic habet: *domum et substantiam divident patres filiis: a Domino autem viro uxor conjungitur*: consequens est harmoniae, quae a Deo est, et nomine symphoniae ac consensus, et ipsa re ad orationem frui; quod vel inde liquet: *nisi forte ex consensu.* » Hinc vide haec eadem in tertia expositione fuisse discussa, eodemque tradita intuitu, adeo ut frustranea appareant, quae vel hic vel ibi Graecus addidit. Et sic de ceteris expositionibus dici par est, quas iste connexuit in primo paragrapho: quarum cum ne verbum quidem legatur in latina Interpretatione, istius fides, et alterius concludenda est infidelitas in hoc Origenis transcribendo, vertendoque Commentario.

Item propositum juvat, ut pateflat Versionem antiquam supra textum graecum esse commendandam, ac arbitrarie insuper Transcriptorem graecum plura alias subtraxisse, alias addidisse, quandoque falsitates nonnullas intrusisse, ac alia reliquisse obscura; prodest, inquam, quod legitur in Tomo XVII. n. 10. 11. ubi parabola discutitur *de Vinea plantata et de Agricolis.* Sicubi enim sacra verba pertigit: *reverebuntur filium meum*, quadam sibi occurrenti difficultate, scribit:

Vetus Interpretatio

« Quaeres autem quomodo Deus quidem mittens Filium suum, dicit: *reverebuntur Filium meum*, quasi qui non praesciebat, quod ei fuerat eventurum. Nec enim videntur secun-

dum textum praesentem judaei reveriti eum; et invenitur in hoc Deus nescisse futurum. Sed dicere aliud esse factum impium est: iterum dicere quoniam reveriti sunt eum coloni, falsum est: *coloni enim videntes filium, dixere apud se: hic est haeres, venite, occidamus eum, et nostra erit haereditas;* nisi forte hoc modo solvamus. Sicut enim quasi de omnibus judaeis occisuris Christum, sic dicit generaliter: *coloni autem dixerunt: hic est haeres, venite, occidamus eum.* Et tamen non omnes judaei occiderunt Christum, sed qui secundum carnem fuerunt judaei. Secundum spiritum autem judaei non occiderunt Christum, sed crediderunt in eum. Sic generaliter quasi de omnibus colonis dicit: *reverebuntur filium meum;* et tamen non omnes illum reveriti sunt, sed illi tantummodo, qui secundum spiritum fuerunt judaei, qui crediderunt in eum, ut illud quidem quod ait: *reverebuntur filium meum*, videatur impletum in illis judaeis, qui intelligentes Christum, crediderunt in eum; hoc autem quod dictum est: *hic est haeres, venite occidamus eum*, in illis impletum sit, qui videntes Christum, et cognoscentes Filium Dei, nihilominus occiderunt eum. »

Huetius ex textu graeco

« Quaeres porro quomodo qui filium suum mittit, dicit quidem: *verebuntur filium meum.* At quasi quae ei eventura erant, animo non perciperet, illud dicit; nam juxta Scripturae contextum, illum minime veriti videntur: at missi filii patrem, quae futura erant, non praevidisse, sed falsum animi fuisse, cum alia praenuntiasset, alia contigissent, impium foret hic illud respondere: rursus autem dicere, veritos illum fuisse colonos, omnem superat verisimilitudinem. *Agricolae enim videntes filium ejus, dixerunt intra se: hic est haeres*, et cetera. Respondebit ergo ad id aliquis, necessarium fuisse, ut id contingeret: *verebuntur filium meum*, quamvis tunc non contigerit. At alius inquiet, non dixisse Patrem, cum Filium mitteret: fructum a colonis filius meus recipiet, sed *verebuntur;* reveritos quippe reipsa esse, cum filium hunc esse cognoverunt, et intra se dixerunt: *hic est haeres.* At

quamvis reveriti sint, et initio fuerint perculsi, ita tamen se non gessisse, quasi eum revererentur. »

In his itaque inspicito veteris Interpretis et Huetii versionis concordiam in proponenda difficultate, tamen in ejusdem solutionem videas dissonantiam. Cui ergo credendum? Quis Origenis sensum sectatus est? Priscus Interpres mihi videtur sinceram Auctoris exposuisse mentem, ob consuetum istius usum in Scripturarum interpretando litterali ac spiritali sensu. Et ob hoc non dubitat, ratum haberi divinum testimonium, cum ait colonos, idest judaeos omnes occidisse Christum Filium Dei, qui secundum carnem fuerant judaei; proindeque dixisse: *venite occidamus eum;* quotquot autem in Christum crediderant, quique secundum spiritum fuerunt judaei, eos omnes Filium Dei reveritos esse; et ita Christi verba impleta fuisse. Alii vero, qui juxta litteram incedebant, quamvis Christum novissent haeredem et Filium Dei, nihilominus occiderunt eum. Et hac ratione evadit a dilemmate, quod ex parabolico sermone contra se stare videbatur.

Transcriptor porro graecus per aliam incedens viam, enodare studet difficultatem. Et cujusdam primo profert responsionem dicentis, necessario factum iri, ut coloni haeredem reveriti essent, sed non tunc. Alterius deinde opinionem citans, ait colonos revera cognoscentes ipsum esse haeredem, Christum reveritos fuisse; sed non ideo tanto timore perculsos ut ipsum revererentur. Quae quanti sint faciendae tales expositiones; et an priori veteris Interpretis praeferendae sint translationi, judicium compello lectoris.

Praeterea paulo post de eodem argumento n. 12. cum uterque notet scriptum: *lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli*, quidquam sane speciosi habet Textus graecus, cujus nulla mentio in veteri latina Interpretatione. Ibi enim dicitur, praefatum divinum testimonium reperiri in Psalmo 117. *qui est* πρὸ τοῦ πολυστιχωτάτου ψαλμοῦ τεταγμένος *dispositus ante Psalmum plurimorum commatum sive versiculorum;* cujus titulus *Beati immaculati in via* etc. Hoc item distinxit in Tomo praecedenti n. 19. dicens: « Illud: *benedictus qui venit* etc: jacet ἐν τῷ πρὸ τοῦ μεγίστου ψαλμοῦ ψαλμῷ *in Psalmo ante Psalmum maximum* : cu-

jus pariter nulla mentio in veteri Interpretatione. Quid sibi velit hujusmodi nota, et quo scopo dixisset Origenes, me latet. Sed cum, inquam, vetus latinus Interpres nec ista, nec reliqua censeat, jure Interpolatori graeco, non vero Origeni adscribenda sunt.

Item alibi in Tomo XII. n. 42. Origenes de Christi transfiguratione locutus et de nube lucida discipulos obumbrante, juxta veterem Interpretationem scribit: « Audens autem dicam, etiam Salvatorem nostrum esse lucidam nubem. Nubes enim lucida obumbrat semper dilectos Christi discipulos et Evangelium, et legem et Prophetas, sicut intelligunt, qui possunt aspicere lumen ipsius in Evangelio, vel in Lege, vel in Prophetis. » Codex vero graecus ab Huetio translatus tradit: « Audens autem dicam etiam Salvatorem nostrum lucidam esse nubem. (*Petrus igitur dicens*: *faciamus hic tria tabernacula a se unum*, *et a filio unum*, *et a Spiritu Sancto unum*) lucidà enim Patris et Filii et Spiritus Sancti nubes veros Jesu discipulos obumbrat; vel Evangelium, Legem et Prophetas nubes obumbrat; lucida quidem ei, qui potest intueri lumen illius in Evangelio, Lege et Prophetis. » In hoc paragrapho, si excipias verba parenthesi inclusa, tam Huetii, quam veteris Interpretis translatio cohaeret, sensus convenit; nec aliter dividi possunt, cum sic Origenis mens manifestissima sit. Si vero addideris verba parenthesi inclusa, orationis quoque nexum praecides, ac obscurissima quaeque habebis. Quapropter cum Editores in omnibus codicibus graecis ea verba inserta reperissent, non erat eis incusandus vetus Interpres latinus, quasi parum accuratus; sed potius culpanda graeci Transcriptoris glossa arbitraria; qui saepius vel obscurum reddidit, aut sensum Auctoris corrupit.

Similiter ad imminuendam graeci Transcriptoris auctoritatem, ac veteris Interpretis fidem extollendam et versionis suae sinceritatem, faciunt quae Origenes eruit de Christi responso interrogationi sadducaeorum dicentium *non esse resurrectionem*, varietate in utroque intenta circa eorum expositionem: *in resurrectione neque nubent neque nubentur* ex Tomo XVII. n. 33. Sic igitur exponit ea verba *vetus Interpres*: « Debuerunt enim considerare tunc sadducaei ea, quae

sequebantur opinionem eorum: quoniam si sunt ibi nuptiae, et partus; si partus et mortes et infirmitates; si nativitas, et pueritia et ascensiones a pueritia ad maturitatem virilem, et minorationes senectutis. Si autem haec omnia, erit et malitia; et vix alicubi virtus invenietur in raris hominibus quaerentibus eam. Et his quid potest esse amplius vanum? Et melius est ut nec sit resurrectio, quam ut sit talis, qualem existimant sadducaei. Si autem est ibi aut pater, aut frater, aut aliquid ejuscemodi, non tamen est secundum nativitatem carnalem, neque per mulierem, neque per turpes corporis partes. Ego autem existimo non tantum ibi patres et filios esse secundum impassibilem spiritum, sed etiam uxorem et virum in spiritus unitate, secundum parabolam illam, quae dicit: *simile est regnum coelorum homini, qui fecit nuptias filio suo*, et cetera. Ergo filius regis in resurrectione mortuorum faciet nuptias extra omnes nuptias, quas oculus vidit, et auris audivit, et super cor hominis ascendit. Et erunt illae nuptiae castae et divinae, et spiritales in verbis mysterialibus constitutae, quae non licet hominibus loqui. Et quaeres si in resurrectione possunt esse et aliorum nuptiae secundum nuptias Christi, aut potius solus Christus sponsus, destruens nuptias omnes, faciet nuptias, ut sint duo in carne una, magis autem non solum duo in carne una, sed duo spiritus unus, idest sponsus et sponsa. Sed vide ne tu audiens haec aberres, audiens fabulas aliquorum dicentium esse *Aeona* secula masculina et foeminina, qui finxerunt et conjunctiones *aeonum* seculorum illorum, quae non sunt; neque fit eorum memoria in Scripturis. »

Ex his interim conspice quali studio, quali simul perspicuitate latinus Origenis Interpres priscus, Christi verba excutiat, ut irritas faciat sadducaeorum objectiones. Cujus scopus in eo potissimum versatur, ut ostendat, quamvis in coelis sit, vel ponatur ut quis nominetur pater, vel filius, vel frater, seu vir, aut uxor, non ideo intelligenda ea esse, nisi spiritaliter; quippe in resurrectione homines resurrecturi sunt in corpore spiritali et impassibili, uti Apostolus ait; et sicuti nos superius longa disputatione egimus circa vocabula *apathia machariotis*, *impassibilitas et beatitudo*. Et his

omnibus ita pertractatis, non tantum nihil mancum apparet, sive detruncatum in ordine argumentationis, sicuti nil reprobandum occurrit; quinimmo consonantiam inter se inspicies et cum ceteris, quae alibi in resurrectionis hostes dimicans, docuit Origenes.

Modo videamus quae Huetius ex graecis codicibus vertit. Et primum quidem circa citata Scripturae verba brevi expensa sermone apud veterem Interpretem, ex adverso Anonymi, qui longam intexit discussionem tres fere paginas capientem; ubi manifeste apparet glossa eorum, quae in veteri ac genuina Interpretatione leguntur. Sed hoc parum nostra interesset; nisi et obscura quoque notarentur, et quidem iis opposita, quae alibi dixit Origenes, et christianae fidei indigna. Quae enim ex. g. sapientissime Origenes secundum priscum latinum Interpretem, adstruit de spiritali fraternitate sive unitate in resurrectione, uti vidimus, haec eadem ita exponuntur a graeco Transcriptore: « An autem aliquo alio quam secundum carnem, modo frater aliquis est; et alio aliquo quam per generationem modo pater et filius, non mulieris ope, neque obscoenarum corporis partium, *ἀλλὰ ἀνάλογον τῷ καὶ τὸν σωτῆρα υἱὸν ἐιναι τοῦ Θεοῦ, ἐπιστήσει ο δυνάμενος sed in analogia, qua et Salvator est Filius Dei*, sciet, qui poterit talia recte investigare capiens omnia, scrutatus spiritus etiam profunda Dei. Ego vero non diversum in his aliquid dumtaxat, et quasi aequivocum intelligo; de fratre et patre ac filio loquor, sed et de uxore et viro etc. »

Vide ergo varietatem a prisco Interpretis sensu in iis, quae iste ait de impassibili patrum et filiorum spiritu in resurrectione, et uxoris et viri ejusdem spiritu in resurrectione, et uxoris et viri ejusdem spiritus unitate. Verum quod potissimum est, tibique admodum ponderandum, in antilogia consistit, quae Origeni ipsi obviam fit; cum in hoc loco analogiam filiationis Unigeniti Dei cum Patre eamdem esse statuat ac paternitas et filiatio hominum in resurrectione; quacum omnino destruit, quod alibi in Libro 1. *Periarchon* c. II. 4. disserte tenet de Divinae Generationis mysterio: « Infandum autem est, inquit, et illicitum, Deum Patrem in generatione Unigeniti Filii sui, atque in substantia sua

exaequare alicui vel hominum, vel aliorum animantium generanti; sed necesse est aliquid exceptum esse, Deoque dignum, cui nulla prorsus comparatio, non in rebus solum, sed ne in cogitatione quidem, vel sensu inveniri potest, ut humana cogitatio possit apprehendere quomodo ingenitus Deus efficitur Pater Unigeniti Filii. » Quapropter hac stante antilogia eorum, quae leguntur in textu graeco Huetii cum iis, quae expresse docuit in Libris *De Principiis* Origenes, non erat vetus Interpres ab Huetio reprobandus, quasi dura huic Commentario inseruisset; sed Amanuensis graecus, qui in transcribendis codicibus origenianis, eosdem pariter et quidem arbitrarie commentatus est, Auctori adscribens, quae non sensit. Proindeque, relicto graeco textu, ad veterem latinam Translationem conversus Huetius, rei veritatem attigisset, uti jure in se habebatur, ingenue explanatam.

Praeterea alia item corruptionis nota percipitur in sequentibus, ubi haec habet vetus Interpres: « Et quaeris si in resurrectione possunt esse et aliorum nuptiae secundum nuptias Christi: aut potius solus Christus sponsus, destruens nuptias omnes, faciet nuptias, ut sint duo in carne una: magis autem non solum duo in carne una, sed duo spiritus unus, idest sponsus et sponsa. » Ista porro ita ex textu graeco traduntur ab Huetio: « Quaeret autem aliquis an quale est in mortuorum resurrectione sponsi matrimonium, talia sint et alia matrimonia: an in mortuorum surrectione sponsus solus, omni abrogato matrimonio, ipse matrimonium contrahit, non quo duo erunt in carne una, sed quo uno unum spiritum sponsum sponsamque futuros dicere magis consentaneum est. » Huc etiam subeat lector ac judicet, ubi magis sermonis ratio et claritas praestet, num in veteri Interpretatione, an in Exemplari graeco. Attamen cum in textu graeco omittatur persona Christi (quam interposuit et quidem necessario priscus Interpres latinus, nuptias mysticas seu spiritales in futuro seculo repraesentans) tota confunditur oratio, ita ut vix relationem cum praemissis invenias et Auctoris inde vix assequaris scopum.

Pari jure novae graecae Editioni videtur lectio veteris Interpretationis praeferenda in iis, quae Origenes discutit de

dominico mandato discipulis suis: *ite in castellum, quod contra vos est: et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea.* Ex pluribus animadversionibus, quas in hunc locum compingit Auctor, hanc maxime notavit in Tomo XVI. n. 16. quam varimode praefatae lectiones exprimunt. Ita namque se habet

Vetus Interpretatio

: « Aut certe quoniam multi ex populo judaeorum, vel gentium, vel quos asinam et pullum supra sumus interpretati, qui crediderunt in Christo, et susceperunt super se, postea missi a Christo reversi sunt ad populum judaicum, vel ad ceteras gentes nondum credentes, ut praedicarent eis Dominum Jesum Christum Filium Dei. Et hoc est quod significat dicens: *confestim autem remittet eos.* Si ergo asina et pullus ejus illi sunt: quos diximus supra, super quos verbum ascendit, non tibi videtur sermo insulsus, quod fideles homines animalibus compararentur. Forsitan enim tale aliquid intelligens et Propheta, dicit se factum esse quasi jumentum, non simpliciter jumentum, sed sicut jumentum apud Deum, vel apud Christum ejus, secundum quod ait: *ut jumentum factus sum apud te.* »

Porro si ista conferas cum textu graeco scias primum, pericopem, quae incipit, *aut certe* usque ad *remittet eos* ibidem desiderari: cum in reliquis coalescat in sensu. Ceterum non latet veterem Interpretem in hac additione, integritatem origenianae expositionis servasse, et ejusdem cum praemissis convenientiam, quam frustra requires in textu graeco. Origenes enim juxta priscam Interpretationem, opportune indicavit missionem, quam super se susceperunt discipuli Domini ad populum judaicum et ad ceteras gentes, Jesum Filium Dei evangelizandi; ac ideo jure dicit: *et confestim remittet eos.* Hanc notam, inquam, tamquam praecedentibus consequentem ac ideo necessariam omisit Anonymus transcriptor graecus.

Sed non in hoc tantummodo improbanda codicum graecorum lectio videtur; verum etiam in sequentibus:

Vetus Interpretatio

« Nam quantum ad Deum, jumenta sumus non solum nos, sed etiam multo nobis prudentiores. Sic autem quantum ad pastorem Christum, etiam oves ejus sumus: quoniam tanta distantia est inter eum et nos, quantum hominem et qualecumque jumentum. »

Versio Huetii

« Sicut enim relate ad ipsum Verbum et Dei majestatem jumenta sumus, non nos soli sed et nobis multo prudentiores et sapientiores: ita autem etiam relate ad rationale pastoris, quasi oves sumus illius; propterea quod in hominibus etiam perfectissimis ratio comparata ei, qui est *ipsa ratio*, valde discrepet ab ista; seu quantum habet discrepantiam anima asinae et pulli, aut ovis relate ad hominem. »

Nunc cernito quis sive in ordine, aut in perspicuitate locutionis Origenis mentem attigerit. Duo enim ab ipso considerantur, et Deus et Christus ejus in humana dispensatione; et variam hinc rationem ponit Auctor juxta veterem Interpretationem relate ad similitudinem, quam nos gerimus coram Deo, eidemque aequiparati, ita ut tanquam jumenta reputemur: *ut jumentum factus sum apud te.* Et non solum quoad Deum hoc ratum haberi dicit, sed etiam quoad Christum ejus; cujus essentia, sapientia, ceteraque divina attributa praestantissima, nostrae infirmitati et paucitati comparata, tantam constituunt inter eum et nos discrepantiam, quanta reperitur inter nos ipsos et vile jumentum. Quod sane potissimum intendebat Origenis sermo, qui Christi Dei excellentiam super omnia creata, et quavis ratione, extulit, ita ut nemo cogitaret, quod divinum Verbum, caro factum quidquam de Patris substantia aut sapientia etc. minus habere videretur. Seu nequis putaret ipsum in humanae naturae assumptionem aliquid amisisse divinitatis, et ob humanitatis conditionem quid in se accersivisse de ejusdem defectibus. Et hoc manifestissime indicatum a veteri Interprete, non assequeris in expositione Transcriptoris graeci, ubi omnia

confusa sunt, adeo ut non distinguas Patris personam ab altera Filii Christi sui, et hujus oeconomiam in sua humanitate.

Haud dissimilis corruptionis nota ex parte Anonymi Transcriptoris adversus sinceram veteris Interpretis versionem comprehenditur in Tomo XII. n. 12. Ubi Origenes de Christi verbis disserens: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, ait plures esse portas pugnantes contra Petram. Quas

Vetus Interpretatio

ita ordinatim enumerat: « Et hoc scire debemus, quoniam sicut portae singulae civitatum nomina propria habent: sic unaquaeque porta inferorum secundum speciem uniuscujusque peccati proprium habet nomen: ut puta, una porta dicitur *fornicatio*, per quam omnes fornicatores ingrediuntur in tartara. Altera autem dicitur *denegatio Christi*, per quam denegatores Christi descendunt in inferos. Tertia dicitur *cupiditas pecuniarum*, per quam cupidi pecuniarum incedunt, non Deo sed mammonae servientes. Adhuc autem et unusquisque haeresiarcharum auctorum, qui aliquam falsi nominis scientiam genuerunt, aedificavit aliquam inferi portam: » uti Marcion, Basilides, Valentinus, qui quasi architecti impietatis portas aliquas inferorum construxerunt. Quae omnia perspicue se habent.

Versio Huetii

Anonymus porro cum haec eadem breviori sermone tradat, et hinc minus accurate, videtur etiam confudisse sensum Auctoris. Sic namque scribit: « Atque id quidem sciendum est, quemadmodum urbium portae singulae propria habent nomina; eodem modo portis inferi pro variis peccatorum formis nomina imponi posse: ita ut una inferi porta *fornicatio* appelletur, per quam iter faciunt scortatores; ἑτέραν δε ἄρνησιν δι ἧς ἀρνησίθεοι εις ᾅδου καταβάινουσιν: ἤδη δὲ καὶ ἕκαστος τῶν ἑτεροδόξων i. e. altera autem *denegatio* (appelletur) per quam in infernum descendunt, qui Deum inficiantur. Jam vero et unusquisque illorum, qui diversis ab ab Ecclesia opinionibus adhaerent etc. »

Hinc, ut vides, ex tribus nominatim distinctis ab Origene portis juxta veterem Interpretationem, duas tantummodo censet Anonymus graecus. Ac insuper secundam portam nuncupat ἄρνησιν *denegationem*, quae ducit ad inferos Deum abnegantes. Verum haec simplex nuncupatio *denegatio* sine subjecto negato cum sit ambigua, et in bonam et malam partem sumi possit, nullum constituit per se peccatum, nec inde portam ad inferos. Itaque in Ecclesia graeca et latina dicitur *abnegatio diaboli*, et *abnegatio Christi;* ideoque ut consequens habeatur Origenis locutio, dicendum erat, uti exposuit vetus Interpres: *altera autem* (*porta*) *denegatio Christi, per quam denegatores Christi descendunt ad inferos.* Praeterea Transcriptor graecus tradit: *altera autem* (*porta*) *inficiatio per quam descendunt ad inferos*, *qui Deum inficiantur.* Quae expositio (dissona a veteri Interpretatione) atheismum tantum comprehendens, nihil dicit de Christi persona, idest de ipsius divinitate, humanitate ac missione inter homines etc. Quae quidem notavit vetus Interpres, Origenis menti consentaneus, cum tunc iste gentibus inculcaret ac judaeis, Christum Filium Dei, extra quem salus nulla erat: *qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.* Quam sane hujus peccati poenam, accepto textu graeco, transegisset Origenes, quod admitti nequit; cum fides in Christum sermonum suorum constitueret summam. Unde concluditur aliud Origenis textus per Glossatorem graecum interpolati vel corrupti indicium.

Vetus Interpretatio

Item in eodem Tomo XII. n. 26. ex Christi verbis: *qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet illam*, unde ex veteri Interpretatione docet Origenes: « Siquis autem contemnens vitam praesentem propter Christi verbum, et confidens de vita aeterna, usque ad mortem pro veritate certaverit, perdet quidem animam suam quantum ad vitam praesentem, tradens eam pro pietate in mortem, quae abusive dicitur mors: sed quoniam propter Christum perdidit animam suam, magis eam faciet salvam in vita aeterna. Alio

autem modo sic intelligimus textum. Siquis intelligit quae est vera salus, et acquirere vult eam salutem animae suae, iste abrenuntians hanc vitam, denegans seipsum; et tollens crucem suam, et sequens Christum, perdit quantum ad voluntates carnales animam suam propter Christum, et propter omnem doctrinam ejus: et perdens animam suam hoc modo, salvat eam per opera pietatis. »

Versio Huetii

Modo obsignetur quae prodit Textus graecus de eadem Christi sententia: « Siquis autem propter sermonem meum, usque de vita aeterna pro veritate decertare persuasus fuit, vitam praesentem contemnens, animam suam perdit, prae pietate eam tradens ei, quod vulgo mors appellatur. Is utpote qui vitam suam propter me amiserit, servabit eam potius et tuebitur. Alio etiam modo id quod dictum est, accipere possumus. Siquis in animum suum inducens, quid sit salus, animae suae salutem consequi optat, vitae suae nuntium remittens, eamque ejurans, et crucem suam tollens, ac me sequens, animam suam mundo perdat. Nam qui eam propter me et omnem meam doctrinam perdiderit, salutem adipiscetur, finem perditionis hujus. »

Collata igitur veteri cum graeci textus Translatione, inspice discrepantiam, qua vetus sit novae praemittenda. Vetus namque Interpres exacte duplicem Origenis expositionem protulit et perspicue in dominico sermone: *qui autem perdiderit animam suam propter me inveniet eam.* In prima animae conditionem statuit, quando quis fidelis tradat pro pietate sive propter Christum animam suam in perditionem quoad praesentem vitam, ut servet eam in vita aeterna, scilicet confessus Christum coram ejusdem hostibus cum ipsius vitae discrimine. In secunda vero interpretatione, ubi dicit Origenes alio modo intelligi posse verba *qui perdiderit animam suam*, non ait simpliciter *pro pietate*, sed *per opera pietatis*, quod sane ab antecedenti interpretatione differt, cum hic non confessio fidei indicatur tantum, sed et opera pietatis, quae christianus colens, renuntiat diabolo et omnibus operibus suis,

idest voluntatibus carnalibus: in quibus expugnandis vir pius salvat animam suam. Et haec omnia transegit Transcriptor graecus, primum cum secundo confundens expositionis sensum, frustra repetens quae in prima expositione explicavit Origenes, ac una omittens cetera, a veteri Interprete notata conducentia ad ampliorem rei declarationem, ac prope Auctoris mentem. Unde is concludit: « Si autem abnegare se et tollere crucem, non solum est mori pro Christo, sed carnalem conversationem rejicere; sine dubio et *perdere animam* non solum mori est; sed etiam deponere voluntates carnales. »

Denique ut apertius dignoscamus Transcriptorem graeci textus, Origenis verba demutasse, ejusque corrupisse sensum, ea adeamus, quae in sequenti paragrapho 27. ob eamdem distinctionem tradit vetus Interpres: « Itaque, ait, secundum ea, quae diximus, videtur mihi simile esse hoc ei, quod dixit: *abneget semetipsum, et tollat crucem suam*. Qui enim denegat se, et tollit crucem suam, ipse est, qui perdit animam suam propter Christum, et perdens, melius eam salvat. Et qui perdit animam suam quantum ad voluntates carnales, ipse est, qui denegat se, et tollens crucem, sequitur Christum. » Haec porro ita a Textu graeco exprimuntur: « Videtur ergo mihi consentaneum, negare seipsum juxta ea quae tradita sunt: oportere unumquemque perdere animam suam. Perdat ergo quivis animam suam peccantem; ut perdens peccantem, accipiat eam, quae in recte agendo servatur. »



CAPUT XXIII.

Sequuntur argumenta, quibus asseritur, veterem Interpretationem genuinos Origenis sensus proferre adversus graecum Anonymi textum.

Quo plura praepolleant indicia glossae Anonymi graeci, et falsationis per ipsum in Origenis sensus intrusae; tanto magis nostrum invalescit propositum. Ideo pergentes incidimus in Parabolam de Homine rege, *qui fecit nuptias filio suo.* Ubi Tomo XVII. n. 22. postquam plures collegerit Origenes spirituales interpretationes prope diversas in hac parabola notatas circumstantias, illud quoque mystice quaerit, quid sit prandium ob eas nuptias paratum. Quam discussionem uterque vetus Interpres et Anonymus graecus ita exponit.

Vetus Interpretatio

« Et in talibus nuptiis intellige prandium quod paratur, esse eloquium Dei, ut fortia quaeque eloquiorum Dei, tauri intelligantur: suavia autem et delectabilia eorum, sint saginata. Varietatem autem, diversam omnium eloquiorum Dei diversitatem intellige quod ait; *omnia praeparata.* Rex enim in abundantia regali existens digna regno et divitiis suis prandia facit. Puto autem ingenuarum aliquarum animarum et israeliticarum primam hanc fuisse vocationem ad nuptias. Principaliter enim vult Deus ad epulationem istam beatam eos venire, qui ad intelligendum sint ingeniosiores: et est videre plerumque, quoniam qui hujusmodi sunt, nolunt ad istam vocationem venire; et ideo transmittuntur alii servi provocantes eos, qui venire nolebant et promittentes. » Et nonnullis interjectis de carnibus taurorum, quorum alii pingues, alii macilenti, in quibus spiritaliter considerat Origenes animarum profectus in cognitione veritatis, addit: « Sed non sunt talia, quae praeparata sunt in convivio regis, in quo dicit: *tauri mei, et saginata occisa et omnia parata.* Utputa (manifestandi intellectus gratia dicam) loquitur aliquis apostolo-

rum de castitate sermonem, sermo ille recte intelligitur turtur. Sed eum ipsum castitatis sermonem cum multa rationis probatione de Scripturis repletum protulerit, ita ut delectet animum audientis pariter et confirmet, protulit eum saginatum. Si de charitate loquutus fuerit, protulit columbam. Et sic in omnibus eloquiis Dei intellige quid exile est, et quid saginatum. »

Huetii ex Anonymo graeco Versio

« Et in ejusmodi pariter nuptiis considera paratum ex solido in spiritualibus rationalibus cibo prandium mentem adverte, cujus cibi solidiorem partem tropologice significatam mihi, intelligito in tauris; verum et spiritnale hujus contemplationis in mactatis altilibus considera, et aliam varietatem in analogia rerum corporearum spiritalem contemplationem in hoc: *et omnia parata sunt.* Rex enim in dapibus regiis dignis regni et divitiarum suarum tale facit prandium. Videtur sane mihi quarumdem generosarum animarum israeliticarum facta esse invitatio ad nuptias. Qui enim perspicaciores sunt ingenio, eos a vocatoribus per disciplinae verba ad beatum illud epulum prae reliquis accersitos vult Deus venire. Hos autem videre licet, vocationi minime obsequentes, venire nolle; et alii propterea mittuntur servi eos arcessituri, qui venire recusant etc. » Ibidem pariter, quibusdam interjectis eodem sensu, addit; « At non ejusmodi sunt, quae in regis prandio fuerunt parata; in quo inquit: *tauri mei et altilia occisa sunt et omnia* itidem *parata* ut stantibus pueris, et ministrantibus spiritualibus pincernis, ea potissimum, ordine servato, prandio inferat famulus unusquisque quae ministrare didicit. Secundos autem, ita ut dixi, juxta parabolam adhortans, id ait: *ecce prandium meum paravi; tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata, venite ad nuptias.* »

Quisquis itaque hujus paragraphi sensum investigarit, nequaquam puto eumdem, omissa veteri Interpretatione, textum graecum prout nunc est, complexurum; cum unius abundanter pateat perspicuitas, et alterius ubique obscuri-

tas. Reapse priscus Interpres ordinem sectatus est quo Origenes singillatim explicavit parabolae verba, sensusque spiritales. Ideoque in numero praecedenti 17. dicit se locutum esse secundum simplicem traditionem, et hinc subdit, se tentare, subtilius rem scrutari. Et primo excutit, quid sibi velit *homo rex ejusque regnum*. Secundo agit de invitatis ad nuptias; tertio, de quo agimus spiritaliter quaerit, quid sit prandium paratum: « *Et in talibus nuptiis intellige prandium quod paratur, esse eloquium Dei, ut fortia (solida) quaeque eloquiorum Dei tauri intelligantur: suavia autem et delectabilia eorum, sint saginata*. Idest Scripturarum intelligentiam in eo prandio collocat; quarum fortia sive solida tauris, suavia vero saginatis mystice assimilantur; quasque scrutaturus invitatur quisque fidelis juxta proprium ingenium, ut in eis plus vel minus proficiat in suam ac ceterorum salutem; et in quibus instar taurorum, altilium et saginatorum varietatis, tractatus quoque diversos profert, et auditorum animos confirmat in excolenda virtute. Et in his omnibus, ut vides, Auctoris mens clare et uniformiter se gerit.

Si quis autem a veteri Interprete secedens, quaesierit in graecis Huetii codicibus Commentarii Origeniani sensum, veluti ad litteram superius versum descripsi, profecto sibi valde elaborandum est in disquirendo, quo cum his tendat Origenes, et praesertim ab initio paragraphi in iis *spiritualibus rationalibus* et hinc in ceteris, quae sequuntur. Cum enim in veteri Interpretatione omnia et singula clarescant, in Nova Huetii e contra cuncta obvolvuntur caligine, ita ut hujus paragraphi sive discussionis scopus praecipuus ignoretur, cum praetermissus fuerit; neque hic nec ultra Anonymus graecus mentionem egerit de *divinis eloquiis*, in quibus consistit Origenis principale argumentum ex Redemptoris dictis *omnia parata* idest *prandium in promptu*, spiritaliter significans mentis humanae participationem divinis institutionibus super mensam dominicam collocatis. Quae omnia, nisi vetus Interpretatio inquam, suffragaretur, adhuc in tenebris delitescerent. Et hinc infer, quae inferenda sunt.

Item Anonymus graecus longam compingens glossam extra saltum ivit, nec mentem servavit Auctoris in iis, quae

transcripsit ex Libro XVII. n. 6. in parabolam: *homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam etc.* Sicubi enim Origenes ex divino ore dixerit: *tolletur a vobis regnum, et dabitur genti facienti fructus suos*, fidem gentium ibi miratus, et synagogae repudium, ex veteri Interpretatione subdit:

Vetus Interpretatio

« Ad quam (prophetiam) multa quis spiritalis constitutus, et ad discutienda omnia paratus, poterit dicere, pulsans obscuritatem ejus, idest ostium clausum, et quaerens inveniet. Et nos secundum mediocritatem nostram talia suspicamur in loco, quoniam paterfamilias homo Deus est, de quo scriptum est: *morigeratus est Dominus Deus tuus, quemadmodum si homo morigeraretur filium suum.* Sic enim eo quod morigeratur homines, ut hominum prodificet mores, in quibusdam parabolis dicitur homo, quemadmodum si pater cum parvulo filio suo loquatur infantia, ut descendat ad verba filii sui, et morigeretur eum. Propterea puto, omnes justitiae, quas tradidit Deus hominibus, quasi pueriles sunt, quantum ad proprias justitias Dei. »

Huetii Versio

« Nos autem pro modulo nostro talia in hunc locum mente concipimus; hominem nimirum patremfamilias, Deum esse, de quo scriptum est: *portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare filium suum.* Is enim in quibusdam parabolis *homo* appellatur; propterea quod dum homines juvat, hominum mores in hominum utilitatem ac commodum sustinet. »

Modo inspice quis horum tulerit punctum in explanatione mentis Origenis; Transcriptor graecus an vetus Interpres? Quivis sane percipit, Auctorem, rationem reddentem cur paterfamilias homo, Deus sit, et hanc sibi nuncupationem adsciverit, testimonio uti Deuteronomii c. I. Quibus insistens verbis, proposito applicatis, statuit, non solum in quibusdam parabolis hominem dici Deum, verum etiam et amplius dici patrem relate ad filios parvulos, quibus infan-

tia idest puerilia loquitur juxta pueritiae eorum capacitatem, et ita eos morigeretur. Et hoc dicit tenens mosaicam similitudinem: *sicut homo morigeratur filium suum*: ut inde concludat, posita differentia patris a filio in notione justitiae, idem habendum esse de hominum justitiis relate ad divinas, quorum illae tanquam pueriles habentur. Ex his omnibus vide, principio cohaerere finem, quem animadvertit Auctor mosaicum compellans testimonium de divina erga homines oeconomia.

Haec autem non ita considerantur ab Anonymo graeco; aut saltem imperfecte traduntur. Non enim tantummodo quaerit Origenes, cur Deus in parabolis nonnullis vocetur *homo;* sed et illud disquirit ac vult vocari insuper *Patrem*, ex quo cum parvulo filio suo versatus (qui est homo) cum eo infantia seu puerilia alloquitur ad ejusdem morigerationem uniformiter Scripturae: *morigeratus est Dominus Deus tuus, quemadmodum si homo morigeraretur filium suum.* Quem sane sensum non expressit textus graeci Transcriptor. Quinimmo, omissa praecipua quaestione, quidquid vetus Interpres uti probatum statuit de Deo, qui in parabolis dicitur homo, illud ipse suscepit probandum longa discussione, jure praetermissa in veteri Interpretatione; et sic transegit Origenis scopum, ad quem necessario sibi vertendum erat ex praemissa mosaica sententia: *morigeratus est Dominus Deus tuus* etc. Ideoque etiam hinc concluditur veteris Interpretis sincera expositio in translatione codicis origeniani, atque alterius designatur interpolatio.

Alterum quoque indicium praestantiae veteris Interpretationis supra codices graecos sive ob dictati perspicuitatem, seu ob sensus rectitudinem, hauritur ex Tomo XIV. n. 16: ubi Auctor conjugii indissolubilitatem statuens ex verbis:

Vetus Interpretatio

Num legistis, quoniam qui fecit ab initio, masculum et foeminam fecit eos, pergit inde et ait: « Tamen quoniam tetigimus istum locum, ubi vel illud scriptum dicitur: *haec vocabitur mulier, quia de viro suo assumpta,* sciendum quia

nihil proprium habet quantum ad graecum vel ad latinum sermonem, ut ideo vocetur mulier, quia de viro assumpta est. Propterea legentes hebraica, invenimus originationem convenienter positam in hebraeo. Habet autem hebraicum ita: *Essà* quod intelligitur et *mulier* et *assumpta*. Apud hebraeos enim mulier *assumpta* vocatur. Item *vira* quod est a viro. Vides quomodo junctum est juxta: *a viro sumpta*. Unde Theodotion sic posuit: Haec vocabitur *mulier sumptio, quia de viro suo sumpta est*. Symmachus autem ita, haec vocabitur ἀνδρίς, quod est mulier a viro. Et quod debet esse inter eos, qui ex Deo junguntur, dignum Deo, qui junxit etc.» In hac ergo discussione vide sermonis convenientiam scopo ab Auctore praefixo circa vocem hebraicam *essà*, ut ostenderet inde ratum se haberi dominicum mandatum de fidelium connubio.

Versio Huetii

Modo inspiciamus quae Huetius de eadem re ex graeco vertit: « Ubi enim dictum est: *masculum et foeminam creavit eos*, ad illos pertinet, qui ad imaginem facti sunt. Ubi vero ait: *ideo relinquet homo patrem suum et matrem* etc. non spectat ad eos, qui *ad imaginem*. Nam post illos formavit Dominus Deus hominem, pulvere sumpta de terra, et de latere ejus, adjutorio. Simul autem attende, de iis qui *ad imaginem*, non *vir et mulier* dictum esse, sed *masculus* et *foemina*. Hoc enim et in hebraico observavimus: vir enim indicatur voce *is*, masculus vero *zachar*. Et rursus mulier dicitur *essà*, foemina autem *anchebà*. Nunquam enim mulier *ad imaginem*, neque vir; sed praestantiores *masculus*, et inferiores foeminae dicuntur. Verum si reliquerit homo matrem et patrem, adhaeret non foeminae, sed uxori suae, et sunt (siquidem unus carne vir et mulier) in carnem unam. Deinde etc. »

Post haec quisquis Textus graeci et hinc Huetii versionis a veteri Interpretatione differentiam comprehendet; et primum in his, quae dicuntur de muliere et viro, qui sub talibus nominibus haud facti sunt, inquit, ad imaginem Dei; verum sub titulis masculi et foeminae Dei imaginem praetulerunt. Quodvis autem in hac distinctione mysterium ani-

madvertas huic simile, et quidem speciosum, ut mihi videtur (de quod nihil in veteri Interpretatione) nihilominus vix hujus notae cum praecedentibus videris nexum. In praecedentibus enim valde de re sollicitus agit Origenes quaestionem: *si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa*, quod est argumentum maximum; in quo expendendo, veluti praefatus sum, adminicula quaerit, adeo ut statuat juxta Salvatoris mentem conjugii insolubilitatem, quorum illud: *haec vocabitur mulier* (*virago*) *quia de viro assumpta est.* Cur itaque Transcriptor graecus illud ibi addidit de Adamo et Eva ad imaginem Dei factis, non video. Eoque magis quod in evangelicis dictis: *num legistis, quoniam qui fecit ab initio, masculum et foeminam fecit eos?* in his, inquam, nominibus *masculum et foeminam*, prorsus Jesus et hinc Origenes non solum indicant generis discrepantiam; sed et amplius virum et uxorem in connubio constitutos. Ideoque parvi momenti puto, ne dicam extra locum, additamentum in editione graeca, ubi masculus et foemina dicuntur repraesentare divinam imaginem, non vero vir et mulier, quasi sub his titulis forent hoc privilegio orbati Adam et Eva: quod nullibi docuit Origenes, quomodocumque Huetius studuerit hanc temperare expositionem. Et hoc insuper apparet ab Auctoris animo alienum, cum statim ibidem matrimonii sanctitatem extollens dicat: « Ideo gratia est in eis, quos Deus conjunxit.... Qui enim ex Deo sunt juncti, et sapiunt, et faciunt quod mandat Apostolus: *viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam* etc. » E quibus omnibus magis improbanda videtur glossa Anonymi graeci; et extra originalem textum mandanda, quippe argumento importuna: ut inde concludatur hanc Huetii editionem a genuinis scriptis et aliam a sensu Origenis habendam esse.

Novissimo, et quidem convenienter (sicubi de nuptiis hucusque disputatum est) ab ejusmodi Adamantii expositionibus de Jesu responso pharisaeorum insidiis, quoad connubii sanctitatem, ac una leges de hoc Christi fidelibus sapientissime constitutas, et ab ipso Origene pari sapientia et pro Ecclesiae utilitate illustratas, divinoque mandato consentaneas, aliud culpationis genus perspexeris; qua Theophilus

Alexandrinus in Epistola Paschali eum petivit, dicens Origenem, *honorabiles condemnasse nuptias:* de quo infra.

Praefatis simile interpolationis genus apud Anonymum graecum adstruitur ex iis, quae leguntur in Tomo XII. n. 4. sicuti Origenis opinioni contraria alibi discussae et quidem in progressu ejusdem Commentarii in *Matthaeum* c. XXVI. In citatis namque Tomo XII. ex Evangelista verbis *relictis illis*, *abiit*, de gentium vocatione loquitur, illas Raab meretrici assimilans: « Quae Josue, inquit, speculatores exceperat, cum universa familia servata est, non amplius praeterea scortans; sed ad pedes Jesu accedens, et eos lacrymis poenitentiae rigans, et sanctae vitae unguentorum fragrantia inungens: propter quam Simoni leproso, priori nempe populo cum exprobratione ea dixit, quae scripta sunt. »

Nemo ignorat, hoc in loco ubi desideratur vetus Interpretatio latina, Origenem confundere Mariam peccatricem cum Maria sorore Lazari, et Simonem pharisaeum cum Simone Leproso. Cum interim in hac quaestione nolim fieri judex, quales et quot sint mulieres, quae in Evangeliis sub nomine Mariae veniunt, an una, vel duae, seu tres aut quatuor habeantur; satis mihi ostendere sit, Adamantium in Commentariis, ceterisque libris, nunquam unam et eamdem admisisse Mariam peccatricem, atque alteram, quae ante sex dies Paschae in domo Simonis Leprosi effudit unguentum super caput Jesu. Quinimmo unam, distinctionis ergo, peccatricem vocat, piam alteram. Homilia I. n. 4. in Canticum Canticorum ex dictis: *oleum effusum nomen tuum*, scribit: « In Evangelio quoque mulier accipiens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi caput Jesu pedesque perfudit. Observa diligenter, quae de duabus super caput effuderit Salvatoris: siquidem peccatrix super pedes, et ea, quae dicitur non fuisse peccatrix, super caput ejus fudisse monstratur.... Siquid peccatrix habuit, ad pedes referendum est; et siquid ea, quae non peccatrix, ad caput. » Item Homilia II. 2: « Loquitur Evangelium, quia venit mulier habens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, non illa peccatrix, sed sancta, de qua nunc mihi sermo est. Scio quippe Lucam de peccatrice, Matthaeum vero et Joannem et Marcum non de peccatrice illa dixisse etc. »

Sed quod insuper, ut dixi, mirum est in hac quaestione, ac manifeste indicat interpolationem ac falsationem textus graeci, eruitur paulo post ex hoc eodem Commentario, ubi, accepta de una muliere interpretatione, in antilogiam descendisset Origenes, alias unam alias duas distinguens sub Mariae nomine mulieres. Ibidem namque Matthaei dicta excutiens: *cum esset Jesus in Bethania* etc. plane distinguit Mariam peccatricem ad pedes Jesu lacrymatam, a Maria quae effudit unguentum super caput ejus, perspicue adjiciens: « Forsitan ergo quis dicet, quatuor fuisse mulieres, de quibus conscripserunt Evangelistae: ego autem magis consentio tres fuisse; et unam quidem, de qua conscripsere Matthaeus et Marcus, nullam differentiam expositionis suae facientes in uno capitulo: alteram autem fuisse, de qua scripsit Lucas: aliam autem, de qua scripsit Joannes: quoniam differt ab aliis mulieribus, non solum in his, quae scripta sunt de unguento; sed *quoniam et diligebat Jesus Mariam et Martham:* quamvis et ipsa in Bethania referatur fuisse, sicut et mulier, de qua exponunt Matthaeus et Marcus. »

Alterum infidelitatis indicium graeci Transcriptoris adversum fidelem latinum Interpretem comprehenditur in Tomo XII. n. 15. ubi quaerit Origenes discrepantiam vocabuli *credere* ab altero cognoscere.

Vetus Interpretatio

: « Et vide, si potes hujusmodi facere quaestionis solutionem dicens, quoniam credere Jesum esse Christum, minus est quam cognoscere. Quoniam autem minus est, manifestatur ex eo, quod refert Joannes ita: *dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, judaeos: si vos manseritis in verbo meo, cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*: ut dicamus quando mittebantur ad praedicandum, credebant quidem Jesum esse Christum, non tamen adhuc cognoscebant. Postea autem proficientes per doctrinam et plura miracula, etiam cognoverunt, quando et interrogati confessi sunt: *tu es Christus filius Dei vivi.* Aut si existimentur jam tunc Apostoli cognovisse Jesum esse Christum; ita est respondendum: quia inter co-

gnoscere et agnoscere differentia est. Utputa, quis sapiens non intelligit, quoniam Timotheus cognoscens Jesum esse Christum, non tantum in agnitione ejus erat illuminatus, quantum Paulus? Quis autem etiam hoc ignorat, quia et si multi vera dicunt, dicentes de Deo: quoniam ipse mihi dedit eorum, quae sunt, scientiam veram: non tamen omnes similiter manifeste, aut perfecte cognoscunt ea, quae sciunt; ut dicamus quoniam tunc quidem Apostoli initia cognitionis Christi habebant, et exigua cognoscebant de illo. Postea autem profecerunt in agnitione ipsius, ut possent capere scientiam Christi revelatam sibi a Patre, quemadmodum Petrus, cui et dixit: *beatus es Simon* etc. »

Ex his praemissis praeclare constat, Origenem, qui ex more suo plerumque in has descendit subtiles discussiones, non solum res sed etiam verborum vim ac varietatem distinguens ex eorum diversa compositione, ibidem objicere vocabuli *cognoscere* dissimilitudinem ab altero *agnoscere*. *Quia*, inquit *inter* γινώσκειν *cognoscere et* ἐπιγινώσκειν *agnoscere differentia est.* Hoc autem dixit Origenes ex ore et sensu Apostoli ad Corinthios in Epistola I. c. XIII. 12. ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην i. e. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem agnoscam sicut et agnitus sum.* Itemque Apostolus alibi hanc apposuit, cepitque exacte hujus vocabuli ἐπιγινώσκειν *agnoscere* significationem variam a simplici voce γινώσκειν *cognoscere*. Unde Stockius in Clavi Linguae Graecae Novi Testamenti scribit: « Agnoscere ἐπιγινώσκειν speciatim ac proprie esse facultatis cognoscitivae, sive sit sensus, sive sit intellectus; aut cognoscere dijudicando, quod sit haec, vel illa persona, vel haec, vel illa res, sive ex effectu, quem produxit, aut ex alio signo ac judicio. »

Ceterum latinus Interpres, nisi hanc reperisset in textu graeco Origenis duorum vocabulorum *cognoscere* et *agnoscere* varietatem, ex sensu suo conceptam, haud potuisset istam praebere distinctionem, cum non tam perspicue tunc latini comprehenderent hujusmodi differentiam inter *cognoscere* et *agnoscere*. Aut, si comprehenderent, parum sollicitos se praebebant de ejusdem usu; sicuti accurate graeci praestiterunt scriptores: uti auctor est Hieronymus in *Epistolam* ad Ephesios

c. I. 17. inquiens: « Quod vero ait Apostolus ἐπίγνωσει ἀυτοῦ idest *in agnitione ejus* quidam sic intelligunt, ut inter γνῶσιν et ἐπίγνωσιν, hoc est inter *notionem* et *agnitionem* illud intersit; quod notio eorum sit, quae ante non scivimus, et ea postea scire caepimus. Agnitio vero eorum sit, quae prius scientes deinceps scire desivimus; eorumque postea recordamur et priorem quamdam vitam in coelestibus suspicamur postquam in corpora ista dejecti, et obliti Dei Patris, nunc eum per revelationem cognovimus, secundum illud: *reminiscentur et convertentur ad Dominum omnes fines terrae*, et cetera his similia replicantes. » Quamvis autem non idem sit Origenis sensus ac ille, quem ibi tradit Hieronymus, attamen hujus significationis varietas stat prope graecos Ecclesiae scriptores; uti recte in hoc loco consideravit Origenes; eamque deinde vetus Interpres genuine transtulit in latinum sermonem, verbotenus in tota pericope sectatus Auctoris mentem; unde discipuli unus prae alio Christi notionem assecuti sunt, indicata differentia per vocabula *cognitionis* et *agnitionis*: in primo comprehensa imperfecta cognitione, in altero perfecta « ut puta, inquit, quis sapiens non intelliget, quoniam Timotheus cognoscens Jesum Christum, non tantum in agnitione ejus erat illuminatus, quantum Paulus? »

His omnibus ad litteram exactis a veteri Interprete, Transcriptor graecus, sensum tantummodo colligens verborum Origenis, nullam apposuit graecorum vocabulorum γνῶσις et ἐπίγνωσις *cognitio* et *agnitio*, discrepantiam, unam vocem ubique γινώσκειν *cognoscere* praeferens: « Adverte, ergo scribit, num dicere possis, credi Jesum esse Christum, minus esse quam cognosci, quod creditur: fortasse autem et in cognitione hac, Jesum scilicet esse Christum, differentiam esse, cum quisquis cognoscit illum, eodem modo non cognoscat. Credi ergo sine cognitione etc. » Sic deinceps de ceteris discutiens, cum nullibi reperiatur vocabulum ἐπιγινώσκειν, suo lubitu Origenis locutionem interpretatus, non eisdem, sed aliis plane graecanicis verbis commiscendo, mentem ipsius caligine obvolvit; et praesertim in iis, quae ait de Apostolis: « Si autem recte a nobis dicta sunt, scies si duodecim primum crediderint, non cognoscebant autem: dein-

de vero credendo et initium habuerunt cognoscendi; et pauca de eo cognoverunt: deinde profecerunt in cognitione etc.» Quae quidem minus apte a Glossatore aut saltem obscure dicta sunt, cum non perceperit, aut transegerit *cognitionis ab agnitione* discrepantiam.

Insuper pari negligentia laborasse comprobatur Transcriptorem graecum contra solertem veteris Interpretis translationem, paulo post in n. 18. ejusdem Tomi XII: ubi Origenes disserit de Jesu Crucifixo, ejusque triumpho super adversas potestates. Cujus verba Huetius ex graeco textu ita transtulit: « Quoniam autem *expolians* (*Jesus*) *principatus et potestates, traduxit confidenter palam triumphans ipsos in ligno,* siquem pudet Crucis Christi, pudet eum administrationis, per quam illi triumphati sunt; cum par sit gloriari in Cruce Domini nostri Jesu Christi, eum, qui et credit et novit per quem Christum mundo credenti crucifixum traducti sunt et triumphati principatus; in quibus, puto, erat princeps seculi hujus.»

Haec autem aliter in veteri Interpretatione exponuntur: « Siquis ergo confunditur in Cruce Christi, confunditur in dispensatione, per quam triumphati sunt in ligno principatus et potestates, qui genus hominum debellabant: cum deberet potius gloriari quasi fidelis, et sciens haec dispensata esse in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem crucifixo mundo, traducti sunt et triumphati sunt principatus eis solis, qui credunt; in quibus principatibus arbitror fuisse etiam principem hujus mundi.»

Quivis porro utriusque perscrutetur sensum in hac pericope, in primis viderit et quidem perspicue Origenem verba ad Galatas c. VI. diluentem: *mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Attamen textus graecus Anonymi extra vagatur a mente Apostoli, dum ait oportere gloriari eum, qui credit et novit ista, idest principatus et potestates per Christum Crucifixum *mundo credenti* triumphatas fuisse. Haec, inquam, non dicit Apostolus, nec multo minus Origenes de *mundo credenti;* quinimmo penitus contrarium uterque sentit, idest de mundo in malitia posito, sub

potestate doemonis constituto, qui a Christo vincendus erat prope illud: *ego vici mundum*, et Apostolus ideo subdit: *mihi mundus crucifixus est.* Eademque ratione christianus per fidem in Christum, mundum vincens, triumphum de eo agit, idest de potestatibus mundi hujus. Quapropter Anonymus graecus Apostoli sensum pervertit, asserens a mundo credenti in servitutem redactas esse contrarias potestates. Et quamvis talis Anonymi interpretatio concordet dogmati catholico, nihilominus abest a proposito, quod ibi vidit Apostolus; et Origenes uniformiter illustravit; veluti deinceps n. 27. manifestius ab ipso indicatur Origene, cum ait: « Volentes ergo salvare animam nostram, perdamus eam huic mundo, quasi crucifixi cum Christo; et habentes gloriationem in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem nobis crucifixus est mundus et nos mundo, ut consequamur salutem animarum nostrarum in conversatione vitae melioris. » E quibus educitur graeci Anonymi mendum in transcribendo vel glossando textum Origenis; et ex adverso fidelis constat et accurata prisci Interpretis latina versio.

Item graecanico Textui ceu corrupto et extra locum traducto praeferenda est vetus Interpretatio latina in iis, quae Origenes Tomo XII. n. 31. 32. de Jesu verbis exposuit: *amen dico vobis, quoniam sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Quorum verborum, praesertim ubi ait *videant filium hominis venientem*

Vetus Interpres

Origenis sensum sedulo scrutatus, ait: « Uti autem manifestius exponamus, quid sit videre Verbum veniens in regno suo, et in gloria sua; et quid significet videre regnum Dei veniens in virtute, sive dum splendet in cordibus nostris, sive dum quaerentibus invenitur, sive dum ingreditur in cogitationes nostras, unusquisque judicet quod exponimus, prout vult. Tamen qui videt et comprehendit eminentiam Verbi Dei, quod solvet et convincet omnes persuasiones mendaciorum profitentium veritatem, videt filium hominis (idest Verbum Dei) venientem in regno suo. Et qui Verbum Dei filium

videt, non solum solventem et convincentem adversariorum persuasiones, sed etiam suas evidentias declarantem, videt non solum regnum, sed et gloriam Verbi Dei. Et iste talis in seipso videt regnum Dei veniens in virtute, non in infirmitate. Qui autem non est ita confidens in regno Dei, ut omnia pati contentus sit propter illud; sed est dubius, et timidus de spe regni; ille non videt in se regnum Dei veniens in virtute. Et hoc ille videt, in quo non regnat peccatum; nec tenetur sub dominatione peccati, quod regnat in corpore mortali peccantium; sed est sub rege omnium Deo etc. » Et haec tradit vetus Interpres in citato numero 32. consequenter praemissis et parique claritate, ita ut nemo offendatur, varios cognitionis gradus perspiciens circa Verbi divini notionem prope varios perfectionis christianae ascensus.

Versio Huetii

Ex adverso porro Transcriptor graecus, qua ratione nescio, haec omnia traduxit ad numerum 35, idest extra sermonis ordinem; et ubi Origenes tantummodo ista: *non gustabunt mortem*, se discussurum spondet: unde latinae Versionis magis probatur integritas, quam graecanicae lectionis, quippe Interpres vetus in ordine se continet propositae discussionis. Insuper nosse interest etiam sensus varietatem utrique intercedentis; quare non textui graeco, sed latino Interpreti credendum est. Ita namque tradit Huetius ex codicibus graecis : « Quod si praeter ea, quae a nobis commemorata sunt, clarius exponendum est, quid per eam Filii hominis venientis in regno suo, vel in gloria sua visionem ostenditur; quidque per eam regni Dei in virtute venientis visionem significatur; ea sive, quae cordibus nostris affulgent, sive quae quaerentibus inveniuntur, sive quae cogitationes nostras subeunt (unusquisque pro libitu rem aestimet) exponemus. Qui contemplatur et intelligit excellentiam Verbi, omnes rerum falsarum quidem, verisimilium tamen probabilitatem solventis et confutantis, βλέπει τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου κατὰ τὸν Ἰωάννου λόγον, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἐρχόμενον ἐν τῇ ἰδίᾳ βασιλείᾳ videt Filium hominis juxta Joan-

nis sermonem, Verbum Dei, venientem in regno suo etc. »
Haec postrema dicta a veteri Interprete ita traduntur ut diximus: *videt Filium hominis (idest Verbum) venientem in regno suo:* idest sine vocabuli *logon logon* repetitione; a qua refugit Origenis calamus: et quae Anonymi glossam ostendit.

Similiter praelationis veteris Interpretationis super textum graecum argumentum firmatur ab iis, quae Anonymus scripsit Tomo XVII n. 33. ex Evangelistae verbis: Moyses dixit: *siquis mortuus fuerit non habens filium.* Ibidem namque ex ore Christi confutationem sadducaeorum explanans graecus Interpres, plura dicit, quorum nulla mentio reperitur in prisca latina Interpretatione, et in quibus haec notantur: « Si ergo hanc adipiscentur vitam, qui propter hoc praesens seculum, in quo recte vixerant, in beatitudine praemio digni censentur, neque quisquam a mortuis consequitur, ut resurgat, qui hic non decertaverit, manifestum sane est quibus propter generationem hic opus erat, ea illic minime futura etc. » Haec utique a veteri Interprete omissa sunt, quippe non solum sensui catholico adversata, verum etiam penitus a doctrina Origenis aliena. Omissa sunt, dico, non quod falsa reputaverit Interpres, sed quod in suis codicibus graecis deessent, neque Origenes ea putarit. Ubinam enim aliquando dixit Origenes: *neque quisquàm a mortuis consequitur ut resurgat, qui hic non decertaverit?* Omnes enim nec multi, nec justi solum, nec qui in hac vita decertarint resurgent in judicio; sed omnes sive sanctos, sive peccatores, sive qui decertarint, sive qui non pugnarint in hoc mundo, infantes nimirum parvulos, abortivos, universim docet et tenet Origenes resurrecturos prope Apostoli sententiam: *omnes resurgemus* millies ab Auctore suis insertam libris. Quapropter statuitur praefatum sermonem, merum esse Anonymi glossatoris commentum praeter Origenis sensum; et ni fallor, falsationem eorum, quae genuine a veteri Interprete translata sunt. In quibus Auctor ea discutit: *siquis mortuus fuerit non habens filium etc.* propter futiles sadducaeorum objectiones, inductus, ut assereret, melius esse non dari resurrectionem, quam ut sit talis, qualem existimabant ipsi. Utrinque igitur tum origeniani dogmatis evincitur falsatio in tex-

in graeco falsato, tum veteris Interpretis latini genuinae doctrinae expositio genuina.

Similiter quemdam peregrinum sermonem comprehendimus in Anonymo Graeco ac varium a veteri Interpretatione in Tomo XVI. n. 8. ex Christi verbis: *quicumque voluerit inter vos major esse, erit vester minister.* Ibi Origenes plura colligens de humilitatis virtute, hanc maxime in Ecclesiae ministris propugnat, ut Christum imitentur in animarum regimine, haud tamen seclusa quandoque severitate, qua peccantes coram omnibus arguant, ut ceteri metum habeant. Quae quidem perspicue exposuit vetus Interpres: « *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Non ista dicimus ut inclinemus ecclesiasticum principatum. Est enim interdum quando secundum vocem apostolicam, peccantes coram omnibus arguant, ut et ceteri metum habeant: est aliquando, ut utens potestate sua tradat peccantem satanae etc; tamen raro hoc fieri debet. »

Textus vero graecus Huetii haec eadem ita tradit: *ὀυ ταῦτα δὲ φαμεν ἀνεπιστημένως ταπεινοῦν ἑαυτοὺς θέλοντες ὑπὸ τὴν κραταῖαν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, καῖ κατὰ τὸν λόγον αὐτοῦ ὑπὸ τὴν ἐκκλησιαστικὴν διακονίαν.* i. e. Haec autem non dicimus, inconsulto *humiliare* nos ipsos volentes *sub potènti manu Dei,* et juxta ipsius sermonem, sub ecclesiastico ministerio, quandoque autem juxta Apostoli effatum: peccantes coram omnibus corripiendi sunt etc. » Utraque igitur expositione comparata, si consideretur quid velit sibi graeca locutio: sive cur dicat, nos, idest Ecclesiae sacerdotes non debere inconsulto humiliari sub potenti manu Dei, divinari satis arduum est. Verumtamen Petrus Apostolus (unde haec eruit Anonymus Transcriptor) in Epistola 1. c. V. 6. non de Ecclesiae presbyteris loquitur, sed de adolescentibus, ut subditi sint senioribus: *omnes invicem humilitatem insinuate: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Ubi absolute Apostolus ab adolescentibus postulat humilitatem sub potenti manu Dei, et hinc sub potestate presbyterorum. Quorum verborum sensum pervertens Graecus, quod subditis proprium statuit Petrus, ille ad Ecclesiae primo-

res transtulit contra Origenis et Apostoli mentem. Quae vero subdit: *juxta sermonem ipsius Dei potentis nos humiliare inconsulto sub ecclesiastico ministerio*, quo referantur, videat qui legit. Ceterum, cum sensus veteris Interpretationis amplissime pateat et recte se habeat, et Textus graecus, tenebris obvolutus, ordinem hierarchicum cum aequa ejusdem ministrandi ratione confundat, merito reprobandus iste est tanquam falsatus.

CAPUT XXIV.

Novis additis argumentis de falsato in Matthaeum *Origenis Commentario per Anonymum graecum, concluditur, quae in ipso textu graeco leguntur, et in veteri Interpretatione desiderantur, circa angelorum malorum sive resipiscentiam sive conversionem in melius, nequaquam Origeni imputanda, sed Anonymo, qui de suo hanc haereticam intruserit opinionem, aut similia, de quibus alibi disceptabitur.*

Nova rursus in hac disquisitione occurrunt adminicula, quibus vetus Interpretatio firmatur sincera contra Anonymum Glossatorem: in quibus primum occurrit, quod ait in Tomo XV. n. 14. ex Christi mandato: *diliges proximum tuum sicut teipsum*. In hac enim discussione Huetius textum graecum sectatus, ipsum ita deformatum confessus est, ut, nisi vetus Interpretatio suppleret, sensum elicere sibi impossibile videretur. Verumtamen non id tantum propositum juvat, quantum quae deinde notavit Origenes circa Evangelistarum varietatem in iis dictis dominicis recitandis: *diliges proximum tuum sicut teipsum;* quorum praeter Matthaeum, nulla mentio apud divum Marcum et Lucam. Volens itaque Origenes hujus omissionis rationem reddere, haec sibi praemittenda duxit:

Vetus Interpretatio

« Multam enim (legitur in veteri Interpretatione) differentiam inter exemplaria invenimus, sive per negligentiam scribentium, sive ex temeritate quorumdam, sive propter eos, qui negligunt emendare Scripturas, vel propter eos, qui quod ipsis videtur, in emendationibus vel adjiciunt, vel subducunt. Et in exemplaribus quidem Veteris Testamenti, quaecumque fuerunt inconsonantia, Deo praestante, coaptare potuimus, utentes judicio caeterarum editionum. Ea enim, quae videbantur apud Septuaginta dubia esse propter consonantiam exemplariorum, facientes judicium ex editionibus reliquis convenientia servavimus. Et quaedam quidem notavimus quasi

non posita in hebraeo, non audentes ea omnino auferre; quaedam autem cum astericis addidimus, ut sit manifestum, quoniam quae non fuerunt posita apud Septuaginta, ex editionibus celeris addidimus convenienter hebraeo. In exemplaribus autem Novi Testamenti hoc ipsum me posse facere sine periculo non putavi. Tantum suspiciones exponere me debere, et rationes et causas suspicionum, non esse irrationabile existimavi, sicut in hoc loco, quod dicitur: *diliges proximum tuum sicut teipsum*, quoniam apud Marcum et Lucam non est positum. Judicent autem, qui possunt, utrum vera sint quae tractamus, an falsa. Tamen etc. »

Et quis in hac Origenis expositione non viderit ratiocinii ordinem perspicue servatum, ut proposito inserviret, quod suscepit circa Evangelistarum discrepantiam in sacro testimonio: *diliges proximum tuum sicut te ipsum?* Postquam enim ait Adamantius, tunc temporis Bibliorum exemplaria inter se variare aut ex amanuensium incuria, seu quorumdam temeritate, aut aliorum arbitratu pro lubitu addentium sive detrahentium; subdit se ideo admodum elaborasse in Scripturarum Veteris Testamenti editionibus variis inter se comparandis, addito quoque textu hebraico, ut, quoad fieri posset, ex Septuaginta Graeca Versione varietates tollerentur, quae parum consonare videbantur; uniformiter inde praemissis ac necessario, regreditur ad quaestionem varietatum in Novi Foederis libris occurrentium, ut argumentationis consequentiam deducat, scribens, quamvis in Bibliis Veteris Testamenti id egisset, tamen *in exemplaribus Novi hoc ipsum me posse facere sine periculo non putavi;* sed tantummodo suspiciones et suspicionum causas proferre. Quae omnia inter se ita cohaerent, ut omnimode praecedentibus respondeant; ac ideo nil dubitandum sit de Interpretis veteris cura et fidelitate in graeco Origenis textu transferendo.

Versio Huetii

Post haec, Transcriptoris graeci adeamus textum, ut, qui hunc veteri Interpretationi conferat, differentiam notet ac secum ipso inconsequentiam. Sic namque Huetius ad literam

graecanicum Commentarium vertit: « Nunc autem sive propter scriptorum quorumdam indiligentiam, sive propter nefariam aliquorum Scripturas emendantium audaciam, seu propter eos, qui dum emendant, pro arbitrio addunt vel detrahunt; magna enim vero exemplarium existit differentia. Profecto discrepantiae, quae in Veteris Testamenti exemplaribus occurrit et cetera. » A quibus describendis supersedeo, cum eorumdem sensus veteri Interpretationi aequipolleat. Nisi quod in hujus pericopae termino (sicuti de Septuaginta Versione perspicue locutus est) sibi ob initam paritatem agendum fuisset de iis, quae putavit Origenes in consulendo varietatibus librorum Novi Testamenti, veluti apte significavit vetus Interpres. Quae omnia ille ex adverso praetergressus, expleta discussione de Septuaginta Interpretibus, et quidem detruncata argumentatione ejusque consequentia, uti nexus exigebat orationis, et instar veteris latinae Interpretationis, protinus subdit: *quem autem offendit illud, de eo admittendo, nec ne, pro arbitrio statuat.* Quae locutio, si grammaticae legibus stare velimus, nec praecedentibus nec sequentibus accommodari videtur: e quibus magis indicatur Anonymi graeci partim glossa, partim incuria. Quamobrem in hac tota Origenis discussione, nisi suppeteret vetus Interpres, qui a puro fonte bibens ordinate et luculenter omnia latine transtulit, arduum sane fieret, sensum illorum assequi, quae in edito graeco Textu leguntur, quamvis studiosa versione ab Huetio adornato.

Mirum denique est, quod Huetius inter alia, quae ait in hunc locum ad veteris Interpretis auctoritatem imminuendam, addiderit, ipsum nimirum de suo et non ex Origene, praetulisse testimonium ex Evangelio apocrypho *juxta Hebraeos* de quo silet Textus graecus. Sed hoc nihil agit contra veteris Interpretis sinceritatem, quinimmo pro eo stat, et ipsum Huetium redarguit. Quem enim latet, Origenem saepius inseruisse libris testimonia ex eo Evangelio delecta, etsi, veluti in citato loco, minori auctoritate munita, quam cetera universim in ecclesiis divina probata? Huetius idem hoc non ignorat.

De eo insuper, quod diximus plura graecum Transcriptorem de suo addidisse, et alia pro lubitu detraxisse scriptis Origenis, fidem facit dictum in Tomo XII. n. 20. 21. ubi Huetius fateri compulsus est, mancos una haberi omnes codices graecos in hujus sermonis expositione: *et accipiens Jesum Petrus, caepit eum increpare: propitius esto tibi Domine, et hoc tibi non erit* etc. quae ipse supplevit ex veteri Interpretatione. Ego vero veluti praemisi, puto minime de hac omissione amanuenses recentiores culpandos esse, sed priscum graecum Transcriptorem codicum origenianorum, qui ita arbitratus, aut negligens, hunc textum detruncavit, uti alibi item egit, quia verbotenus sequeretur horum *in Matthaeum* Commentariorum exemplaria. Ita ex. g. paulo ante in verbis: *quoniam non capit prophetam perire extra Hierusalem:*

Vetus Interpretatio

« Ea perditione (inquit vetus Interpres) de qua etiam alibi dicitur: *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Quare oportebat eum abire in Hierusalem, ut multa passus in Hierosolymis, et interfectus in eis, primitias resurrectionis ex mortuis faciat in Hierosolymis illis, quae sunt sursum, derelinquens et destruens et dissolvens Hierusalem, quae fuerat super terram cum omni cultura ejus. Quamdiu enim non resurrexerat Christus, nec discipuli ejus consurrexerant ei, deorsum quaerebatur civitas Dei, et templum, quod erat in ea, et altare, et sacerdotes ejus et levitae et dona et sacrificia pro peccato, et mundationes. Postquam autem resurrexit Christus primitiae dormientium, et consurrexerunt ei, qui facti sunt conformes morti ejus et resurrectionis ejus, jam tunc non deorsum ac eis, qui consurrexerunt ei, quaeritur Hierusalem, vel domus orationis in ea vel altare, vel cultura, vel cultores, sed sursum; et quasi qui consurrexerunt, et contenderunt in coelestibus in Christo, viderunt ea quidem, quae fuerant super terram, destructa: quae autem erant in coelis, splendentia. »

Haec omnia ab Anonymo graeco ita contracta sunt: « Propterea oportebat eum ire in Hierosolymam, ut multa ibi perpessus, primitias resurrectionis a mortuis in superiori Hierusalem faceret, eam tollens et dissolvens, quae supra terram est, cum omni ejus religione et cultu. Quamdiu enim Christus non resurrexit a mortuis *primitiae dormientium*, neque cum eo resurrexerunt, qui morti ejus et resurrectioni conformes facti sunt, infra quaerebatur civitas Dei et templum et purgationes et cetera. Postquam autem illud factum est; non ea quaerebantur amplius, sed quae supra sunt. » Et quis non in his perspiciat sensus contractionem eorum, quae explicite et quidem apte juxta originalem textum versa sunt a latino Translatore? Et quis amplius non viderit etiam quamdam Anonymi graeci incuriam in illis quae tradit: *multa ibi perpessus* (cui subdendum sibi erat *et interfectus* uti legitur in prisca Versione) ut inde consequeretur: *primitias resurrectionis a mortuis?* Ideoque nec mirum quidem, si deinde ita progressus Transcriptor graecus nonnulla transegit, a quibus oratio successiva pendebat de increpatione, quam a Petro Jesus sustinuit, ut inde ordinata Origenis discussio procederet. Id autem egit Anonymus non ex oblivione, sed brevitatis causa, et quia sic ex more sibi visum fuit.

Pariter ratione inversa arguendum est de verbis in n. 25. Tomi XV. additis Textui graeco, quaeque desunt in latina Interpretatione, valdeque Huetio displicuere ob eorumdem obscuritatem. Hujusmodi namque sunt: « His profecto conditionibus vitam aeternam consequi beatam est, tales habentes haeredes, tot arbores a Deo cultas et domos e lapidibus vivis, ubi requiescet omnis, qui dimiserit fratres et sorores et cetera. » Quae utpote inutilia, omissa a latino Interprete et ab ipso reprobata Huetio, inter glossas censenda sunt, quas Anonymo placuit libris inserere Origenis. Non enim ea reputanda sunt, nisi minus apta praecedentium expositio; quam ceterum optime significavit latina Interpretatio ex Christi sententia: *omnis qui reliquerit fratres aut sorores aut pa-*

rentes, aut filios, aut agrum, aut domum propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit. Quorum verborum Glossator graecus transvertit mutavitque sensum ab eo, quem voluit, et quidem jure indicavit Adamantius.

Vetus Interpretatio.

Item quoad additiones notanda sunt exposita in Tomo XIII. n. 2. de Elia. Postquam Origenes juxta veterem Interpretationem latinam, Scripturam discussit: *et si vultis suscipere, ipse est Elias, qui venturus est,* transit ad sequentia: « Adhuc autem, inquit, videamus quod ait: *et fecerunt ei quanta voluerunt*, ad quem refertur: utrum ad Scribas, de quibus interrogantes discipuli dicebant: *quid ergo dicunt Scribae?* Sed non invenimus aliquid passum Joannem a Scribis, nisi forte, quia non crediderunt ei. Aut nisi forte, quod superius diximus, socii fuerant facti in iis, quae intulit Herodes Joanni. Alius autem dicit, quod ait: *et fecerunt ei quanta voluerunt*, non ad Scribas referri, sed ad Herodem et Herodiadem et filiam ejus; propter hoc autem quod sequitur: *sic et filius hominis patietur ab eis*, consequenter dicitur; si primum ad Scribas pertinet, et hoc ad Scribas. Si autem primum ad Herodem et Herodiadem et filiam ejus; et secundum ad ipsos. Nam invenitur et Herodes in morte Christi fuisse conscius, et omnis domus ejus. » Cujus expositionis non est ut immoremur sensum scrutaturi, cum satis pateat.

Versio Huetii

Hoc autem dici nequit de textu graeco Anonymi ab Huetio translato, qui varias capit glossas eorum, quae commentatus est Origenes, quaeque ita se habent: « Dubitabit autem aliquis an spiritus et virtus Eliae, quae in Joanne erant, aliquid perpessa sint juxta illud: *fecerunt in eo quaecumque voluerunt*: ac ad id simpliciter quidem, quoniam nihil absonum ob charitatem, adjuvantia compati adjutis. Et Jesus ergo dicit: *propter infirmos infirmus fui; et ob esurientes, esuriens,*

et propter sitientes, sitiens. Profundius vero, quoniam non dictum est: *sed fecerunt ei quotquot voluerunt in eo.* Ea enim quae patiebantur, spiritui et virtuti Eliae innixa erant, cum anima Joannis non erat anima Eliae: fortasse et etiam corpus, diversa enim ratione in corpore anima et spiritus et virtus; et alia item ratione corpus justi in melioribus quasi in his confictum et ab his pendens: *qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis; sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Peccatoris namque anima in carne est, justi autem in spiritu. »

Utcumque hanc velis expositionem, desideratur in veteri Interpretatione. Tantummodo advertendum esse duco, citatum testimonium: *propter infirmos infirmus fui* etc. non legi in Evangelio Matthaei; et ob hoc putat Huetius sumptum fuisse ab Origene ex apocryphis tunc invalescentibus Scripturis. Ego vero aliter ab Huetio sentiens, dico non Origenem ea verba citasse, sed Anonymum Glossatorem Christi sententiam commiscuisse iis, quae scribit Apostolus ad Corinthios: *factus sum infirmis infirmus.* Sed de reliquis postea. Interim in sequentibus varietatem veteris Interpretationis a Graeco consideremus per Huetium translato: « Quin et illud quaeri potest, ad quemnam id pertineat: *sed fecerunt ei quaecumque voluerunt,* an ad Scribas, de quibus discipuli inquirentes dicebant: *quid ergo Scribae dicunt, quod Eliam oporteat venire primum*? Sed nil penitus apparet, a Scribis passum esse Joannem, nisi quod non crediderunt ei; seu quod, uti superius diximus, causam et ipsi praebuerint iis, quae adversus eum perpetrare ausus est Herodes. Alius vero dixerit, illud: *sed fecerunt in eo quaecumque voluerunt,* non ad Scribas, sed ad Herodiadem et filiam suam et ad Herodem referendum, qui *fecerunt in eum, quaecumque voluerunt.* Quod autem sequitur: *sic et filius hominis passurus est ab eis,* ad Scribas referri potest, si ad Scribas quoque refertur id, quod praecedit. Si autem ad Herodem et Herodiadem, ejusque filiam; ad eos quoque posterius hoc refertur. Morti namque Jesu consensisse videtur Herodes, conscia fortasse et illius uxore contra ipsum Jesum insidiarum. »

Ex his itaque simul sumptis, nostro proficit argumento

scire, quoad primam discussionis partem, de qua nihil in Interpretatione latina, obscure expressa fuisse ab Anonymo graeco. Quoad vero secundam partem et maxime prope finem, graecos omnes codices (et id ex ipsius Huetii testimonio) sciendum est nullum praebere sensum, adeo ut nisi Vetus latina Interpretatio superesset, vana foret hujus loci disquisitio. Et ob hoc Huetius in Notis ait: « Locus mendosus, e quo nihil idoneum queas extundere. Aliquid hic nobis in veteri Interpretatione praesidii fuit, licet et ipsa fallacissima sit. » Ceterum, quamvis Huetii sententia acceptanda sit in iis, quae scribit de textu graeci mendo; nihilominus non video qua ratione istud de veteri Interpretatione asserere potuerit: *licet et ipsa fallacissima sit*. Si namque sic ipse putet de hac latina vetustissima Versione, attamen, dicam ego, nullum inde poterit proferre exemplum, ubi erratum patefiat, sive ob dogmata falsa, aut non recte expensa, sive ob locutionem obscure redditam, seu ob alios hujus generis defectus. Quod sane quidem dicendum est de textu graeco, etiamsi collatis, quotquot extant, codicibus; in quibus ex ipsa Huetii et Editorum confessione, ad viginti fere vices, nisi vetus Interpretatio supplevisset, frustra lector in Origenis sensu assequendo elaborasset.

Vetus Interpretatio

Argumentum denique palmare illusionum in quas saepe offendit graecus Transcriptor et glossator, Origenis sensum pervertens et in absurda relegans, exhibetur nobis in Tomo XVII. n. 34. Ibi de nuptiis spiritaliter locutus Origenes, e Scripturis probare conatur, cum Lex sit futurorum bonorum umbra, nuptias ideo quoque in ea memoratas non carnaliter tantum sed et spiritaliter sumendas: « Quales, ait, nos supra de Christo et Ecclesia exposuimus in seculo illo fore. Utputa: *Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, alterum de libera; et qui ex ancilla secundum carnem natus est: qui autem de libera, secundum promissionem*, non omnino oportet me stare in intellectu carnalium nuptiarum liberae et ancillae; sed haec alia significant ex aliis. Et iterum: *pro-*

pter hoc linquet homo patrem et matrem, et jungetur uxori, et erunt duo in carne una, non ita debemus existimare quod dicitur quasi nullum mysterium demonstretur in eis; quoniam *mysterium illud magnum est de Christo et Ecclesia*. Et sunt alia mille loca de nuptiis scripta: et unusquisque locus castum et divinum de nuptiis continet intellectum secundum expositionem moralem. » Et ita vertit et tradit vetus Interpres, in quibus cuncti leviter sensum Auctoris percipient, et praesertim ubi legitur: *et sunt alia mille loca de nuptiis etc.* ex usu loquendi dictum ab Origene; cum indicare velit, in plurimis locis Veteris Testamenti mystice repraesentari castissimum Christi et Ecclesiae connubium. Et cum recte ista se habeant, nemo erit, qui dubitet de sensus originalis genuitate sicuti de veteris integritate Interpretationis.

Versio Huetii

Porro audiatur, quomodo haec eadem exponantur in textu graeco Anonymi Transcriptoris. Postquam enim apostolica verba ad Ephesios c. V. citavit de nuptiis: *propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*, dixit: « Non esse ea intelligenda, quasi nullum mysterium significent: *mysterium enim hoc magnum est*, ut ait Paulus, ad Christum et ad Ecclesiam pertinens. Ac paulo superius cum Legem de muliere, viri sui defuncti fratri nubente exponeremus, Legis sensum pro virili rimati sumus. ἐισὶ δε καὶ ἄλλοι μυρίοι περὶ γυναικὸς, καὶ ἀνδρὸς νόμοι, ὡς περὶ τοῦ βιβλίου τοῦ ἀποστασίου, i. e. Sunt autem et aliae mille leges de uxore et de viro, veluti de libello repudii, et illa de duabus uxoribus uni viro sociatis, quarum diligitur altera, alia odio habetur: et illa quoque captiva, quae ei nubit, a quo fuerit amata etc. »

His itaque veteri comparatis Interpretationi, vide discrepantiam sicuti sensus anomaliam in graeco textu expositam. Aliud enim est dicere, sunt *mille loca* in Bibliis sacris, ubi agitur de nuptiis; et aliud est dicere *sunt mille leges*, quibus norma contrahentibus imponitur. Leges in Scriptura mosaica de nuptiis hebraeorum constitutae, paucae quidem

sunt, numeroque definitae exhibentur. Ex adverso in universa Scriptura tam veteris tam novi Testamenti, innumerabilia sunt loca, ubi agitur de nuptiis, et speciatim in hebraeorum monumentis historicis, eorumque genealogiis, quo tendit Origenis mens per veterem Interpretem indicata. Quapropter jure abjicienda omnino est lectio, utpote falsata, codicum graecorum; ac merito, necessarioque complectenda vetus Interpretatio, quippe ex omni parte scopo Origenis, veritatique consona.

Item circa hujusmodi varietates in duabus Editionibus, quarum vetus auctoritate excellit, prodest ipsius Huetii dictum in Tomo XVI. n. 21. Origenem culpantis quod Oseam prophetam confuderit cum Michaea. Attamen in veteri Interpretatione dicitur *per Michaeam*, uti legendum erat et non per Oseam. Error igitur non Origeni, sed graeco Transcriptori imputandus est. Similiter in Tomo eodem n. 8. vetus Interpres tradit *pro nobis redemptio anima Jesu;* et in graeco legitur *pro nobis pretium* ψυχὴ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ *anima filii Dei,* dictio falsa aut saltem impropria. Pariter in Tomo XVII. n. 13. Transcriptor graecus in verbis *spiritalis dijudicat omnia* vocat Apostolum: *sic enim sapiens juxta Evangelium:* locutio sane peregrina ab Origenis mente. Contra vetus Interpres legerat: *dicit enim apostolicus sermo.* Pari ratione in numero praecedenti a graecis codicibus Huetius de Christo vertit: *mirabile caput in oculis nostris, qui ipsum intueri possumus.* Verumtamen in veteri Interpretatione additur: Mirabile caput in oculis nostris, *qui possumus eum videre oculis mentis.* Item paulo ante n. 8. ex graeco dicitur: *verbum in unaquaque anima satum:* sed in veteri Versione legitur: *In unaquaque anima plantatum verbum Dei.* Similiter in Tomo XIV. n. 1. hebraeorum vocabula Aser, Elcana et Abjasaph explanans vetus Interpres, latine dicit, *eruditio, Dei creatura, congregatio patris;* et ita alibi Origenes easdem rite exposuit voces. Transcriptor vero graecus tradit, Aser idest παιδεῖο *lusus;* Elcana κτῆσις χριστοῦ *possessio Christi;* Abjasaph qui graeca voce diceretur ἂν Πέτρος συναγωγὴ *si Petrus congregatio.* Et sic in additamentis Glossatoris Tomo XIV. 21. legitur: « Proponere quis posset etsi audacter, num angelo-

rum vita, quam cum hominibus degunt, mutationi sit obnoxia; et talis sit quoad hanc formam, ut et ipsi angeli moriantur. » Quaestio sane non solum audax sed et ignobilis, et jure ut indigna Origene, omissa in veteri Interpretatione.

Priusquam vero hujus quaestionis terminum pertingamus circa varietatem, quae veteri Interpretationi intercedit ac novae per Huetium ex graeco elaboratae, unde prima apparet secundae praeferenda; illud quoque accedat, textum graecum Origenis tam exacte, et uti dicam, verbotenus in translatione reddidisse veterem Interpretem, ut ubique videatur stilo et syntaxi latinae parum studiosus. Quod sane manifestat, versionis Auctorem animum ostendisse a quovis glossae, seu illustrationis genere alienum; nihilque suo praeter illud, quod in codicibus originalibus legerit, superaddidisse labori.

Novissimo, ex omnibus hucusque discussis ac una instauratis, primum patet additamenta in veteri Interpretatione desiderata, sicuti et detractiones eorum, quae leguntur in eadem Versione, immerito egisse graecum Anonymum; cum inde sermonis ordo fractus sit, sensusque confusus. Secundo, liquet in his intrusis, quaedam dogmati catholico adversari, sicuti ipsius Origenis sinceris institutionibus contraria, quas alibi tenuit et explanavit traditioni apostolicae uniformiter. Tertio, cum nobis adsit s. Pamphili testimonium, qui nonnullis ex Commentario Origenis *in Matthaeum* excerptis pro ejusdem Apologia, varietatem ibi manifestat codicis graeci, quem ipse consuluit, ab iis per Huetium versis et editis. Quarto, quod stilus quoque graecus Anonymi Transcriptoris aliam quam Origenis, praeseferat formam. Et hinc concludas, nullam fidem habendam esse graeco horum Commentariorum textui, quippe aliena manu aut interpolato, seu arbitrariis adaucto glossis; proindeque nihil derogandum esse veteri Interpretationi a calamo sincero comparatae. Cujus Versionis auctor antiquissimus, jure videtur inter Ecclesiae Patres censendus, omnem abhorrentes non malitiam solum et fraudem, sed et incuriam, aliaque hujus generis menda in veterum christianorum monumentis illustrandis, aut exponendis pro veritatum aeternarum contra adversariorum minas reparatione.

Et si in hoc postremo loco novum dubitandi velit quis perscrutari argumentum, num horum Commentariorum textus graecus juxta codices ab Huetio consultos, faciendus sit genuinus Origenis foetus, an potius ejusdem interpolatio, vel melius inquam Origeniani Commentarii Commentarium; poterit et hoc eruere ex codicum ipsorum titulo, ubi legitur: « Ὠριγένους ἐκ τῶν εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ἐξηγητικῶν τόμοι, de quo Delarue sic loquitur in notis: « Codices Holmiensis, Cantabrigiensis, Tarinianus habebant hanc inscriptionem, sed perperam: nam haec *excerpta* non sunt; qualia habentur in Philocalia, quibus hujusmodi praefiguntur tituli; sed pleni, ut observavit Huetius, et continui tomi. Certe simile aliquid habuit Catalogus graecus, quem concinnavit Allatius, et ait Huetius, secum communicasse Bigotium. Codex tamen vaticanus posterioris aetatis aliter legit. »

Ceterum in codicibus, unde transcripsit s. Pamphilus Origenis testimonia ad istius vindicias, haec citans Commentaria, tales reperit titulos ex. g. *In septimo libro in Evangelium secundum Matthaeum*. Et similiter Eusebius et Hieronymus eamdem reperere inscriptionem, et ab ea variantem, quae a Maurinis notatur in praefatis codicibus. Quapropter hac inspecta tituli varietate ac nota speciatim ἐκ τῶν εἰς τὸ etc. quae instauratur in sequenti Tomo, educendum videtur, uti suspicatur Delarue, textus graeci Transcriptorem, non solum Commentarios origenianos descripsisse, sed et ex ipsis decerpsisse, quae pro suo ingenio adornavit, addendo, mutando, aut detrahendo, sicuti praecipue a nobis superius argumentis validioribus patefactum est. Ac ideo stat magis opinio, harum *in Matthaeum* expositionum, alium quam Origenem reputandum esse auctorem, ast potius commentatorem origenianorum Commentariorum habendum.

Ex praefatis notis de corruptione et falsatione horum Commentariorum, necessario consequitur, perperam Origeni adversarios exprobrasse, quasi docuisset, doemones, si velint, poenitentiae et salutis esse capaces, praesertim ab illorum exemplo, quibus ipsi doemones ad malum assidebant, a peccato resipiscentium. Haec autem oppositores praesumunt ex Tomo XIII. n. 28. ubi Anonymus graecus ita scribit: « Su-

per his autem: *quando per lavacrum factus sum puer in Christo*, dicet angelum sanctum his non adesse, qui in malitia etiamnum (deest aliquid) tempus infidelitatis sub angelis satanae esse; ast post regenerationem, qui nos proprio sanguine redemit, angelo sancto et propter munditiem faciem Dei videnti, tradit. Tertia item hujus loci talis esse queat expositio: fieri posse scilicet, ut quemadmodum ab incredulitate ad fidem, ab incontinentia ad castitatem, et universe a nequitia ad virtutem homo convertitur: ita et cui animae cura statim ab ortu commissa est, malus initio esse possit. Deinde vero qua proportione credit is, qui sibi traditus est, eadem et ipse credat; et tantos faciat progressus, ut unus ex angelis faciem Patris, qui in coelis est, semper spectantibus efficiatur. Initio inde facto, ei conjungitur, qui, ut hoc tempore credat, praevisus est et praedestinatus etc. » Pergit deinde Glossator hanc falsitatem ostentans a similitudine viri erga uxorem et ad invicem; cum unus ex alterius opera convertitur: et ita de doemone hominis pii comite, fieri potest, ut a malo in bonum redeat.

Priscus vero Interpres, omissis, quae excutit Anonymus, hoc tantum ibidem notat: « Qui autem vult ex eo, hominibus dari angelum adjutorem, ex quo per lavacrum regenerationis facti sunt tunc nati infantes in Christo, dicet non esse credibile, insensatis et incredulis et errantibus et servientibus desideriis variis et immundis, in malitia et invidia degentibus, odibilibus et odientibus invicem, fornicariis et adulteris, interdum autem et masculorum concubitoribus, latronibus et ebriosis atque rapacibus praeesse angelum sanctum, ut maculetur in hujusmodi actibus hominis, cui datus est custos. Sed est homo quidem in tempore infidelitatis suae et peccatorum suorum ex infidelitate nascentium, sub angelis satanae et spiritibus malignis et immundis doemoniis. Cum autem susceperit fidem, tunc Christus, qui est Redemptor, quo pretio sui sanguinis eum redemit a malignis doemoniis, credentem in Deum, tradit eum angelo sancto, et propter munditiem semper videnti faciem Patris. » Cum igitur ita se habeat vetus Interpretatio, ac prorsus ibi desiderentur, quae Anonymus graecus commentus, textui suo inseruit: extra

sincerum Origenis sensum jure demandatur hujuscemodi doctrinae pravitas de doemone poenitenti, servandoque.

Praeterea circa hujus translationis varietatem, simulque pro veteris Interpretis integritate et illud addendum est, eumdem Huetium in textu graeco quidem obscura reperisse et confusa ita ut duo paragraphi 27. 28. commisceantur: quod sane abest a prisca Versione. Ac ideo speciatim notasse graecanica verba in tribus locis, primo syntaxi non regi; secundo quaedam deesse; tertio non comprehendi, quid sibi velit elocutio de puella, quae in Actis Apostolorum vocem Petri ad ostium stantis auscultans, dixit: *Petrus est*: quo magis firmatur corruptio Codicis graeci originalis.

Insuper ex subjecta materia rem scrutari volentes, perspicimus Origenem prope morem suum varias texere expositiones circa dominica verba: *videte ne contemnatis unum ex his pusillis.. Dico enim vobis quoniam angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Ac interim n. 27. quaerit ex quodam, num angeli boni sortiantur custodiam parvulorum ab horum ortu, an ex regenerationis lavacro. Deinde expositis Scripturarum testimoniis utrique faventibus opinioni, acceptoque asserentium sensu, dari a Deo angelum adjutorem ex baptismi aevo, addit non esse credibile, hominibus ratione quavis pravatis, adesse angelum sanctum; quinimmo istos angelis satanae subjici, donec fidem Christi suscipiant, et sanguinis sui pretio redempti tradantur angelo sancto custodiendi. Et haec omnia juxta veterem Interpretationem sibi cohaerent, et quaestioni optime respondent: cetera vero lecta in Codice graeco Huetii, absona a contextu, et a Versione latina, merito uti arbitraria reputantur glossa.

Hoc autem fortasse et ex varia dictionis methodo statui potest, qua usus est Interpolator. Ita namque exorditur: « Et tertia quoque quaedam talis esse posset in hunc locum quaestio, aut expositio, quae dicit etc. Vocabulum *tertia* primam supponit et secundam expositionem, quas Origenes in praecedentibus indicasse necessario videretur; quas tamen antea et post aliis dictionibus nominavit, diverso intuitu Christi verba expendens: *quoniam angeli eorum in coelis etc.* Et sic scribit: *aliquis quaesierit, alius dicet,* et item postea

subdit, *alter ait*. Cum ex adverso juxta pericopae disputatae ordinem, si unus et idem calamus haec exarasset, dixisset *prima secunda* (et hinc *tertia*) *et quarta suppositio*. Quibus concluditur, inter apocrypha mittenda quae leguntur in textu graeco et desiderantur in veteri Interpretatione. Eoque magis, sicuti ab initio probatum est, quod nullibi invenimus (etsi obstantibus adversariis) unde videatur Origenes doemonibus spem salutis aliquando spondere, cum luculentissime asseruerit post lapsum doemonis, peccatum suum factum esse naturam, ideoque indelebile et cum eo inseparabiliter manens perpetuo. Et hoc sensit non solum in aliis Tractatibus, sed et hunc *in Matthaeum* conficiens Commentarium, teste Gallandio. Qui hujus Commentarii reperit fragmentum superius excussum, ex veteri fortasse Interpretatione hucusque manca. Cujus sensus satanam constituit in irreparabili conditione, quandoquidem peccato in eo *natura* facto, nunquam ideo ipse ad bonum ascendere, nec salvari potest.

Item pari ratione inter apocrypha mandanda sunt, quae Transcriptor graecus sub Origenis nomine prodidit Tomo XVII. in *Matthaeum* n. 30. de transmutatione angelorum in homines et vicissim. Quod quidem jure agendum est, quippe in veteri Interpretatione desiderentur; ac insuper uti glossa habeantur extra discussionis locum, quae superaddere putavit Anonymus. Ac interim, ut res magis patefiat, cum textu Huetii conferatur

Vetus Interpretatio

: « Quoniam ergo ad defensionem sui erroris proferunt sadducaei exemplum de Lege Mosaica, dignum mihi visum est ponere ipsum textum Legis, quem proferunt sadducaei, habentem hoc modo in Deuteronomio: *si habitaverint fratres idipsum, et mortuus fuerit unus ex eis etc.* Ac ibidem descriptis verbotenus verbis Legis c. XXV. v. 5. 6. 7. 8. 9. 10. subdit: « Haec verba legentes sadducaei; et nihil dignum Deo intelligentes in eis, arbitrati sunt, non posse fieri propter haec verba, ut mortui resurgant, ut vir iterum sit virilia habens membra, aut mulier sit muliebria habens membra.

Et Dominus quidem respondens eis, voluntatem verborum Legis non exposuit, quasi indignis hujusmodi mysterii agnitione, sed tantum simpliciter eis dixit resurrectionem futuram, contestantibus hoc etiam Scripturis divinis, quoniam illic nuptiae non sunt; sed erunt, qui resurrexerint, sicut angeli in coelo; et quia transformabunt corpora humilitatis eorum secundum corpora angelorum coelestia atque luminea. »

Versio Huetii

Graecus vero Anonymus his paraphrastice censitis, addidit: « Dogma autem fidelium plerorumque animos novitate suo percellens, hic aliquis expenderit, ex aliis fortasse pluribus locis, sed ex illo certe, quem tractamus, dubitandi arrepta occasione, an quemadmodum qui a mortuis resurgunt, angelis coeli similes fiant; et ex hominibus in ordinem angelorum migrent, ita et alii, qui in coelo degunt angeli, cum olim fuerint homines, et in humano corpore egregie decertarint, angeli in coelo haud secus ac alii, ante se evaserint. Qui autem novam hanc opinionem, vel ex praesenti loco, fortasse et aliunde examinare voluerit, universam Scripturam, rerumque connexionem attente consideret ac dispiciat, quidque ex his ita positis, consequatur, expendat, si ejusmodi doctrina admittenda est, ex qua ea profluant, quae ex hoc loco manifesta sunt: *angelos judicabimus*, nec non ex illo: *in quem desiderant angeli prospicere*. Quod siquis Judae quoque Epistolam admittat, videat quod ex hac sequatur doctrina propter illud: *angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit*. Qui vero res hujusmodi disquirere fuerit ausus, videat quomodo intelligenda sunt, quae scripta extant in Genesi: *videntes nempe filios Dei filias hominum, quod essent pulchrae, accepisse sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*. Tales autem dubitationes aperte proponere, earumque consequentiam dispicere, tantarumque rerum expositionem chartae committere, parum fortasse tutum fuerit: iis enim, quae jam a nobis dicta sunt, periculum hactenus adiisse sufficit. »

Quamvis in hac pericope dubia proponantur potiusquam ceu certa tradita; attamen pro Origenis defensione, siquis offenderetur, quippe haud auribus orthodoxis satisfaciant, cum desiderentur in veteri Interpretatione, non Origeni, qui haec non scripsit, sed novo graeco Commentatori esse inscribenda sciat, qui ex proprio ingenio talia addidit. Ceterum sicut alibi, ita et hic signa manifestantur interpolationis. Primum; non comprehenditur, quid sibi velint proposita dubia quoad praecipuam Origenis quaestionem. Secundo, textus mancus Deuteronomii, uti tradit graecus, cum necessario totus a v. 5. ad 12. describendus erat, prout egit vetus Interpres ad Auctoris mentem, indicat mutilationem ex parte Anonymi; qui pro more suo, sicuti vidimus, modo adjecit, modo omisit. Tertio, Transcriptor in hoc additamento Judae Epistolae mentionem agit: ita inquiens: *quod siquis Judae quoque Epistolam admittat, videat quid ex hac sequatur doctrina etc.* Quod est in dubium vocare divinam hujus Epistolae auctoritatem. Verumtamen nullibi librorum quorumvis reperitur ita Origenem sensisse, sive dubitasse de hujus Epistolae Canonicitate. Quinimmo pluries ulla absque dubitatione ceu divinam Scripturam citavit, celeris inserens Libris sacris. Quod et vidit, et probavit Huetius. Quocum pariter adstruitur, extra genuinos Adamantii sensus amandandam esse hujusmodi pericopem; et hinc amplius nullum dari locum Origenem insimulandi, si erronea in praefato graeco Commentario per Huetium translato, videantur descripta.

Summatim demum, in hoc postremo loco comprehensis, quae ex libris Origenis diluimus de jugi doemonum et reproborum in altero seculo cruciatu, nemo dubitabit, puto, de sincera, constantique Auctoris mente in hoc fidei articulo. Et hinc necesse est, siqua huic suae professioni alicubi reperiantur contraria, et inde apostolicae doctrinae, ut alias ad falsatores suorum librorum, alias ad minus accuratos suorum dogmatum interpretes remittantur. Quod primum evenisse vidimus in quibusdam codicibus Commentariorum *in Matthaeum*, et secundum in Libris *Periarchon*. Non enim, veluti saepius dixi, fieri potest, ut Origenes in tanti mo-

menti quaestione, aut negaret, vel haec eadem sub hujuscemodi animi instabilitate discuteret, quae ab initio tanquam suae fidei fundamentum collocarat. Et istud amplius mirum est in *Periarchon* (quorum infra in 2. Parte patefiet sincera Ruffini versio praesertim circa hanc quaestionem) quod cum Origenes in his libris studiose institerit adversus christiani dogmatis mentitores, immortalem hominis conditionem in vita futura propugnans, et hinc variam istius sortem post judicium novissimum, vel gaudiis cumulati sempiternis, seu poenis afflicti incessantibus: mirum, dico, quod ab eisdem libris adversarii deduxerint prorsus contraria huic dogmati: ita ut hoc fere incomprehensibile videatur. In Prologo enim hujus Tractatus n. 5. clare reproborum poenas aeternas adstruit; et in n. 6. hoc idem dicit de doemonibus. In Libro I. c. V. n. 4. bis docet ex Scripturis doemonem suo arbitratu lapsum, *perditionem factum esse: neque amplius futurum in gloriam, de qua cecidit*. In Libro II. c. X. n. 1. a Scripturis et a traditione apostolica instructus, supplicia sempiterna peccatoribus parata in altero seculo bis docet. De quibus, uti manifestum et ineluctabile dogma, nil discutiens, transit ad quaestionem de resurrectione. Similiter in Libro III. c. I. n. 6. *De libero arbitrio* scribit: inde limpide statuens, sicuti bonis in vita futura praemium, sic reprobis cruciatus perennes; *discedite maledicti in ignem aeternum*.

Quamobrem cum hinc constet, Origenem in *Periarchon* non secus ac profitetur Ecclesia Catholica, irrevocabilem Christi sententiam admisisse de jugibus doemonum et damnatorum poenis; et inde ex adversariorum placitis eruatur, eumdem tales poenas non fore aeternas sensisse; concludendum esset, nec tantum illum errasse, verum et in manifestam offendisse contradictionem, modo negando, nunc affirmando pariter de eadem re et in subjecta materia, quasi ipse in hac tractanda quaestione, aliquando vigilaret, aliquando dormiret. Et haec est illatio, quae necessario deducitur ab adversariorum censura in praefatos Origenis libros. De quo ipsi viderint, siquando hoc fieri possit.

CONCLUSIO

Postquam tot gravissimique momenti testimonia collegi, quibus apertissime Origenis fides de doemonum et pravorum sorte, dogmati apostolico sicuti et catholicae traditioni consona probata est; quamque ipse ubique ac quotidie in Scripturarum sacrarum interpretationibus, in concionibus ad populum, et in cujusque generis quaestionibus pari alacritate vindicavit; talia sequuntur corollaria.

I.

Gratis asseritur Origenem ad quinquaginta fere annos, quibus multa docuit et scripsit, aliquando sive inficiatum esse, sive errasse, seu dubitasse quodammodo de suppliciorum perpetuitate, quibus et doemones et reprobi mulctantur apud inferos: quinimmo dissertis verbis firmo, limpidoque sermone hoc statuisse dogma adstruitur.

II.

Ex praedictis veluti illatio legitima eruitur, Origenis hostes immerito et frustra praesumpsisse; et amplius toto errasse coelo, existimantes, poenas tantummodo temporarias sanxisse Origenem doemonibus ac damnatis post mortem inflictas.

III.

Sub *palingenesias* nomine, de qua hucusque tanto ardore disputatum est, nequaquam spiritus sive voluntatis regenerationem post judicium novissimum comprehendisse Origenem infertur; quasi homines et doemones apud inferos bonum sicuti et malum velle possent; ideoque poenitentiae capaces eos fieri, et ita, hujusmodi mediante *palingenesia*, aliquando fore salvandos: quod absit docuisse Adamantium.

IV.

Humanae naturae regenerationem, sive restaurationem in pristinum statum incorruptibilem et immortalem a quo ceciderat homo primus, ac penitus a mentis regeneratione variam, maxime docuisse statuitur Origenem, eamque non solum judicio novissimo praeviam sed et resurrectioni; ideoque nihil ipsam commune habere cum futura doemonum ac reproborum hominum restauratione ad meliorem sortem post judicium extremum; quae nunquam erit.

V.

Insuper ex praemissis alterum adversariorum sequitur erratum, qui opinati sunt Origenem, ignem apud inferos metaphorice sumendum esse docuisse; nec realiter flammis aduri inextinguibilibus reproborum corpora. Satis enim ignis genus ad humanitatis nostrae mysticam lustrationem, ab altero distinxit Origenes sensibili, damnatorum corpora incessanter excruciaturo.

VI.

Hinc similiter frustra Origenis adversariis persuasum, reprobos, doemonesque sempiternis damnatos suppliciis post longissima seculorum spatia expiatoriis poenis lustratos in igne, cum Christo coelesti gloria bonisque omnibus cumulandos fore; quod nusquam scripsit Origenes.

VII.

Nullibi Origenes Christi sententiae: *et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam*, quae extremum sequetur judicium, pari significatione in utrosque et pios et improbos indictae, nullibi, inquam, Origenes adjecit talem praesumptam doemonum et pravorum poenitentiam et successivam eorum salutem, ipsis post diuturnum tempus paratam.

VIII.

Frustra insuper Huetius ceterique suspicati sunt Adamantium vocabulo *ἀιώνιον aeternum* pro definito tempore usum fuisse, cum de futura loqueretur vita, quasi hanc vocem aliter quam Ecclesia Catholica docuit et docet ex ore Christi et Apostolorum, accepisset.

IX.

Corpora resurrectura non aliam a pristina (ab ea scilicet, qua constitit ante mortem) naturam induent; sed in eadem resurgent, a morbis tamen et affectionibus et defectibus naturae corruptae idest a *chachïa* exempta. In qua immunitate illa constituitur *beatitudo* seorsim a coelesti, qua probi fruentur in conspectu Dei.

X.

Nihil praefatis expositionibus officere nonnullas locutiones graeci Commentarii *in Matthaeum* ab Huetio editi cum versione latina, praesertim quoad doemonem poenitentiae capacem: quandoquidem ille Commentarius haud genuinus probatur Origenis foetus, sed cujusdam Anonymi glossa et quidem erronea, elaborata supra Auctoris verba.

XI.

Novissime, sicuti Origenes profitetur ac tenet, nec doemones nec reprobos posse aliquando in vita futura redemptionis Christi frui beneficio: ita et angelos et probos coelesti gloriae cum Deo participes, nunquam peccare posse docet.



INDEX

PROLOGUS . . . . pag. VII

CAPUT. I. *Bibliorum Sacrorum, Ecclesiae Patrum ante Origenis aevum, veterum Synagogae magistrorum, et Scholae Platonicae de aeternitate poenarum in futuro seculo, doctrinae Schema* . . » 1

» II. *Theologorum sententiae de s. Gregorii Nysseni libris et praesertim qui* Catecheticus *et* Dialogus ad Macrinam Sororem *inscribuntur; num fuerint alieno calamo falsati in iis, quae dogma pertingebant de aeternitate poenarum* » 9

» III. *De aeternitate poenarum perspicua testimonia e Gregorii scriptis juxta fidei et doctrinae catholicae sensum exposita* » 14

» IV. *Verborum sensus expenditur, quae in Catechetico c. XXIV. speciatim notantur, ubi Petavio, Huetio aliisve visus est errasse Nyssenus de doemonum salute* » 20

» V. *Quid s. Doctor verba apostolica interpretatus* Deus erit omnia in omnibus, *sicuti et alia* ipsi genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum *voluerit, explanatur* . . . . . . » 29

» VI. *Ab eodem* Dialogo *de humanae naturae incorruptibilitate sub nominibus,* boni

beatitudinis, pulchritudinis, ac divinae imaginis *comprehensa, in resurrectione agere s. Gregorium contra Manichaeos, evincitur: per virtutem Dei nempe sublata vitiositate ex protoparentum reatu contracta, nil inde opponentem dogmati de aeternitate poenarum* . . . . pag. 36

CAPUT VII. *De Procli, Methodii et Epiphanii Scriptis amplius Nysseni doctrina de resurrectione illustratur, ejusdemque cum citatis Doctoribus sicuti cum Ecclesia Catholica consensus de aeternitate poenarum* . . . . » 49

» VIII. *Quid sub κακία* vitiositas *vocabulo, ejusdemque expiatione, ac deinde quid sub παλιγγενεσία* regeneratio. *sive ἀποκατάστασις* restitutio in pristinum *comprehenderit s. Doctor, explanatur: ejusque sensibus ss. Augustini et Thomae testimonio adauctis* . . . . . . » 58

» IX. *Posita hujusmodi animarum lustratione et quidem necessaria, quaeritur unde hanc hauserit, et quo sensu dixerit: et quomodo demum nonnulli veterum huic meae suffragati recensioni, ab errore immunem reputarint s. Episcopum.* » 70

» X. *Origenis argumenta proferuntur, quibus apertissime angelos hominesque reprobos sempiternis ac nunquam desituris poenis apud inferos mulctari docet* » 76

» XI. *In idem argumentum de aeternitate poenarum instat Origenes* . . . . » 90

CAPUT XII. *Vocabuli graeci ἀιώνιον et latini* aeternum *in proposita quaestione investigatur significatio juxta Origenis mentem* . . . . pag. 105

» XIII. *Huetii, Petavii et ceterorum explodun-tur argumenta, quibus visus est terminum poenis in futuro seculo admisisse Origenes* . . . . » 113

» XIV. *Exponitur sententia Origenis de igne expiatorio consumente* chachian *malitiam naturae humanae corruptae insitam, unde ejusdem sequitur regeneratio.* » 123

» XV. *Quanto jure ostenditur hanc Origenem admisisse regenerationem ante resurrectionem; nihilque ideo eam officere aeternitati poenarum: additis Tatiani, Clementis Alexandrini, et Tertulliani de eadem re testimoniis* . . . . » 138

» XVI. *Cetera expenduntur argumenta adversariorum, quibus aeternitati poenarum contraire visus est Origenes.* . . » 146

» XVII. *Speciali disquisitione enucleantur Origenis sensus de angelis apostaticis in Libris praesertim* Periarchon . . » 158

» XVIII. *De gehenna ignis, de tenebris exterioribus, de inferno ac demum de loco in vita futura pro animarum expiatione sive de Purgatorio, quae sensit Origenes* . . . . » 173

» XIX. *Origenis sicuti et Nysseni cum Apostolo* in Epistola I. ad Corinthios, c. XV.

et hinc cum Ecclesia Catholica concordia statuitur in fide et in divinae dispensationis ordine, quo mortui in fine dierum denuo ad vitam perennem revocandi erunt; unde majori lumine cumulanda veniunt, quae hucusque de hoc argumento et praesertim de regeneratione egimus . . . . . pag. 180

CAPUT XX. *Peculiare studium instituitur circa duplicem vocabuli graeci μακαριότης* beatitudo *significationem secundum veterum Ecclesiae Patrum notionem* » 190

» XXI. *Analysis critica discrepantiae Textus graeci Commentariorum Origenis* in Matthaeum *per Huetium translati, a veteri Interpretatione latina. Seu num genuinus habendus sit graecus textus, et interpolata Versio latina; aut aliter codices Origenis graeci corrupti, et fidelis prisca Translatio latina reputanda* . . . . » 208


» XXII. *Argumenta subnectuntur, quibus vetus latina Interpretatio Origenis* in Matthaeum *praestare ostenditur recenti graeco Textui ab Huetio edito.* . » 219

» XXIII. *Sequuntur argumenta, quibus asseritur, veterem Interpretationem genuinos Origenis sensus proferre adversus graecum Anonymi textum* . . . . . . » 242

» XXIV. *Novis additis argumentis de falsato in* Matthaeum *Origenis Commentario per Anonymum graecum, concluditur, quae in ipso textu graeco leguntur, et in ve-*

teri Interpretatione desiderantur circa Angelorum malorum sive resipiscentiam, sive conversionem in melius, nequaquam Origeni imputanda, sed Anonymo, qui de suo hanc haereticam intruserit opinionem, aut similia, de quibus alibi disceptabitur. . . . pag. 259

CONCLUSIO . . . . » 277



IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli S. P. A.
Magister.

IMPRIMATUR

Petrus Castellacci Archiep. Petr.
Vicesgerens

ORIGENES

AB IMPIETATIS ET HAERESEOS NOTA

IN CETERIS INSTITUTIONIBUS

VINDICATUS


PER ALOISIUM VINCENZI

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM

PROFESSOREM

VOLUMEN II.

PARS II.




ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BERNARDI MORINI

1864

Hos (Apellitas) Origenes ita perfecte superavit, ut eorum causa Periodeutes *fieret, et per singulas quasque urbes per Orientem eundo praedicaret. Et quia innumerabilia sunt tractatorum ejus volumina, haeretici superati libros ejus ad suos libitus callidissima argumentatione mutarunt, ut quos vellent decipere, dicerent, ita Origenem suis expositionibus definisse. Unde quicumque usque hodie Origenem legit, si prudenti eum novit recitatione distinguere, deprehendit loca ab haereticis maculata. Quod ita esse, sanctus Pamphilus Martyr in suo Apologetico declaravit.*

Anonymus seculi V. in Tractatu inscripto *Praedestinatus* lib. 1. c. 22. *De Haeresi Apellitarum.*





MONITUM



Cum maximum ac praecipuum investigationum nostrarum studium in hac secunda Parte collocandum sit de libris *Periarchon*; ubi cujusque aetatis interpretes valde sollicitos se gessere, difficultatibus inspectis circa argumenta ibi discussa, adeo ut (exceptis, qui Theophili Alexandrini aetati praecessere, s. Pamphilo martyre, Eusebio, et Didymo, ceterisque, tanquam catholicum in his libris probantibus Auctorem) fere universim post illud tempus adversus eosdem ceu erroribus confertos, et hinc ab ecclesiastiaca praedicatione discrepantes, dimicarint; itaque praeter ea, quae antea obiter dicta sunt, ac deinceps dicentur, nonnulla praemittere existimo; praesertim, qualis Origenis scopus in hoc perficiendo Opere, perscrutatus.

Quamvis porro Eusebius de his locutus libris, tantummodo indicet compositos priusquam Alexandria discederet Origenes, causam silens specialem, qua fuerit in eo labore motus; attamen pro nunc id parvi facientes, et conscii, Auctorem in iis quae antea et postea scripsit, docuitque, ubique dogmata orthodoxa professum esse ac tenuisse; inde pariter statuere non dubitamus, eadem ipsum tenuisse et sensisse in hoc Opere: nisi adversus se eum venire putemus; eaque una destruere, quae jugiter prope catholicam fidem docuit. Quapropter ab his erga Origenem sensibus haud recedentes, ipsius mentem investigatum adeamus ex dictis, quae in horum librorum contexuit Praefatione: et primum quidem de Operis titulo, quod *Periarchon* inscripsit, idest *De Principiis*. Quod vocabulum, non nisi ex verbis initio Prologi praemissis, exponi videtur: quae sic se habent: « Omnes, qui credunt, et certi sunt, quod et gratia et veritas per Jesum Christum facta sit; et Christum veritatem esse norunt, secundum quod ipse dixit: *Ego sum veritas*, scientiam, quae provocat homines ad bene vivendum ac beate, non aliunde, quam ab ipsis verbis Christi, doctrinaque suscipiunt. Christi verbis autem dicimus, non his solum, quae homo factus, atque in carne positus docuit: et prius namque Christus Dei Verbum in Moyse atque Prophetis erat etc. » Et hoc in Homilia I. Geneseos verba interpretatus: *in principio creavit Deus coelum et terram,* inquit: « Quod est omnium principium, nisi Dominus noster, et Salvator om-

nium, Christus Jesus, primogenitus omnis creaturae? »

Deinde cura maxima studioque sollicito est ponderandum, quod in eadem Praefatione statuit ab ipso quidem concinnata ceu ostium, quo ad totius Operis rationem investigandam pervenitur. Ibi enim plura spondet Origenes, non solum de naturalibus, sed et de supranaturalibus se discussurum, et non tantum de iis, quae obvia cuique erant, sive ex ratione, aut ex Scripturarum auctoritate sive ex traditione ecclesiastica, verum etiam et de iis, in quibus nec communis sensus plane sufficiebat; nec suffragabantur luculenter Bibliorum verba; nec Apostolorum traditio limpide coruscabat, intenta potissimum temporum ratione. In quibus sane plura dogmata simplici notione tradita, et ita accepta et universim fide simplici credita, cum a nonnullis (inspecta illorum dogmatum obscuritate) aut mente sincera, aut prava excuterentur, alicujus doctoris repetebant operam: quo dubii et ignari instruerentur; convincerenturque haeretici et infideles.

Quapropter jam ab initio sapientissime ajebat Origenes n. 2: « Quoniam ergo multi ex his, qui Christo se credere profitentur, non solum in parvis et minimis discordant, verum etiam in magnis et maximis: idest vel de Deo, vel de Domino Jesu Christo, vel de Spiritu Sancto, non solum autem de his, sed et de aliis creaturis, idest vel de Dominationibus, vel Virtutibus sanctis: propter hoc necessarium videtur prius de his singulis certam lineam,

manifestamque regulam ponere, tum deinde etiam de ceteris quaerere. Sicut enim multis apud graecos et barbaros pollicentibus veritatem, desivimus apud omnes eam quaerere, qui eam falsis opinionibus asserebant, posteaquam credidimus Filium Dei esse Christum; et ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: ita cum multi sint, qui se putant sentire, quae Christi sunt; et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens. Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione. »

Nihilominus sentiens Origenes, in apostolica traditione multa haberi perspicue explanata, et plura adhuc obscura, quae etsi crederentur, explanatione quadam indigebant, suum ideo propositum manifestat, et ait n. 3.: « Illud autem scire oportet, quoniam sancti apostoli fidem Christi praedicantes, de quibusdam quidem quaecumque necessaria crediderunt, omnibus etiam his, qui pigriores erga inquisitionem divinae scientiae videbantur, manifestissime tradiderunt, rationem scilicet assertionis eorum relinquentes ab his inquirendam, qui Spiritus dona excellentia mererentur et praecipue sermonis sapientiae et scientiae gratiam per ipsum Spiritum Sanctum percepissent. De aliis vero dixerunt quidem, quia sunt; quomodo autem, aut inde sint, siluere: profecto ut studiosiores quique ex posteris suis, qui amatores essent sapientiae, exercitium habere possent: in quo

ingenii sui fructum ostenderent, hi videlicet, qui dignos se et capaces ad recipiendam sapientiam praepararent. » Hinc manifestior exhibetur Origenis in hoc studio scopus, idest ut incredulos haereticosque confutet; ac ignaros dubiosve doceat, ea proponens quae certa tenenda sunt ab omnibus; et quae etiamsi talia habenda sint, attamen in horum scrutando rationem, non nisi ingenio praeditos, mentisque exercitatione, et coelesti praesertim auxilio cumulatos, ista assecuturos dicit.

His praemissis, ordinatim n. 4. enumeraturus accedit, manifeste per apostolicam traditionem praedicata, idest mundi creationem ex nihilo, Trinitatis divinae mysterium, Verbique Incarnationem, Spiritus Sancti divinitatem, de quo solummodo innuit, non perspicue discerni, *utrum natus an innatus sit Spiritus Sanctus* etc. ideo hoc esse a Scripturis et sagaci studio investigandum. Item n. 5. ait, manifestissime in ecclesiis praedicari, animam, substantiam et vitam cum habeat propriam, ex hoc mundo discedentem, ex meritis suis aut aeterna beatitudine fruituram, sive suppliciis mulctari sempiternis; eamdemque animam in resurrectione corpus induturam. Similiter praedicari, hanc animam rationalem, liberam esse, suique juris, et cum adversariis potestatibus in hac vita contendere. Nisi quod addit Origenes, non haberi manifestissimum in Ecclesiae praedicatione hujus animae initium in corpore, qua ratione scilicet, et unde ea sit.

Postea in n. 6. dicit, in Ecclesia doceri, esse quidem diabolum et angelos, virtutesque contrarias: « Quae autem sint, aut quomodo sint, non satis clare exposuit ecclesiastica praedicatio. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quod angelus fuerit iste diabolus; et apostata effectus quamplurimos angelorum secum declinare persuaserit: qui nunc usque angeli ipsius nuncupantur. » Pariter scribit praedicari in Ecclesia, mundum hunc factum esse et principium in tempore habuisse, et hunc ipsum mundum pro ipsa sui corruptione dissolvendum. Attamen non constare, quid ante hunc mundum fuerit et postea erit.

Similiter in n. 8. ex apostolica doctrina ostendere pergit, Scripturas per Spiritum Sanctum conscriptas esse, sensumque habere non solum, qui in manifesto est, sed et alios latentes quamplurimos: atque omnem Legem spiritalem esse etc. Ibidem deinde quaerit de vocabulo *ἀσώματον incorporeum*; quo sensu scilicet accipiendum sit, cum agitur de doemonibus. Hinc subdit, inquirendum esse, num Deus quoque sit corporeus, aut alterius naturae, quam corpora sunt: « Quod utique, ait, in praedicatione nostra manifeste non designatur. Eadem quoque de Christo et de Spiritu Sancto requirenda sunt. » Novissime ex eadem praedicatione apostolica docet, angelos Dei ministros in adjutorium hominum datos; attamen occultum haberi, quando creati sunt, et quomodo sint: sicuti non patefieri, utrum astra coeli inanimata aut animata sint etc.

Cum interim haec omnia praemittat Origenes pro sui in *Periarchon* argumenti ratione, interpretis horum librorum studium totum illuc intendendum est, ut secundum ipsius Auctoris propositum, dicta sua expendat, sensum scrutetur, dogmata probet; et hinc si ab his, quae certa proposuit, et universim credita, traditione apostolica manifestissime suffragante, quandoque aberrasset, profecto reprobandus esset; sin vero non recesserit, uti catholicus admittendus. De ceteris porro siquis ipsum insimulare voluerit, quae ex proprio sensu dubia, aut incerta, sive obscura existimarit ob eas, quas enarravit causas (praesertim temporum intentis conditionibus, in quibus multi multa et de multis varimode opinabantur, quippe nondum ab Ecclesia definita) immerito sane id faceret. Nemini enim quemdam damnare licet, nec anathematizatum dicere virum, qui ex Scripturis aut ex traditione apostolica haud quorumdam dogmatum assecutus exploratam perspicuitatem, ex proprio ingenio quomodo ea sint, rimari conatur: quamvis in hoc studio minus faceret, vel nolens quoque admitteret falsitates.

Ceterum relate ad ea, quae Origenes credidit, docuitque tanquam veritates manifestissime praedicatas in ecclesiastica traditione, quaeque titulis propriis distinxit, et quibus nulli christianorum contraire liceret, ac ideo Operi praemisit; mirandum sane de ipso foret, uti de homine insano; si in his eisdem postea tractandis argumentis, contraria loqueretur prorsus illis, quae statuit; eaque destrueret, quae

in manifestissima Apostolorum traditione distincte invenit, definita. Nihilominus acceptis adversariorum criminationibus, asserendum esset, ipsum reapse quae fundaverat, destruxisse; et quae prius certa definivit ex Apostolorum auctoritate, deinde non solum veluti dubia, sed penitus falsa repudiasse.

Et re quidem vera, in Praefatione n. 4. ait, traditum esse in Ecclesia, Christum Dei ante omnem creaturam ex Patre natum, et omnia per ipsum facta: quique in novissimo tempore *homo factus mansit, quod erat Deus.* Verum admissis oppositorum sensibus, in argumenti expositione videretur ipse manifestissime Christi divinitati mentitus. Similiter ibidem inquit, patenter tradi in apostolica praedicatione, Deum omnia creasse, atque ex nihilo fecisse universa. Deinde ex adversariorum sensu, materiam esse Deo coaeternam putasse videretur Origenes. Item n. 5. praemisit, praedicari in ecclesiis, animam post corporis obitum vita ac beatitudine aeterna potituram, si haec ei sua gesta praestiterint; aut igni aeterno, ac suppliciis mancipandam si in hoc eam scelerum culpa detorserit; quam fidem postea mutasset, poenarum perennitati obsistens. Similiter de corporum resurrectione spondet, deque libero hominum arbitrio; quae deinde ex contrariorum placito excutiens, negasset. Item de proprio ac litterali Scripturarum sensu ait doceri in Ecclesia, quemque ibidem admisit, alibi tamen refutasset. Et sic de animae essentia, et de ceteris dicendum foret, quae modo delibata, suo loco excutientur.

Circa ea porro, quae notat, tunc non discerni, sive non clare designari, aut non perspicue tradi in apostolica traditione, ista non de se tantum intelligenda sunt, quantum de aliis, qui licet catholicam profiterentur doctrinam, tamen bona fide inter se dissentirent de illis, ac de iis speciatim dogmatibus, quae dicit Origenes a principalibus emanare: quorum emanationes non limpido omnibus coruscabant: ac ideo ingenii exercitatione, ac sapientiae lumine opus erat. Quamobrem ipse hujusmodi iniens quaestiones, tempore ac loco opportuno, luminum datorem invocans Deum, animoque sincero disputat, ac diluit juxta ingenii sui vires, firma tamen voluntate se se suosque sermones Ecclesiae subjiciendi definitionibus. Et hoc ostendit potissimum, cum ait se in rebus arduis aliorum sapientiorum judicium praestolari. Ac interim his vario genere propositis quaestionibus, ita concludit Prologum: « Oportet igitur velut elementis ac fundamentis hujusmodi uti secundum mandatum, quod dicit: *illuminate vobis lumen scientiae,* omnem, qui cupit seriem quamdam et corpus ex horum omnium ratione perficere, ut manifestis et necessariis assertionibus de singulis quibusque, quid sit in vero, rimetur: et unum, ut diximus, corpus efficiat exemplis et affirmationibus, vel his, quas in sanctis Scripturis invenerit; vel quas ex consequentiae ipsius indagine, ac recti tenore repererit. »

Ex his praemissis transit Origenes ad materiae discussionem, quam in quatuor libros dividit. In Li-

bro primo, quemadmodum praemisi, sermonem exorditur de Deo (ut omnium rerum principio) divinaeque Trinitatis mysterio. Deinde agit de creaturis rationalibus, idest de angelis et hominibus, eorum creatione, arbitratu, meritis, eorumdemque perpetuitate. In Libro secundo disserit de mundo; ubi plura comprehendit ac instaurat antea discussa, ita ab initio inquiens: « Consequens nunc videtur, licet omnia, quae superiori libello disserta sunt, de mundo atque ejus ordinatione, proprie tamen de ipso mundo pauca repetere, idest de initio ejus ac fine etc. » In quo mundi vocabulo comprehendit (cap. IX. 3.) omne quod est super coelos, vel in coelis, vel super terram, vel in his, qui inferi appellantur, vel quaecumque usquam prorsus loca sunt, et hi, qui in ipsis degere nominantur: et ubi praesertim suum insumit laborem in variis tunc extravagantibus haereticorum opinionibus confutandis. In Libro tertio de humano arbitratu loquitur, ubi speciatim discutit, quare, etsi nostri juris in exercitio virtutum, tamen potestates adversas patimur, quae varimode in nos excitantur; quibuscum idcirco decertandum esse docet. In quo libro quantumvis a scopo praecipuo discedere quandoque videatur Origenes: attamen accurate discussionis ordinem sectatus, ipsum compereris per diversa ac dissita itinera incedentem, in principale argumentum convenire. In Libro quarto denique totam impendit operam suam Origenes in tractatu de Scripturarum divinitate, de prophetiis in ipsis servatis, veluti tessera earum divinae in-

spirationis: et ubi plura tradit de ipsarum vario sensu, ac de usu in re christiana. Et ista sunt, quae Origenes in hoc Opere discutere spondet; quibus nonnullas addere benevertit observationes.

Et primum quidem, in his discurrendis quaestionibus, haud te lateat, divisiones, sive capita una cum titulis cuivis capiti inserta, neque ad Auctorem spectare, nec ad Ruffinum interpretem; sed jure codicum transcriptoribus adscribenda sunt; qui ea arbitrarie confinxere, et ulla absque discretione: ac potius quam illustrent, sensus perspicuitati officiunt.

Secundo, ob ea quae praemisimus de Auctoris scopo in his tractatibus de Deo, divinisque Personis, de Christo Redemptore, de mundo, ejusque initio ac fine, de creaturis rationalibus, de angelorum natura et hominum et eorumdem lapsu, ceterisque, quae ista consequuntur; nemo dubitabit, puto (cum haec ederet Origenes Alexandriae, tunc Christianae Scholae moderator) nemo dubitabit, quin ipse per hoc Opus multiplicia ac varia philosophiae ethnicae systemata penitius callens, in ipsis quaerens, quae rectae rationi satisfacerent, his ceu adminiculis pro aedificio christiano uteretur; ceteras vero fallacias, absurda et antilogias in illis comprehensas confutaret validissime. Nec amplius dubitabit, quin eadem sollicitudine arma verteret in haereticorum conatus, speciosasque horum opiniones; qui tenebras cum luce, certa cum incertis, falsa cum veris commiscebant; illusoria phantasmata in simplicium

bro primo, quemadmodum praemisi, sermo
ditur de Deo (ut omnium rerum pri
naeque Trinitatis mysterio. Deinde
ris rationalibus, idest de angelis
rum creatione, arbitratu, meriti
petuitate. In Libro secundo d
plura comprehendit ac inst
ab initio inquiens: « Con
omnia, quae superiori li
atque ejus ordination
do pauca repetere,
In quo mundi v
omne quod est
per terram, ... ipsum,
quaecumqu ... orum opiniones
in ipsis ... ab Evangelio discor-
insumi ... amplificans quoque argumenta,
retic ... as ipsum tanquam suos vindicare sen-
hu ... his communicare opinionibus, veluti hucus-
... infaustissime reputatum est. Aliter prorsus se
res habet: quinimmo eas solummodo proponit con-
futandi causa, non vero comprobandi, uti suo loco
dicetur.

Quarto, notandum quoque est, nonnulla christiana dogmata in *Periarchon* libris discussa, posteroque tempore ab Ecclesia definita (adeo ut nulli liceat modo contraire, aut de his contendere) tunc adhuc haberi incerta: ubi quisquis pro suo ingenio, aut probare, sive respuere, seu dubitare innocue poterat. Proindeque nec Origenem, nec quemvis alium

do in his tunc erraverint, nulla haereseos nota
los esse scito. In qua sane re animadver-
um est, quod ipse in c. VI. Libri I. *De*
mmatione praemittit. Ait enim: « Fi-
matio indicium esse videtur rerum
nsummatarum. Quae res etiam in
onet, quod ad haec tam ardua
a, siquis ille est, qui legendi
ndi desiderium ceperit, per-
n debet adhibere: ne forte,
uscemodi quaestionibus
li et superflua videan-
praeventum in aliis
naec et contra fidem ec-
, non tam ratione convincens, quam
praejudicio definiens. Quae quidem a no-
etiam cum magno metu et cautela dicuntur, discutientibus magis et pertractantibus, quam pro certo et definito statuentibus. Indicatum namque a nobis in superioribus est, quae sint, de quibus manifesto dogmate terminandum sit etc. » Hinc eruas qua mente haec et similia quaerat Origenes; et num idcirco haereseos crimine insimulandus sit, si quandoque erraverit.

Quinto, praefatis consequenter ideo Origenes saepe et in hoc Opere speciatim, fundamenta christianae fidei discutiens, a duobus vehementer angitur. Primum pavens, ne in dogmatibus certis atque ab ecclesiastica definitis traditione, contra infideles ac haereticos propugnandis, mentis humanae

captionem oculorum quotidie in Ecclesia Dei immaculata profundentes. Quapropter praedecessorum suorum exemplo, suo munere functus in regenda Academia christiana jam a divi Marci aevo Alexandriae fundata, ceu adversus philosophiam falsam antemurali, divina flagrans charitate, nullique parcens labori, pro veritate pugnavit, continuo Christum in suo pectore gestans, ac undequaque ipsius Ecclesiam sive scripto, sive opere circumdans contra tumentes hostium suorum fluctus.

Tertio insuper, quod ajebam de Origenis studio in Graeca Philosophia, unde quasi apis sedula ab ejusdem floribus apta decerpens, sicubi par fuerit, suis inserit discussionibus, nemo item cogitet ipsum, cum aut philosophorum, seu haereticorum opiniones tunc invalescentes, et quidem ab Evangelio discordes, recenseat, eorum amplificans quoque argumenta, nemo putet, eas ipsum tanquam suos vindicare sensus, aut iis communicare opinionibus, veluti hucusque infaustissime reputatum est. Aliter prorsus se res habet: quinimmo eas solummodo proponit confutandi causa, non vero comprobandi, uti suo loco dicetur.

Quarto, notandum quoque est, nonnulla christiana dogmata in *Periarchon* libris discussa, posteroque tempore ab Ecclesia definita (adeo ut nulli liceat modo contraire, aut de his contendere) tunc adhuc haberi incerta: ubi quisquis pro suo ingenio, aut probare, sive respuere, seu dubitare innocue poterat. Proindeque nec Origenem, nec quemvis alium

siquando in his tunc erraverint, nulla haereseos nota mulctandos esse scito. In qua sane re animadversione dignum est, quod ipse in c. VI. Libri I. *De mundi Consummatione* praemittit. Ait enim: « Finis vel consummatio indicium esse videtur rerum perfectarum et consummatarum. Quae res etiam in hoc loco nos commonet, quod ad haec tam ardua et difficilia intelligenda, siquis ille est, qui legendi horum et talia cognoscendi desiderium ceperit, perfectum et eruditum sensum debet adhibere: ne forte, si aut nullum usum in hujuscemodi quaestionibus habuit, vana quaedam haec illi et superflua videantur. Aut si jam praejudicatum et praeventum in aliis animum gerit, haeretica haec et contra fidem ecclesiasticam putet, non tam ratione convincens, quam animi sui praejudicio definiens. Quae quidem a nobis etiam cum magno metu et cautela dicuntur, discutientibus magis et pertractantibus, quam pro certo et definito statuentibus. Indicatum namque a nobis in superioribus est, quae sint, de quibus manifesto dogmate terminandum sit etc. » Hinc eruas qua mente haec et similia quaerat Origenes; et num idcirco haereseos crimine insimulandus sit, si quandoque erraverit.

Quinto, praefatis consequenter ideo Origenes saepe et in hoc Opere speciatim, fundamenta christianae fidei discutiens, a duobus vehementer angitur. Primum pavens, ne in dogmatibus certis atque ab ecclesiastica definitis traditione, contra infideles ac haereticos propugnandis, mentis humanae

intenta infirmitate, veritus, dico, ne minus apta proferret argumenta, praesertim in tractatu de Deo, divinisque Personis, ac de ceteris mysteriis; atque inde fortasse sermo suus in scandalum potius quam in aedificationem proficeret: de Verbi divini Incarnatione locutus inquit: « Arbitror, quia etiam sanctorum Apostolorum id supergrediatur mensuram. Quinimmo etiam fortassis totius creaturae coelestium virtutum eminentior est sacramenti istius explanatio. De quo nos non temeritate aliqua, sed quoniam ordo loci deposcit, ea magis quae fides nostra continet, quam quae humanae rationis assertio vindicare solet, quam paucissimis proferemus, suspiciones potius nostras, quam manifestas aliquas affirmationes in medium proferentes. » Hoc ait in Libro II. c. VI. n. 2. Et in n. VII. concludit: « Siquis sane melius aliquid poterit invenire; et evidentioribus de Scripturis sanctis assertionibus confirmare quae dicit, illa potius, quam haec recipiantur. »

Deinceps dogmatum nondum ab Ecclesia definitorum discussio item animum Origenis sollicitabat: in quorum tractatu etsi subtilibus usus investigationibus (ob illud, quo praeditus erat, mentis acumen, ac foecundissimam eruditionem) laboraret scripto traditurus, quae magis deductionibus scripturalibus sicuti et rationi consectaria forent; tamen offendicula in fidelium agro serere admodum verebatur; et arma praebere inimicis Christi. Quocirca, de anima humana, ex. g. cujus nemo nescit, quot tunc diversae invalescerent et in Ecclesia et extra

eam, opiniones, et quamvis, ubi opportuna venerit de ipsa disquisitio, prope catholicum sensum ipsum scripsisse probetur, nihilominus in Libro II. c. VIII. n. 4. hoc pertingens argumentum, scribit: « Verumtamen quod diximus, mentem in animam verti, vel siqua alia in hoc videntur aspicere, discutiat apud se, qui legit, diligentius et pertractet. A nobis tamen non putentur velut dogmata esse prolata, sed tractandi more ac requirendi esse discussa. » Ac paulo post subdit: « Haec prout potuimus de rationabili anima discutienda magis a legentibus, quam statuta ac definita, protulimus. » Item de astris coelestibus, varias sciens tunc hominum mentem discurrere sententias circa eorum naturam; cumque speciatim animata et hinc rationabilia suique juris ea esse quidam arbitrarentur, volens et ipse suum proferre sensum, hunc ita praevenit: « Quamvis hoc inquirere, audaciae cujusdam esse videatur; quoniam tamen captandae veritatis studio provocamur, quae possibilia nobis sunt, secundum gratiam Spiritus Sancti scrutari et pertentare non videtur absurdum. » Et haec notat in Libro I. c. VII. n. 3.

Novissime de eo, quod ait Origenes *secundum gratiam Spiritus Sancti*, neque nos lateat, suis saepe consertam reperiri disputationibus ejusdem Spiritus invocationem: ut hoc item nobis praebeat fidei suae, pietatis, humilitatis, rectique sensus vadimonium in hoc et similibus tractandis argumentis.

Exactis hucusque perquam brevissime, quae in his quaeruntur libris, non abs re erit tituli horum

librorum investigare rationem nec non, quo tendit, scopum: seu in quos errores sibi dimicare speciatim proposuit Origenes. Et primum quoad hujus Operis titulum sicuti et ipsius terminum, Clementis Alexandrini scripta percurrens, reperi in *Stromatum* Libro III. n. 3. ipsum ibidem disputare vehementer contra Valentini, Basilidis et Marcionis falsitates, et praesertim in illud, quod nuptias reprobarent ceu malas. In quo quidem loco Clemens Marcionistas provocat ad tractatum *Periarchon*, seu *De Principiis*; quem editurum contra eosdem spondet, inquiens: « Sed adversus eos, idest Marcionistas, sane cum *περὶ ἀρχῶν De Principiis* tractabimus, disseremus. » Paulo post de generationis bono in ipsos contendens, subdit: « Quando autem tractabimus *De Principiis*, tunc et has repugnantias, quas et tacite significant philosophi, suisque dogmatibus decernunt Marcionistae, considerabimus. » Item in Libro V: « *De universorum*, ait, sive *Principio* seu *Principiis*, sive quomodocumque de his videatur, nunc non est dicendum; non propter aliquid aliud, quam quod sit difficile praesenti modo tractationis, ea quae videantur, declarare. » Ac in fine ejusdem libri statuens omnem apud graecos sapientiam esse a barbara sumptam philosophia, addidit: « Quam contemplationem nihilo secius necessario attingemus, quando colligemus opiniones graecorum, quae feruntur *De Principiis*. » Denique Librum VI. exorsus n. 1. scribit: « Haec autem declarare distuli in eum locum, ubi

ea, quae a graecis *Periarchon De Principiis* dicta sunt, persequentes confutabimus. »

Ex his itaque dictis quisque videt, Clementem tantummodo Opus hujusmodi promisisse; num vero promissis steterit, ignoratur. Quotquot enim perlegi veterum testimonia circa Clementis scripta, sive circa ea, quae adhuc supersunt, aut de ceteris, quae aliquando extitere, nunc deperditis; nemo, sicuti detegere potui, libros *Periarchon* sub ejusdem Clementis nomine citat. Quamobrem valde dubitandum est, Clementem quibusdam de causis num istud perfecerit Opus: aut aliter tenendum illud Origeni commendasse, suosque eidem communicantem conceptus, veluti discipulo magistrum. Et ob hoc improbandum est quod ait Marcellus Ancyranus (in quem scribit Eusebius) arbitratus Origenem in his libris Platonis placita imitatum esse: cum potius secutus esset Clementem antecessorem suum ad eosdem confutandos philosophos « Qui, ut ait in *Admonitione ad Gentes,* a Persis, a Sarmatis, et Magis didicerunt impietatem venerabilium sibi *principiorum* principem omnium effectorem, et ipsorum *principiorum* opificem, ignorantes Deum, qui caret principio. »

Praeterea ex eisdem Clementis obtestationibus, scopus quoque Origenis comprehenduntur et terminus in hoc *Periarchon* Opere auspicando: quod certo valde prodest quaestionum intelligentiae, quae in his pertractantur libris. Cum autem, uti ex Prologo praenotavimus, ait Origenes, se ibidem illos confutare maxime, qui etsi in Christum se profiten-

tes credere, tamen non solum ipsos in parvis et minimis a veritate discordare, verum etiam in magnis et maximis; et insuper cum in quaestionibus evolvendis praesertim in Marcionis, quique eum praecessere, Basilidis et Valentini scholas dimicantem cernimus, qui quamvis Christi nomen praeferrent, nihilominus ab ejusdem doctrina valde valde desciscentes, magna in Ecclesia Dei provocarint scandala; ideoque conjiciendum jure est, Auctorem ex hoc studio ad eorumdem errores profligandos confirmasse seipsum. Praefati enim haeresiarchae fere in omnibus aut erroribus, sive absurdis, seu fabulosis commentis, vel in suis criminosis luridisque actibus conveniunt: quippe qui uni ab alteris talia haereditarunt et foverunt dogmata. Quibuscum falsa veris, graecorum deliria Christi institutionibus commiscentes, omnem subvertere laborarunt Evangelii veritatem. Quos quidem Origenes nominatim citat quandoque in hujus Operis excursu.

Reapse Marcionis *De Principiis* errata notans Epiphanius in *Haeresim* 42. n. 3. scribit: « Cujus schismatis argumentum Marcioni nebulo ille et impostor Cerdo praebuit. Nam et duo ipse Principia constituit. At Marcio tertium ad illius dogma Principium adjecit, ut omnino tria sint. Quorum unum sit supremum, quod neque nomine comprehendi, neque visu percipi potest, quem et bonum Deum appellat: a quo nihil sit eorum, quae in mundo sunt, conditum. Alterum vero Deum esse dicit aspectabilem ac Creatorem. Tertium denique diabolum

inter ambos illos, aspectabilem scilicet et eum, qui aspici nequit, interjectum. » Marcionistae, inquit Clemens, Christi Patrem bonum Deum ignotum norunt; Opificem vero Deum malum. Ab his peregrinis opinionibus non longe distat Basilides, quem ait Irenaeus, aberrare in quaerendis rerum principiis: cum omnia ad unum *Principium* idest Deum omnipotentem reducenda sint, et unum necesse rerum omnium *Principium* ac Dominum confiteri. Similiter Valentinus varias, falsas et confusas hujusmodi commentus est *De Principio* fabulationes.

Deinde ab his *De Principiis* aberrationibus, in quas inciderunt tres haeresiarchae, tanquam necessariae illationes, alii subsecuti sunt errores. Et potissimum quod asserant mundi Opificem Deum malum et ferum, et diversum a Deo Christi Patre, qui est bonus Deus; qui nihil condidit eorum, quae in mundo sunt. Ex hoc namque, dico, directe seu indirecte cumulus ille consequitur absurdorum; quae numerantur praesertim a Clemente Alexandrino, ab Irenaeo, a Tertulliano et Epiphanio: et contra quae alacriter dimicavit Origenes in hoc *De Principiis* tractatu.

Ut autem hic quoddam, nostris admodum disquisitionibus utile, praebeam illorum specimen ex Marcione, qui praedecessorum suorum Valentini et Basilidis dogmata hujusmodi collegit, instauravitque, constat, ipsius scholam, praeter ea, quae nuper recitata sunt contendere, Christum juxta divinam naturam ex Maria natum non esse; nec animam et

corpus assumpsisse; sed per ipsam, carnem phantasticam secum tulisse. Item diabolum tenebat non esse Dei opificium. Alium Deum fingebat Legis et prophetarum, et alium Deum Evangelii. Diversas hominum naturas ac varias animarum species introducebat. Materiam adstruebat ingenitam esse. Corpoream resurrectionem negabat. Animas de coelo lapsas, earumque ab aliis in alia corpora migrationes statuit. Mundi consumptionem per ignem docuit et in nihilum redigendum. In Scripturis sacris nihil per allegoriam volebat intelligi, uti ob hoc de his dicit Origenes in Libro IV. n. 9. « Horum autem omnium falsae intelligentiae causa his, de quibus supra diximus, non alia extitit, nisi quod sancta Scriptura ab his non secundum spiritalem sensum, sed secundum litterae sonum intelligitur. » Nuptias item condemnabat veluti humanae societati perniciosas. Denique ab his falsitatibus de origine mali, de Deo malo opifice mundi, de humana natura et similibus, cum per se rationalium arbitratui adversentur, in hunc quoque scopulum impegit, existimans, homines tanquam res inanimatas naturalibus operationibus veluti funibus trahi; penitus sublatis cum libera voluntate, actuum humanorum meritis.

Et haec omnia itaque, saneque absurda a Basilide, Valentino et Marcione inventa, unis alteri sua communicantibus somnia, atque uno confoederatis conflictu ad doctrinae catholicae expugnationem, Origenes veritatis zelator prosternere studuit in libris, eodem *De Principiis* titulo inscriptis, quae

ipsi praetendebant adversus apostolicas institutiones. Quapropter sicubi nos et tituli Operis rationem, et haeresiarchas eorumque errata, in quae dimicavit Origenes, aperte dignovimus; decipi non videmur, statuentes, in *Periarchon* libris studiosam contineri confutationem eorum, quae summatim eruta sunt ex trium haereticorum sensu. Proindeque haud arduum videtur criterium justum de eisdem instituere libris, deque variis expositionibus ab Auctore elaboratis ex Scripturis, ex traditione et ex sana philosophia contra ipsorum commenta. Quae quidem ceu *in magnis et in maximis a veritate discordia*, Origenes vocat *falsa absurda*, *versuta*, *stolida*, *impia*, *ecclesiasticae fidei*, *Deoque injuriosa*, *ac erratici spiritus depravationes*. Unde sapienter praefatus anonymus seculi VI. in *Confutatione haereseos Praedestinatorum* Libro I. c. 21. ait: « Marcionitae, cum universalem Orientis Ecclesiam macularent, ab Origene superati, confutati et per singulas sunt civitates damnati. »

Nihilominus non sunt praetermittendae hîc et aliorum suspiciones de sincera Origenis fide in his compingendis libris, tum ob ea, quae Marcellus Ancyranus haereticus exprobravit Auctori, quasi ipse disciplinis secularibus instructus, quaedam minus recte scripsisset: « ex g. Platonis dogmatum et variorum ejus principiorum memor, librum quemdam inscripsit *De Principiis* etc. » tum ob ea quae hujusmódi Marcelli sensibus ceteri, Origenis inculpandi causa, addiderunt; uti testatur Pamphilus, ab Apo-

logetici initio scribens: « Incipientes igitur indiciis scriptorum suorum ostendere, quid de singulis senserit, ex his praecipue libris testimonia congregabimus, quos accusatores ejus quam maxime criminantur, idest, quos per spatium et quietem in secreto conscripsit. Hos enim asserunt maxime a praedicatione ecclesiastica discrepare: ex his praecipue libris, quos *Periarchon* attitulavit; in quibus quamplurima a calumniatoribus incusantur. In his ergo ipsis inter principia, quali expositione fidei usus sit, proferemus: tum deinde et ex his sparsim, vel per ipsos libros, vel ceteros sensit, assignabimus, eum praedicationem apostolicam custodisse. »

Quam porro injuriose adversus Origenem oblocutus sit Marcellus Ancyranus, ex confutatione Eusebii comprehenditur; uti suo loco patebit. Quod autem ait s. Martyr, Origenem citatos libros *per spatium et quietem in secreto conscripsisse*, nemo cogitet, nonnullas peregrinas opiniones, aut quidquam varium a catholica fide introducere voluisse Auctorem; quasi, ceteris tractatibus huic *Periarchon* aequiparatis, alius fuerit secrete Origenes in suis doctrinis, quam palam profitebatur. Per illud namque *spatium et quietem* s. Martyr non tam sejunctum ab aliis laboribus consideravit Auctorem, quantum materiae momentum et difficultatem, ejusque sedulitatem in hoc explendo Opere, dissimili valde a catechistico sermone, et a Scripturarum expositione. Sed de his, sicuti de reliquis agemus suo loco, ubi singillatim citata excutientur argumenta. Tantummodo hinc le-

ctor, postquam hujus summarii expenderit dicta, accepta hypothesi, in his libris tam falsa impiave conserta fuisse, mecum necessario assentietur, (quod paulo ante statui) mirum sane videri, ac inauditum hucusque fore, Origenem admodum sollicitum in instituendo veritatis principio, in eodem laborasse Opere, ut ipsum principium destrueret. Inauditum inquam ac pene incredibile, Auctorem in dogmate christiano ab adversariis vindicando studiosum, manum cum eisdem ad illud evellendum porrexisse.

Nihilominus, et quis crederet? contra expectationem hoc factum esse perspeximus. Quomodo tamen, me quis rogabit, haec evenerunt super Origenem ejusque scripta? Ubi, inquam, ab agricola bonum semen satum fuit in agro; eidem semini postea ab alio commixta sunt zizania. Inimicus homo hoc fecit; ac tali usus vafritia, ut messores nescientes zizania a tritico separare, atque inimicum detegere hominem, qui ea superseminavit, omnia tradiderint igni comburenda. Et agricolae laborem, sollertiam, ingenuitatem, fidem in dominico arvo excolendo, tanquam malum ipsius reputantes opus, partem constituerunt ei cum reprobis extra Domini vineam: nec ei quidem condonantes, quae ceteris condonarunt scriptoribus: qui quasdam tunc doctrinas exponendas suscipientes, nondum a supremo Ecclesiae magisterio exploratas ac definitas, minus recta dixisse videntur.

Si autem nosse velis, cujus generis sint zizania tritico supersata; omnes falsas scias esse inter-

pretationes, corruptiones, falsationes, interpolationes, ab invidia, a malitia elaboratas, et ab odio in dogma catholicum et in ejusdem defensorem Origenem. Quarum falsationum structores tanta perfidia et studio egerunt, ut, alterum *Periarchon* impium opus gnosticorum, in quibus marcionitae eminebant, et alterum Origenis orthodoxi, duo volumina inter se auctore, fide et scopo substantialiter antea distincta, adeo deinceps confuderint, ut unum videretur et unius auctoris opus.

Istud autem, ni fallor, ac una illusionem suam, qua captus est, videtur significare s. Gregorius Nyssenus (ceterum in aliis valde miratus Origenem) in c. 28. *De hominis opificio*, inquiens: « Ac fortasse alienum non est disputationis nostrae proposito id expendere, quod in ecclesiis de anima et corpore controversum est. Nonnullis enim ante nos, qui *περὶ τῶν ἀρχῶν λόγον De Principiis* Tractatum edidere, placet animas veluti quemdam populum in propria urbe ante substitisse: atque ibi esse proposita exempla tum virtutis, tum malitiae; eamque animam, quae in virtute et honestate permanserit, congressam et conflictationem corporis minime experiri. Si vero a boni participatione defluxerit, in hanc vitam delabi sicque esse in corpore . . . . . Qui partem priorem defendunt; et rempublicam animorum quamdam priorem vita nostra in corpore, constituunt; mihi quidem a graecanicis illis disciplinis hominum doctrinae veritatis ignarorum immunes esse non videntur. Qui fabulas quasdam de

animorum ex aliis in alia corpora migrationibus commenti sunt. »

Praeterea in Libro *de Anima*, philosophorum opiniones et praesertim ex Platonicis, quod spectat ad *Metempsychosim* citat Cronium qui in Commentario de *Palingenesia*: « ita migrationem animarum in alia corpora nuncupat; et omnes animas ratione praeditas esse vult. In eadem sententia est Theodorus Platonicus in libro inscripto *quod anima sit omnis species*. » Deinde prope finem subdit: « Quod si dixerint, animam pro supplicio peccatorum ante commissorum in humana vita, ad hujusmodi corpora adlegari; idest ad corpora brutorum ex posterioribus demonstrationem faciunt. . . . . Ceterum animarum gradus et ascensus et descensus, quos Origenes inducit, ut nulla in re divinis concinnentes eloquiis, neque christianorum decretis congruentes, praetermittere par est. » Haec porro non admisisse Origenem, ut sic pateat Nysseni illusio, inferius speciali pertractatione exhibentur.

Sed et his aliae superaddendae sunt causae, vagae scilicet in libros ejusdem contextae expositiones, ac quorumdam illusiones. Qui etsi viri cordati, probi, ac veritatis zelatores, culpam Auctoris praeter scientiam aggravarunt; cum aliter fuisset necesse, ut ejusdem, ceu decebat, vindicias suscipientes, interpolatorum falsatorumque caverent malitiam; ac de reliquis quidquam donarent viro, qui plura discutiens argumenta difficillima (in quibus fidei christianae mysteria) fieri potuit, ut intentis aevi cir-

cumstantiis in nonnullis minus faceret, sive minus apta scriberet invitus.

Ac interim si illorum, qui textum librorum Origenis falsarunt, aut rectum illius sensum perverterunt, nomen lateat, quamvis ab ipsius aevo et successive numerentur plures, ut ait s. Pamphilus; attamen nobis satis constant, aliorum praeter Methodium nomina, idest Theophili episcopi alexandrini, s. Epiphanii et s. Hieronymi: qui calami fraudulenti nescii circa seculi quinti initium, validissimam operam navarunt, ut nomen et scripta Origenis ceu noxia, haeretica et blasphema anathemati subjicerentur, censitis erroribus, quorum summam speciatim reperies saepe suis insertam libris, repetitam deinde ab Antipatro, ac demum citatam et refutatam in Epistola Justiniani ad Mennam. Quo ex tempore ob praesumptam Origenis damnationem in Synodo oecumenica V. visa est ipsius fama cessisse omnino obtrectantium insidiis, et illusorum simplicitati. Et hoc est quod speciatim s. Martyr in suo notavit ac praemisit Apologetico, inquiens, plures inveniri Origenis accusatores, se non legisse in ejusdem scriptis ejusmodi sphalmata, sed tantummodo ab aliis audivisse, dicentes. Ac insuper alios reperiri, *qui ausi sunt libellos adversus eum conscribere, eosque publicando derogare ei viro, qui per tot annos Magister fuit Ecclesiae: quique in Ecclesia Catholica senuit.* Quales libelli iidem sane erant, super quos posteri Epiphanius, Theophilus, Hieronymus aliique criminationem instruxerunt, refutationem et damnationem.

Hujusmodi porro errorum summam praebet s. Hieronymus (postquam adversus Origenem alium induit hominem) in Libro II. n. 12. contra Ruffinum, dicens: « Probo ego inter multa Origenis mala, haec maxime haeretica: Dei Filium creaturam: Spiritum Sanctum ministrum: mundos innumerabiles, aeternis sibi seculis succedentes: angelos versos in animas hominum: animam Salvatoris fuisse antequam nasceretur ex Maria; et hanc esse, quae cum in forma Dei esset, non est rapinam arbitrata, aequalem se esse Deo; sed se exinanivit formam servi accipiens: resurrectionem nostrorum corporum sic futuram, ut eadem membra non habeant, quia cessantibus membrorum officiis, superfluo membra reddantur: ipsaque corpora tenuia et spiritalia paulatim evanescere, et in auram tenuem atque in nihilum dissipari: in restitutione omnium, quando indulgentia principalis venerit, Cherubim et Seraphim, Thronos, Principatus, Dominationes, Virtutes, Potestates, Archangelos, Angelos, diabolum, daemones, animas omnium hominum tam christianorum, quam judaeorum et gentilium, unius conditionis et mensurae fore: cumque ad formam et libram aequitatis pervenerint: et rationabiles creaturas, omni corporum faece deposita, novus de mundi exsilio populi revertentis monstraverit exercitus, tunc rursus ex alio principio fieri mundum alium, et alia corpora; quibus labentes de coelo animae vestiantur, ut verendum nobis sit, ne qui nunc viri sumus, postea nascamur in foeminas; et quae hodie virgo, nunc for-

te prostibulum sit. Haec in Origenis libris: ego haeretica doceo: tu ostende in quo ejus opere his contraria legeris. Nolo dicas etc. » Sed et in Epistola ad Avitum haec omnia absurda instaurat, adjiciens vocabuli *restitutio* sensum, quam futuram dicit: « Et in qua non solum peccatores omnes absolvendos; sed et ipsum diabolum, et angelos ejus, quandoque relaxandos esse de poenis, ut restitutio omnium possit intelligi: »

Praeterea una cum Hieronymo Epiphanius et Theophilus (praecipuus illusionis Hieronymi auctor) ista et alia hujus generis menda praenotarunt uti ejusdem Origenis sensus, idest de Deo corporeo: de Filii exclusione in precibus ad Patrem Deum; de secunda Christi Redemptione; de Metempsychosi; de åeternitate materiae; de pluritate mundorum; de nuptiis arcendis; de philosophiae praestantia super Scripturas; de animarum praeexistentia; de earum lapsu e coelis in terras, corporibus ad poenas illigandarum; et cetera similia commenta. Quae Cassiodorus ad trigintaquinque capita reducit, inquiens, a Theophilo confutata et damnata fuisse. Quorum tamen non solum perspexeris singularem speciem, sed etiam mutuo sese ea destruere, ita ut virum potius delirum in his, quam sui compotem probes auctorem.

Verumtamen haec modo sufficiant. Interest enim ut hic delibata, singillatim a nobis et accurato studio exponantur: ut, quae spopondimus pro viribus nostris, Deoque juvante, arreptis, detractorum

calumnia patefiat; et origenianae undique splendeat doctrinae integritas. Et sic, quod amplius praestat, famae illorum pariter consuluerimus irreprehensibilium et sanctissimorum virorum, pietatis, doctrinae et omnium praebentium in Ecclesia Christi exempla virtutum; qui ob Origenis tuitionem in suspicionem deducti sunt haereseos.


Novissimo, cum saepius in his discussionibus, sicut antea, necesse sit veterum Ecclesiae Scriptorum, atque etiam sanctorum Patrum scrutari dicta, hisque fidem derogare ob ea, quae adversus Origenem praesumpserunt, alii ab aliis minus caute dicta recipientes, neglectisque fontibus, unde hujusmodi emanarunt criminationes: ideo non abs re erit, horum nomina hic recensere: scilicet s. Methodii Martyris, s. Epiphanii contra Haeresim n. 64. et praesertim in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, Theophili episcopi alexandrini in Synodica et in duabus Epistolis Paschalibus; s. Hieronymi in Libris adversus Ruffinum et in Epistola ad Avitum et alibi; Antipatri in Libello, quem obtulit Ephraemo Antiochemo, et Justiniani in Epistola ad Mennam. Isti per scripta sua Origenis refutarunt errores, eumque haereticum inclamarunt. Tametsi Methodius et Epiphanius serius temperasse sive retractasse visi sunt adversam de Origenis doctrina opinionem.

Et quidem in his mirari non desinam fidem, scientiam, zelum in dogmate catholico propugnando; sicuti tantumdem in Methodio, in Epiphanio et Hie-

ronymo una cum praefatis dotibus singularem quoque pietatem et sanctitatem colo inter ceteros Ecclesiae Patres. De omnibus et in omnibus sanctum illorum scopum probo, encomiisque exorno in erroribus, impietatibus, et absurdis, quae Origeni inscribuntur, condemnandis. Cum his omnimode convenio sicuti cum Ecclesia in professione fidei catholicae quae hujusmodi abnuit impietates. Nihilominus (mihi donetur) non videor praefatis Patribus convenire, neque cum ipsis arbitrari, Origenem reapse talia professum et docuisse absurda tum ob ea, quae in prima Parte expensa sunt, et maxime in sequentibus discutientur.

Item nec istud in hoc praevio loco omittendum, quod s. Hieronymus, postquam per omnia Theophilo adhaesit, eumque ducem sibi constituit invectivarum in Origenem, de seipso dicit, et confessus est: se nempe praesertim in Occidentali Ecclesia per epistolas studiose, summopere, incessanter elaborasse adversus Origenis scripta, ejus personam, et origenistas. Et hoc perspicue dicit in Libro I. n. 12. contra Ruffinum, scribens: « Alioqui, si quidquid contra Origenem et sectatores ejus dicitur, in te dictum putas, ergo et epistolae papae Theophili et Epiphanii et aliorum episcoporum, quas nuper ipsis jubentibus transtuli, te petunt, te lacerant. Imperatorum quoque scripta, quae de Alexandria et Aegypto origenistas pelli jubent, me suggerente dictata sunt. Ut Romanae urbis Pontifex miro eos odio detestetur, meum consilium fuit. Ut

totus orbis post translationem tuam in Origenis odia exarserit, quem antea simpliciter lectitabat, meus operatus est stilus. » Hac posita ingenua confessione, siquando, ut confido, patefactum fuerit, Theophilum et Hieronymum, super documenta falsa, veluti super arenam aedificasse cunctas insimulationes adversus Origenem, istiusque patronos: necessario sequetur, in ictu oculi totam ruituram molem contra sanctos viros instructam; et penitus ceu nebulam dissipari illusionem, qua magister cum discipulo infaustissime captus est.



CAPUT I.

De rationalium creaturarum statu ante et post resurrectionem, ac de mundi hujus consummatione, expensis potissimum, quae de his diversimode ex Libris Periarchon *interpretati sunt Hieronymus et Ruffinus: unde illustranda veniunt in prima parte discussa de vita futura, ac de poenarum aeternitate; et ubi mens Origenis contra adversariorum placita amplius patebit tum sibi, tum dogmati catholico consectaria.*

Ab hujus capitis initio, quemvis non lateat, opinor, cum legerit praefatorum Origenis sphalmatum cumulum, in quae impingere visus est, non lateat, dico, talia non constituere suipsius fidei professionem, nec in ecclesiis ab eo expositam. Quinimmo illum tenendum esse tanquam rapsodiam (eamdem quam ex libris s. Gregorii Nysseni compegerunt haeretici, ut secum ipsis illum haberent consentientem) rapsodiam, inquam ab aliena manu, proprioque ingenio hinc inde e scriptis illius regestam, atque ex variis non satis expensis ejusdem dictionibus, sive corrupta earum significatione, adeo ut quae non scripsit, quae non sensit Adamantius, tanquam hujus foetum existimarint posteri, sedula quacumque seposita librorum suorum investigatione. Et id eo amplius, si attendantur, quae ille passus sit ab haereticis coaevis, et maxime in iis, quae daemonum sortem pertingebant; et unde accidisse dixi, quod in verticem ipsius converterentur errores, a quibus plane abhorruit. Hoc autem partim ostensum est; ac insuper a sequentibus patefiet, in medium adlatis, quae Ruffinus potissimum et Hieronymus mutuo disputarunt de praefatis erroribus.

Interea conferantur, quae Hieronymus ipse de Origene scribit in citato Libro II. contra Ruffinum; ut inde cetera contra ipsum commenta, quanti sint facienda, dignoscatur: « Resurrectionem, ait Origenes, nostrorum corporum sic futuram, ut eadem membra non habeant; quia cessantibus membrorum officiis, superfluo membra reddentur; ipsaque corpora tenuia et spiritalia paulatim evanescere et in auram

tenuem atque in nihilum dissipari. » Praeterea in quinta Synodo (ut vulgo putatur) adjecta sunt alia de conditione corporis in resurrectione excitandi juxta Origenem, humana corpora rotunda et orbiculari specie resurrectura in judicio, uti antea dictum est, asserentem.

Ex his porro insimulationibus, uti patet, una ab altera discrepat. Item quod magis nostrum provocat stuporem altera est Theophili insimulatio, quam in Epistola Paschali I. n. 13. intexuit adversus Origenem et quidem de eadem re, sed in sensu aliis opposito. Ait enim: « Obsecro, fratres carissimi, ut ignoscatis dolori meo, doctrinis impiis resistenti. Dum enim impudentiam sectatorum ejus (Origenis) repercutere nitimur, compagem loricae ipsius et venenati pectoris fraudulentias in medium protulimus; ut illud quoque compleretur in eo: *revelabo ignominiam tuam, et ostendam eam amatoribus tuis*. Nam inter cetera etiam resurrectionem a mortuis, quae spes est salutis nostrae, ita corrumpit et violat, ut audeat dicere, corpora nostra suscitatum quidem iri: sed sic ut corruptelae rursus ac morti subjaceant. Responde mihi o impietatis caput: quomodo juxta Apostolum Paulum vicerit Christus eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum? Si corruptibilia et mortalia iterum corpora surrectura sunt, quid nobis profuit Christi passio, si mors atque corruptio denuo nostra corpora possessura sunt? etc. »

Comparatis itaque inter se et Hieronymi, et Auctoris Epistolae ad Mennam et Theophili accusationibus in eo quod putavit et scripsit Origenes de humanae carnis resurrectione, ut vides, inter se recta mutuo adversantur, ita ut nescias cuinam credendum sit. Si enim tribus simul assensum praestiteris, tunc insanus apparebit Origenes, quum hic negat, quod alibi probat. Si uni ex praefatis auctoribus, excepto altero, credendum sit; tunc ceteris duobus injuria fit, quasi Origenis mentem non consecuti fuerint. Hoc tamen eorum nemini videtur inscribendum, nisi librorum Origenis interpolationibus, aut falsis expositionibus, a quibus minus caverint; et ob hoc illusi sunt.

Ceterum ut constet in hoc argumento, quam injuriose correptus sit Origenes, revocentur quae alibi a me exposita

sunt de carnis resurrectione secundum ipsius sensum: et ubi ostendi, illum luculentissimis ac frequentissimis testimoniis hoc dogma propugnasse contra haereticos. Et profecto vix unum repereris Tractatum, sive Commentarium, sive Homiliam; in quibus carnis resurrectionem non admiserit, et corporis sane ejusdem, quod homo ante obitum induit, solidum nempe palpabile et integrum sicuti illud ipsum, quod a Deo conditum est in Adamo, secreta hinc tantummodo *chachïa* sive pravatae naturae vitiis et infirmitatibus in eodem Adamo peccatore contractis; quare immortalis ipsius natura et incorrupta in alteram fuit mortalem et corruptibilem demutata. Nihilominus tum ad latiorem hujus argumenti declarationem tum adversariorum objectionibus respondendum, cetera adeamus scrutatum Origenis testimonia de corporea resurrectione, in quibus errasse videtur. Et primo animadvertenda est expositio in verba Redemptoris ex Tomo XVII. n. 29. 30. *in Matthaeum*: *in illo die accesserunt ad Jesum sadducaei, qui dicunt non esse resurrectionem etc.* Priusquam vero Origenis excutiamus expositum, nos non lateat, sicuti alibi dictum est, duplicem Auctoris textum nobis exhiberi ab Editoribus Maurinis; unum graecum recentiorem cum latina Huetii vesione; alterum, qui ad nos venit sub titulo *Vetus Interpretatio*. Qui cum universim alter ab altero varient; cumque Vetus Interpretatio omnino praeferenda sit textui graeco uti interpolato, prout speciali disquisitione in prima Parte egimus; ideo tantummodo ex prisco latino Interprete in hoc loco quaerenda est Origenis mens de resurrectionis dogmate.

Ita ergo ipse scribit: « Quoniam ad defensionem sui erroris proferunt sadducaei exemplum de Lege mosaica, dignum mihi visum est ponere ipsum textum Legis, quem proferunt sadducaei, habentem hoc modo in Deuteronomio: *si habitaverint fratres in idipsum et mortuus fuerit unus ex eis, semen autem non fuerit ei etc.* Haec verba legentes sadducaei, et nihil dignum Deo intelligentes in eis, arbitrati sunt non posse fieri propter haec verba, ut mortui resurgant, ut vir iterum sit virilia habens membra, aut mulier sit muliebria habens membra. Et Dominus quidem respondit eis, volunta-

tem verborum Legis non exposuit quasi indignis hujusmodi agnitione mysterii, sed tantum simpliciter eis dixit resurrectionem futuram: contestantibus hoc etiam Scripturis divinis, quoniam illic nuptiae non sunt, sed erunt, qui resurrexerint, sicuti angeli in coelo, et quia transformabunt corpora humilitatis eorum secundum corpora angelorum coelestia atque luminea. »

Duo quidem in hac Origenis expositione, adversariis erant accurate consideranda. Ipsi enim, cum putent Auctorem resurrectioni corporum mentiri, viderint ipsum modo corpoream, modo incorpoream ibidem admittere resurrectionem. Et si hoc fateri nolint, idest ut Origenes in eadem argumentatione, eodemque tempore affirmet et neget, tunc vel unum vel alterum excludendum erit. Itaque cum antea Origenes sadducaeos refellat arbitratos ea propter verba Deuteronomii circa legem leviratus, fieri non posse ut mortui resurgant, ut vir virilia, et mulier muliebria habeat membra: ita locutus profecto in resurrectione corpora admittit, corpora compacta, ac membra cuique sexui propria. Nisi quod, veluti Jesus docuit, in vita futura non erunt nuptiae; sed erunt homines sicuti angeli in coelo, ac ideo nec nuptiis dantes operam, nec numero augendi, nec morte imminuendi, nec aetate adolescentes, nec annis senescentes, nec multo minus morbis laborantes: adeo ut, sicuti postea n. 33. subdit, aliter melius foret non esse resurrectionem, quam ut sit talis, qualem existimant sadducaei: « Si autem est ibi aut pater, aut frater, aut aliud hujusmodi, non tamen est secundum nativitatem carnalem, neque per mulierem, neque per turpes corporis partes. »

Quapropter cum in loco citato corpora statuat transformata excitanda secundum corpora angelorum coelestia ac luminea, quin destruat quod ibi praemisit de soliditate corporum in resurrectione, solummodo illud ait ob assimilationem et quoad praefatas qualitates sublimiores, quibus corpus resurrecturum adornandum erit. Qui ergo Origenis locutionem ita perpenderit, mediam incedens viam, nec uni, nec alteri inficiabitur: nec corpus admittet in resurrectione huic praesenti simile tot vicibus infaustis obnoxium; neque alte-

rum corpus admittet angelicum, quasi corpus istud transmutandum sit in eamdem angelorum substantiam; nec demum in alias aberrabit fabulas (quas paulo post censet Origenes) dicentium esse secula *aeona* masculina et foeminina; qui finxerunt et conjunctiones *aeonum* seculorum illorum, quae non sunt, neque quorum fit memoria in Scripturis.

Verumtamen non hinc tantum, quid his verbis sibi velit Adamantius, innotescit; sed et aliunde ex Libro III. n. 42. contra Celsum. Ibi namque amplissime ostenditur metaphorae sensus, qua consideravit corpora resurrectura aetheria sive coelestia et instar substantiae angelicae lucida. Celsus itaque objecerat de Jesu, christianis *qui, cum mortali corpore constaret, Deum existimarint, et in hoc ipsos pios videri*: « Quare Celsus, inquit Origenes, dialecticae non satis meminit, cum humanas Jesu carnes cum auro, argento et lapide comparans, ait carnes illas his rebus esse magis ad corruptionem propensas. Nam si accurate loqui volumus, nihil incorruptibile est, quod sit incorruptibili incorruptibilius, neque corruptibile corruptibili corruptibilius. Sane vero sit quidpiam ad corruptionem pronius, dicemus tamen. Si materiae qualitatibus omnibus subjectae, mutari possunt qualitates; cur fieri non potuit, ut caro Jesu, mutatis qualitatibus, talis evaserit, qualem oportuit esse, quae in aethere, ac locis aethere superioribus versaretur; nihilque haberet eorum, quae infirmae carnis propria sunt, et quae Celsus impura vocat? Qua etiam in re peccat contra Philosophiae leges. Nam proprie quod impurum est, id oritur a vitio. Impura autem non est natura corporis. Non enim, qua natura corporea est, ea *chachïan* malitiam impuritatis genitricem conjunctam habet. »

Quapropter ex his intuere quomodo alibi Origenes Jesu corpus post resurrectionem aetherium dixerit. Videas nimirum, cur Auctor Christum in coelos ascendentem, humanitatem tamen dicat illuc contulisse; nec eam unquam exuisse, nec mutasse nisi in iis, quae vitae praesentis infirmitates ac mortem gignunt. Ideoque paulo ante n. 35. et Libro II. 62. scribit, Jesu corpus post resurrectionem quid medium fuisse inter corpus crassum et subtile, inde ejusdem incorruptibili-

tatem denotans; cum in coelos nihil crassum, alibi subdit, de terra, malisque, quae in ea sunt, innumeris, pertingit.

Item in Libro II. *De Resurrectione*, Jesum fatetur Origenes resurrexisse a mortuis cum ipso corpore, quod susceperat a Maria: ac insuper in Apologia Pamphili c. VII. ipsum corpus secum in coelum ascendisse. Quod dicit verba Psalmi exponens: *et caro mea requiescet in spe*: « Dominus Jesus Christus haec ait, cujus primum caro requievit in spe. Crucifixus enim est, primogenitus ex mortuis factus; et post resurrectionem assumptus in coelum, secum terrenum corpus evexit, ita ut terrerentur et obstuperent virtutes coelestes videntes carnem ascendentem in coelum...... Offendatur qui vult ex nostro sermone; ego autem cum omni fiducia assevero, quia sicut primogenitus ex mortuis Christus est, ita primus carnem evexit ad coelum. Denique novitate ipsa perterrentur coelestes virtutes, quia quod nunquam antea viderant, nunc videbant carnem ascendisse in coelum etc. » Igitur si corpus Christi ex Virgine susceptum, verum corpus fuerit, membris compactum, solidumque et palpabile; jure infertur, Adamantium cum ait alibi Salvatoris corpus aetheris instar in coelis collocatum, nequaquam absolute dixisse; quinimmo relative tantum, et quidem quoad corpus infirmitatibus hujus seculi obnoxium, et quidem mortale. Aliter asserendum foret, Jesum revera corpus aetherium, indeque impassibile e Virgine gestasse: quod sane nefas cogitare est.

Reversis itaque ad quaestionem praecipuam de carnis in supremo tempore resurrectione, in qua errasse praesumunt Origenem, cum in citato loco scripserit, resurrectura nostra abjectionis corpora transfiguratum iri, eaque talia evasura, sicuti angelorum natura est, aetheria scilicet et lucida, nihil obesse patet dogmati de reali corporum eorumdem resurrectione, quibus nunc induimur, remotis tamen inde *chachias* malitiae effectibus. Quae porro hucusque expendimus aeque accommodantur iis, quae in Libro I. *De Principiis* c. VI. 4. notavit Origenes ex alterius opinione: « Quoniam in illo fine omnis substantia corporalis ita pura erit atque purgata, ut aetheris in modum et coelestis cujusdam puritatis atque sinceritatis possit intelligi. » Cum namque dicit in mundi con-

summatione essentiam corpoream puram fore et purgatam ad modum aetheris, satis noverimus ipsum nolle corporis resurgentis proprietatem nuncupare, verum quamdam similitudinem adsciscere, quam praeseferet substantia corporea in illo die: et eo magis cum paulo antea dixerit, corporum naturam tunc temporis non corrumpi, neque dissolvi, sed in melius tantummodo mutari. Praeterea neque nos lateat, quod ipse paulo post ait in c. VII. n. 5. de astrorum natura: « Nam licet aethereum sit corpus astrorum, tamen est materiale. » Denique si meminerimus, quod ipse putaverit de corpore spiritali, in quo juxta Apostolum resurgent omnes (in quod vocabulum venit idea incorruptibilitatis) ac cetera quae saepissime expendit contra dogmatis de resurrectione hostes, merito sane ab simili de aetheriis corporibus in vita futura errore absolvendus est Origenes.

Verumtamen circa quaestionem de corporibus aereis resuscitandis, consulantur, quae ipse contra haereticos scribit, resurrectionem quidem mortuorum admittentes, attamen sine corpore. In hos Libro II. *Periarchon* c. X. 2. agit ostendens, corpora una resurrectura nobiscum ad indumentum nostri; et profecto cum nostris ipsis corporibus, artubus constrictis resurgemus, quae antea induimus, immortalitate insuper praeditis, inqnit: « Quoniam ergo haeretici eruditissimi sibi videntur et sapientissimi, interrogabimus eos, si omne corpus schema habeat aliquod. Et si quidem dixerint esse corpus, quod non aliquo habitu deformetur, idest formam aliquam praeferat; imperitissimi omnium atque insipientissimi videbuntur. Nullus enim hoc negabit, nisi sit ab omni eruditione penitus alienus. Si vero secundum id quod consequens est, dixerint, quia omne corpus certa aliqua forma instruitur, requiremus ab eis, si possunt nobis spiritalis corporis habitum sive formam monstrare atque describere: quod utique nullo modo facere poterunt. » Ceterum quod non probe vidit in Origenis dogmate de Resurrectione Hieronymus, vidit Ambrosius; qui in Libro VII. Commentariorum in Lucae caput IX. ait: « Nam si solis radium e règione, corporea nequit acies sustinere; quomodo Dei gloriam humanorum feret corruptela membrorum? Eoque purior et sub-

tilior exhausta concretione vitiorum, corporis habitus in resurrectione formatur. » Et in Symbolum Apostolorum addit: « In illo itaque die cum aetas fuerit una cunctorum, sanctus et peccator erunt simili resurrectione perfecti. Neç inter se variabunt tempore nec aetate; sed alius ad praemia aeterna, et in centuplum bona recipienda, alius ad perpetua supplicia pertrahetur. » Haec autem verba non Ambrosio tantum, quantum Origeni credenda sunt.

Quod autem hucusque frustra de corporibus aetheriis in Origenem consertum est ab adversariis, repetendum est in iis, quae de eisdem corporibus resurrecturis putarunt sensisse Auctorem; quasi rotunda ac instar sphaerae sine membrorum secretione resuscitanda sint corpora. Nullibi enim Operum suorum talis reperitur error aut suspicio, nisi in Sermone *De Oratione* c. 31. ubi apostolica verba *hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem etc.* interpretatus inquit: « Spiritualem autem genuflexionem sic dictam eo quod omnia, quae sunt, Deum adorent in nomine Jesu; ipsique se humiliter subjiciant, ostendere mihi videtur Apostolus in his: *ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum.* Neque enim ullo modo putandum est (graecanicum sermonem pressius sequor) nullo enim modo suspiciendum est, schemata sive formas praeseferre supercoelestium corpora, adeo ut et genua habeant ipsi, ex quo sphaerica ab iis, qui de illis accurate tractarunt, ostendatur esse illorum corpora. Qui autem noluerit hoc adprobare; atque eorum (supercoelestium) unicuique opus esse membris, ne frustra in eis aliquid factum sit a Deo, nisi impudenter se gerat contra rationem, utrinque offendens: sive dicet, membra corporis frustra et non ad opus proprium condita illis (supercoelestibus) fuisse a Deo; aut dicet viscera et intestinum rectum, usum proprium conficere etiam in coelis. Porro stultissime aget, si statuarum instar quis cogitaverit, superficiem solam esse hominis speciem, non autem quoque ea, quae intus sunt. Et haec a me dicuntur, genuflexionem disquirenti et consideranti: *in nomine Jesu omne genuflectetur coelestium, terrestrium et infernorum:* Sed et hoc dictum est in Propheta: *mihi incurvabitur omne genu.* »

Quid autem ea verba commune habeant cum dogmate de corporum humanorum resurrectione, horumque rotunditate in vita futura, videat qui attente perspexerit in Origenis mentem excutientis, quomodo omnia quae sunt sive in coelis, sive in terra, sive in subterraneis, singula pro suo more genua flectant coram Jesu adorationis ergo et confessionis. Quamvis insuper de spiritibus coelestibus hoc dixisse putaveris Auctorem (quippe substantiam corpoream quodammodo iisdem tribuat) nihil hoc officit doctrinae de futura resurgentium corporum conditione; non enim angeli unquam resurgent. Verum e contextu de cunctis creaturis patet potius loqui Adamantium; proinde quae corpora coelestia ibi nuncupat, astra indicat: quae, cum per Dei Verbum sicuti et omnia facta sint, omnia pariter mystice genuflectunt coram eo, ejusque virtutem extollunt, veluti Psalmista saepius cecinit.

Insuper et quoad ista de rotundis corporibus, et quoad alia de aetheriis, quae paulo ante Origeni objiciebantur veluti erronea, admodum confert, quod ipse in Libro II. *De Resurrectione* ex divi Pauli verbis: *alia caro animalium, alia volucrum, alia piscium etc.* scribit: « Sed sicut non est putandum, quod animalium corpus accepturus sit peccator, aut volucrum, aut piscium; sic neque solis, aut lunae, aut stellarum formam sperandum est accipere eos, qui resurgent in gloria; sed exempli causa dicta esse haec ab Apostolo sentiendum est, ut designetur per haec, quod alii pro meritis suis honorabiliores et clariores erunt, beatiora quoque habitacula sortituri etc. » Interea ex his cernito, quam immerito Hieronymus et cum eo Auctor Epistolae ad Mennam, Origenem reprobaverint, quasi ipse corporum resurrectionem negasset, seu Ecclesiae Catholicae sensum corrupisset de natura corporis mutandi in resurrectione; ac amplius aliquando veluti res tenuis ac spiritalis, dissipandi, et in nihilum paulatim reducendi, adeo ut caro culpae particeps, nihil inde passura sit apud inferos etc.

Demum in hunc locum revocanda sunt, quae saepius et quidem immerito s. Doctor eidem Adamantio exprobrat ex Commentario *in Matthaeum* et praecipue ex Libris *De Princi-*

piis; ubi valde errasse putat Origenem circa rerum omnium ac rationalium substantiarum restaurationem, de daemonum libertate ad meliora revertendi, ut sic fiant angeli, quemadmodum e contra homines et angeli fiant daemones etc. Talis Hieronymi censura duas potissimum complectitur quaestiones; ideoque ambae separatim expendendae sunt. Et primo quoad totius rationalis creaturae instaurationem in pristinum, quae sub nominibus *apocatastasis* et *palingenesias* frequentius in scripta venit Origenis, quemadmodum hujus certa significatio Petavium, Huetium, ceterosque recentiores latuit; ita quoque ibi Hieronymus vidit et consideravit, quod nunquam Origenes (sicuti nec Gregorius Nyssenus) admisit; adeo ut non solum in eisdem Adamantii libris confutarit veluti falsum, quod ipse non sensit; verum et alias inde excitarit illationes profecto dogmati catholico hostiles, ac uti ipsius Origenis foetus reputatas. Ast alibi a me ex Nysseni et Origenis Operibus satis satisque patefactum est regenerationis seu restitutionis in pristinum, vocabulum, sicuti et usus et sensus. Penitus enim aliter, quam per eam reprobis et daemonibus,-suppliciis aeternis damnatis, expectanda quandoque sit salus, sive horum conversio in angelicam dignitatem, sicuti et proborum in adversas potestates, comprehenditur.

Quapropter si lectori libuerit, adeat, quae superius de hoc argumento dicta sunt, cum hic ab iis recitandis supersedeo. Verum hinc potius amoti perscrutatum adeamus, quae circa *Periarchon* praesertim libros, erroresque ipsis insertos mutuo contenderunt Hieronymus et Ruffinus. Ac primum quid sentiendum sit de eorumdem librorum integritate, num fuerint nec ne interpolati, seu glossa adaucti, an sensus eorum corruptus, vel etiam male ab inscia mente expositi, aut improbo calamo pravati, et sic tandem in vulgus traducti ad imperitorum scandalum, fidelium offensionem, atque ipsius Origenis ignominiam.



CAPUT II.

De mutuis Hieronymi et Ruffini contestationibus ob Periarchon *codicum varietatem et speciatim circa quaestionem de Metempsychosi.*

In tanta porro rei difficultate admodum lectori conferet ob oculos habere, quae Ruffinus, quae Hieronymus et speciatim de iis reproborum sortem spectantibus in vita futura, mutuo disputarunt, sicuti cetera de eodem argumento notata ac damnata in Epistola Justiniani imperatoris ad Mennam. Ac amplius novisse proderit, quae Ruffinus vertit et subtraxit a citatis libris veluti spuria; et quae Hieronymus adjecit in sua translatione ac si ejusdem Origenis foetum: ut inde, utriusque collata versione, constet, num pro Ruffino seu pro Hieronymo stet veritas; et an revera erraverit Origenes vel ab errore abfuerit in iis, quae docuit.

In hujus autem generis quaestionibus pariter multum conducit primo universim Scriptoris mentem sedulo perscrutari, quid scilicet ipse animo suo potissimum advertit in his libris adornandis; deinde sermonis ordinem una cum eo sectari; contra quos maxime et pro quibus disputaverit; quaeque insuper veluti certa, atque apostolicae traditioni consentanea; et quae denique tamquam ex privata opinione docuerit; ac ideo in his prudentiorum judicio se submittens. Quae omnia cujusvis libri interpres, sive glossator sine partium studio animo complecti ac opere conficere debet; ne forte, ibi videat, quod auctor non perspexerit, ibidem sentiat, quod scriptor non animadvertit; ne forte errorem ibi condemnet ac refutet, ubi erroris vestigia non apparent: et ne forte, quod maxime cavendum est ab interprete: ne forte quod ex alieno ore ita docuerit (quodque tamen neutiquam ipse probaret, neque in sua fidei professione contineret) tanquam mentis suipsius sensum comprehendat.

His praemissis, priusquam de utriusque et Ruffini et Hieronymi quaestionibus dicam circa praefatam librorum *De Principiis* corruptionem, cuivis patent, praestoque sunt plura

et accurate tradita jam ab initio hujus disquisitionis, Adamantii testimonia de poenis, quibus et daemones et homines reprobi ad interminabile aevum subjiciendi erunt. Et insuper nemo erit, qui non viderit (exceptis *De Principiis libris*, ex Hieronymi versione tamen, et ex Justiniani Epistola, non vero ex Ruffini translatione) nemo erit qui non viderit ubique sparsim hue illuc ex plurimis cujusque generis scriptis, dicta, quibus absolute seu relative, sive recta, aut oblique dogma de suppliciorum perpetuitate pertingit penitus limpidis Christi verbis uniformis: *et ibunt ii in supplicium aeternum*. Quinimmo in hac re quotidie sibi consectarius, indubius, et alacriter fideles instruit firmavitque; atque huic veritati hostiles perpetuo pugnando, contrivit.

Praeterea neminem quoque latet (quod argumento nostro valde satisfacit) libros quatuor *De Principiis* et ubi praecipuus ejusdem error de poenis, prout Hieronymus, Justinianus, ceterique asserunt, contra catholicum dogma manifeste adstruitur: eos libros, inquam, juxta criticorum testimonium, Origenem edidisse circa Christi annum 231; cum et ante et post illos dies Commentaria maxime in totam Scripturam concinnaverit, Tractatus varios confecerit, Homilias in ecclesiis recitaverit. In quibus raro Auctorem, uti nuper notavi, utpote de re gravis momenti, totiusque scopo evangelicae dispensationis, siluisse vel transegisse de retributionibus in altera vita et quidem de nunquam desituris poenis, sive praemiis, repereris. Ideo qui fieri potest, ipsum ibi negasse quod alibi firmavit, nunc poenarum terminum adstruentem, modo illi adversatum, quin tantae tantique momenti antilogiae vim sentiret, neque hujus praevideret effectum coram Deo et hominibus? in scandalum quidem gentibus, Deique Ecclesiae dedecus?

Similiter notatu dignum est quod in Praefatione *Periarchon* obtestatur Origenes, suam emittens fidei professionem; nec non regulam definiens, quam pergeret in iis evolvendis argumentis; cum ait se Christi fidem amplexum, apud graecos nolle et apud barbaros veritatem quaerere, sed neque apud illos, qui varimode in Ecclesia sentiebant a primaeva traditione. Cum enim ita obtestetur Origenes, vix credendum

est, eumdem deinde contra ea, quae spopondit, de mundi fine, de resurrectione carnis, de vita aeterna, de proborum impiorumque sorte etc. disserentem, ab ecclesiastico dogmate defecisse, et opiniones de graecorum philosophia et barbarorum circa *Metempsychosim* et cetera hujusmodi petitas, in suos libros detulisse, easque fidelibus propinasse; uti ex priscis velint, et ex recentioribus plerique.

Et re quidem vera, siqua in medium proferantur ex citatis libris, non paullulum, quam statui, roborabitur sententia de horum librorum interpolatione et glossa aliter ab Auctoris mente exactis, quomodocumque id factum sit, sive per errorem et invite, aut per haereticam perfidiam. Admodum porro in hac quaestione valet quod legitur in *Periarchon* Libro I. c. VIII. n. 4. simul sumptis, quae ex graeco vertit et exposuit Hieronymus in Epistola ad Avitum, et quae transtulit Justinianus in citatis litteris ad Mennam, et quae tradidit in sua versione Ruffinus.

Interpretatio s. Hieronymi

« Ad extremum Libri I. (inquit), sermone latissimo disputavit (Origenes) angelum sive animam, aut certe daemonem, quos unius asserit esse naturae, sed diversarum voluntatum, pro magnitudine negligentiae et stultitiae jumentum fieri posse: et pro dolore poenarum et ignis ardore, magis eligere ut brutum animal sit, et in aquis habitet et fluctibus; ac corpus assumere hujus vel illius pecoris; ut nobis non solum quadrupedum, sed et piscium corpora sint timenda. Et ad extremum ne teneretur Pythagorici dogmatis reus, qui asserit *Metempsychosim*, post tam nefandam disputationem, qua lectoris animum vulneravit, haec inquit, juxta nostram sententiam, non sint dogmata, sed quaesita tantum atque projecta ne penitus intractata viderentur. » Et sic interpretatur Hieronymus. Auctor vero Epistolae ad Mennam eadem verba summatim transferens: « anima, ait, deficiens a bono, et vergens ad nequitiam, diutiusque in ipsa permanens, nisi resipiscat, prae insipientia efferatur, seu jumentum evadit; atque ob pravitatem brutescit. » Et paulo post addit « eligitque

ut brutescat, vitam etiam, ut ita dicam, aquatilem, et forte pro merito majoris ad vitium prolapsionis, induit corpus aquaticum hujus, vel hujus bruti animalis. »

Versio Ruffini

Ruffinus autem aliter vidit et exposuit citatam Origenis pericopem, sic interpretatus: « Illa sane nos nequaquam recipienda censemus, quae et a quibusdam superfluo vel requiri vel astrui solent; idest quod animae in tantum sui decessum veniant, ut naturae rationabilis atque dignitatis oblitae, etiam in ordinem irrationabilium animantium vel bestiarum, vel pecudum devolvantur. Pro quibus etiam quasdam ex Scripturis commentitias afferre astructiones solent; idest quod vel pecus, cui se mulier contra naturam subjecerit; in reatum pariter cum muliere devocetur, ac lapidari pariter jubeatur: vel quod taurus cornupeta lapidari nihilominus praecipitur; sed et quod Balaam asina, os ejus Deo aperiente, locuta est, et subjugale mutum in hominum voce respondens arguit Prophetae dementiam. Quas nos non solum non suscipimus, sed et omnes has assertiones eorum contra fidem nostram venientes refutamus, atque respuimus. Verumtamen suo loco et tempore, confutato hoc perverso dogmate et depulso, ea quae de sanctis Scripturis ab illis prolata sunt, qualiter intelligi debeant, exponemus. »

His tribus versionibus simul collatis, quisque viderit, Hieronymum et Justiniani Epistolam nisi verbotenus, sensu tamen convenire, Origeni dogma de transmigratione animarum in alia corpora adjudicantes, ipsum arbitrati ita sensisse et docuisse. Ruffinus autem diversimode Origenis verba transferens, non nisi ea haereticorum commenta statuit, contra quae dimicasset ipse Adamantius. Ideoque quod ex pravorum hominum ore dixit ille, profecto tanquam fidei suae tessera, nequaquam habendum est; alioquin ex divinis Scripturis probaretur non esse Deum, quia Psalmista ait: *dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*

Verumtamen cum nobis hucusque desit textus graecus genuinus, unde citati Interpretes latinam compegerunt ver-

sionem (nam quod legitur in Epistola Justiniani sensum tantummodo tradit, non autem ipsius ipsa verba, uti infra dicetur) non nisi ex contextu primum, deinde ex ceteris Origenis libris, ubi hoc idem fuse agitur argumentum, disquirere licet. Et id sane in cujusvis scripti genuitate, et auctoris mente investigandis, ob oculos potissimum habendum est; num scilicet nec ne Auctor sibi uniformem ibi se praestiterit in dogmate firmando, quod alibi docuit. Et hoc munus est interpretis, hoc opus studiosi lectoris.

His legibus nostrae quaestioni accommodatis, quoad immediatum sermonis contextum, patet praecipuam Origenis argumenti partem de rationali creatura versari, ejusque capacitate ad bonum et ad malum, deque angelorum ordinibus tam proborum quam reproborum, eorumque variis officiis, ut ipse ait, juxta eorumdem diversum statum et sortem. Deinde expositis quae ad coelestes rationales creaturas et quae ad adversarias, seu ad malignos spiritus aut mundi rectores tenebrarum spectant, subdit: « Tertius vero creaturae rationabilis ordo est earum, quae ad humanum genus replendum aptae judicantur, idest animae hominum per profectum etiam in illum angelorum ordinem assumptae, ex quibus quosdam videmus assumi, illos videlicet, qui filii Deo facti fuerint, vel filii resurrectionis, vel ii, qui dereliquerint tenebras, et dilexerint lucem, et facti fuerint filii lucis: vel ii, qui omnem pugnam superantes, et pacifici effecti, filii pacis et filii Dei fuerint: vel qui mortificantes membra sua, quae sunt super terram, et transcendentes non solum corpoream naturam, verum etiam animae ipsius ambiguos fragilesque motus, adjunxerint se Domino, facti ex integro spiritus, ut sint cum illo unus spiritus semper, cum ipso singula quaeque discernentes, usquequo perveniant in hoc, ut perfecte effecti spiritales, omnia discernant per hoc, quod in omni sanctitate illuminati sensu per verbum et sapientiam Dei, a nullo penitus possint discerni. Illa sane nos etc. » uti superius notatum est.

In hoc itaque sermone illud excutit Origenes, ostendens quomodo ex hominibus nonnulli, uti creaturae rationales, suique juris ac ideo boni malique capaces, possint per pro-

fectum in virtutibus ad meliora transferri non solum, sed et in angelicum ordinem assumi, quod sane symbolum christianae perfectionis constituit. Quique ideo in Scripturis filii Dei vocantur, filii pacis; quippe membra sua in terris mortificantes, propriam naturam corpoream transcendentes angelorum instar, ex integro spiritus effecti atque unum cum Domino vivunt, et permanent. Quae omnia ex Apostoli mente praecipue, prope cujus verba loquitur Adamantius, comprehendenda sunt. S. enim Paulus ibi non in sensu absoluto de hominibus probis loquitur, quasi naturae Dei, sive angelorum spiritali participes aliquando fieri possint. Hoc non dicit Apostolus, nec item id vult Origenes; verumtamen improprie, seu per assimilationem de hominis conditione loquitur in Deum a spiritu absorpti, tum cum ipse per fidem, spem, et charitatem ita a Deo assumptus, carnis illecebras superat, fragiles ejus motus cohibet; atque terrestris domi oblitus, totus in Deo vivit, et quasi angelus coeli sedes inhabitat. Et hoc item docet Apostolus; ex. g. *ad Romanos* c. VIII. 14. 16. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Pariter I. *ad Corinthios* c. II. 15. c. VI. 17. *Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est.* Similiter *ad Colossenses* c. III. 5. *Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem immunditiam etc.* Item 2. *ad Corinthios* c. III. 18. *Nos vero ait omnes, revelata facie, gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu.* Ac denique *ad Romanos* c. VIII. 37. 39: *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque etc. poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.* Quae omnia collegit et interpretatus est Origenes in praefata pericopo; et potissimum in novissimis, dicens: « Usquequo perveniant in hoc ut perfecti effecti spiritales, omnia discernant per hoc, quod in omni sanctitate illuminati sensu per Verbum et sapientiam Dei, a nullo penitus possint discerni, seu separari.

Ex his ergo nihil de *Metempsychosi* eruitur, quasi hujus adstipulator Origenes habeatur; neque multo minus e sequentibus. Auctor enim postquam de christiani perfectione, ob ejus in virtutibus profectum, in spiritum Dei transformati disseruit; ne forte quis ex suis offensus verbis et aliter horum sensum comprehendens, infidelium et pravorum animas (ex adverso illarum sanctarum conditioni, quae super terrena elatae, carnalibus oblivioni traditis, nihil nisi Deum cupiunt, cum eo esse, et tanquam filios Dei, et angelos lucis coram eo versari) inferret transituras in corpora jumentorum, ac ita ne et ipse Origenes videretur in haereticam delapsus insaniam de animarum transmigratione, ab his lectorem cavet, hujus opinionis falsitatem ostendens, veluti nuper dixi, sermonis ordine servato.

Hujusmodi autem praeferre sensum Origenis verba, sicuti Ruffinus in sua translatione vertit; proindeque ejusdem interpretis genuinam ac sinceram habendam esse versionem seorsim ab ea, quam male exhibuerunt Hieronymus et Justinianus, ex antithesi exurgit, in quam fraequentissime incideret Origenes; cum alibi firme et alacriter dimicarit contra fabulas de animarum transmigratione. De multis autem profecto, satis sint quae sequuntur. In Libro III. c. 75. contra Celsum, fatuos et insanos vocat, qui in varia corpora transmigrare animas putabant. Item in Libro VIII. 30: « Neque vero censemus animam e corpore in corpus migrare, et eam ad brutorum usque animantium conditionem dejici.... Neque enim decet animae ratione participis domicilium indecore, et ubicumque projici, ut brutorum animalium cadaver: praesertim cum, qui honorant corpus, ubi anima ratione praedita habitavit, ii persuasum habeant hunc honorem redundare in eum, qui animam accepit, pulchre usam hujusmodi instrumento. » Item *in Joannem* Tomo VI. n. 7. ex verbis: *et interrogaverunt eum: quid ergo? Elias es tu? et dicit, non sum... Si vultis accipere, ipse est Elias, qui venturus est*, multa contra transcorporationis patronos disserens, evangelicam sententiam diluit adversus praesertim nonnullos ex judaeis, qui falso hanc comprehenderant.

Similiter Tomo XIII. *in Matthaeum* n. 1. ex Salvatoris dictis: *Elias quidem venturus est primum et restituet omnia. Dico autem vobis, quoniam Elias jam venit* etc: « Quod dicit (Jesus) propter Joannem: *Elias jam venit*, non anima Eliae est intelligenda, ut ne incidamus in dogma transcorporationis, quod alienum est ab ecclesiastica veritate. » Ac ibi vehementer instat Origenes in praefatorum verborum de Elia disquisitionem, ne forte quis persuasus, animam de qua agitur, eamdem esse Eliae et Joannis, opinionem amplecteretur de migratione animarum in corpora varia.

Verum quod praestat et amplissime ostendit Adamantii sensum in hac quaestione, ceteris remissis testimoniis, nobis exhibetur in Commentario Epistolae *ad Romanos*, Libro V. n. 1. verbis expositis: *ego autem vivebam sine Lege aliquando*: ubi haec Basilidi exprobrat: « Sed ea Basilides non advertens, de lege naturali debere intelligi, ad ineptas et impias fabulas sermonem apostolicum traxit, et in *μετενσωματώσεως* dogma, idest, quod animae in alia atque alia corpora transfundantur, ex hoc Apostoli dicto conatur adstruere. *Dixit enim, inquit Apostolus, quia ego vivebam sine lege aliquando, hoc est, antequam in istud corpus venirem: in ea specie corporis vixi, quae sub lege non esset, pecudis scilicet, vel avis.* Sed non respexit ad id, quod sequitur, idest: *sed ubi venit mandatum, peccatum revixit.* Non enim dixit, se venisse ad mandatum, sed ad se venisse mandatum: et peccatum non dixit non fuisse in se, sed mortuum fuisse et revixisse. In quo utique ostendit, quod de una eademque vita sua utrunque loqueretur. At Basilides, et siqui cum ipso hoc sentiunt, in sua impietate relinquantur. Nos autem Apostoli sensum juxta pietatem ecclesiastici dogmatis advertamus etc. »

Denique Libro VI. n. 8. adjecit: « Si ergo in anima dicitur revixisse peccatum, quomodo hi de hoc sermone Apostoli, quo ait: *ego autem vivebam sine lege aliquando*, dogma transcorporationis introducunt, quod animas hominum prius in pecudibus, vel avibus, vel piscibus docet fuisse, et sic venisse ad homines: et propterea dixisse Apostolum: *ego autem sine lege vivebam aliquando*, quasi qui antequam in hoc corpus veniret humanum, vixerit eo ordine (verbi gratia) aut

avium, aut animalium, ubi lex nulla haberetur.... Haec adversum illos dicta sint, qui Apostoli sermonem ad dogma impium trahunt. »

His ergo expositis, probatur nullibi, praeter citatum ab Hieronymo et Justiniano testimonium ex Libro 1. *De Principiis*, nullibi quidquam simile reperiri docuisse Origenem de animarum transmigratione. Quinimmo aperto sermone, neque semel, neque bis sed saepius talem refutavit opinionem: utque haereticam et impiorum hominum foetum abjecit, ceu penitus dogmati apostolico obversam; adeo ut ne animo quidem fingi possit, paululum his erroribus acquievisse Adamantium aut dubitasse. Ideoque ne me temeritatis arguat quis, si praefatum textum veluti ab Hieronymo et Justiniano ex graeco latine translatum, non litteram sed sensum potius indicantem, nullum dicam praeseferre signum originalis genuitatis, verum pravatum, corruptumque fuisse, ac nullius ideo fidei haberi. Cum e contrario sincera tenenda sit lectio codicis a Ruffino praestita tanquam contextui, et Auctoris menti satis satisque accommodata; quam universim, ubicumque Origenes illud argumentum pertigit, perpetuo ratam fecit comprobavitque, uti hucusque patefactum est. Et id potissimum in postremo Libri dicti roboratur: « Verumtamen, ait, suo loco et tempore, confutato hoc perverso dogmate et depulso, ea, quae de sanctis Scripturis ab illis prolata sunt, qualiter intelligi debeant, exponemus. » Tessera manifestissima haec est, (cum hic notentur, quae superius ab Evangelio maxime expendit Origenes de Joanne et Elia) Ruffini versionem a corruptionis labe et Auctoris doctrinam ab errore ire immunes.

Cum autem in hac disquisitione eo devenerimus, ut firma habeatur interpolatio hujus pericopae, sicuti tradunt Hieronymus et Justinianus, cumque valeat quod vulgo dicitur: *et ab uno disce omnes*, idem tenendum est de ceteris locutionibus; quas celebrati viri, aliter ab eo, quod vertit Ruffinus, vertentes, hinc inde ex eisdem libris collectas, aliena manu depravatas, tanquam haereticas impiasque respuentes, una cum iis Auctorem earumdem reprobarunt Origenem.

Postea cum contra nos facere videntur, et quae Scripsit Hieronymus in Ruffinum de eadem re; et quae ipse no-

tavit Ruffinus eidem Hieronymo respondens, et speciatim in iis, quae mutuo contenderunt circa *Periarchon* translationem in latinum idioma (cum satis nobis de graeci textus, quem ipse dictavit Origenes, et quidem integri, amissione dolendum sit), idcirco sedulam navantes operam, sinceras primum Ruffini obtestationes perscrutemur, quas bis in Prologo Libri primi et tertii inscripsit, *Invectivis* deinde conferendas in Hieronymum. Ubi et errores iste coarguit Origenis, et Ruffini ejusdem consilium in his vertendis edendisque erroribus ad Ecclesiae scandalum et fidelium exitium (1).

Ruffinus itaque ad Macarium scribens, multorum et illius praecipue volens satisfacere desiderio latino sermone graecum Origenem in Libris *De Principiis* legendi, in primis rei difficultatem objecit, dicens ab haereticis et malevolis corruptos ejusdem libros, et praesertim *Periarchon*: « Qui sunt revera alias et obscurissimi et difficillimi. De rebus enim talibus ibi disputat, in quibus philosophi omni aetate sua consumpta, invenire potuerunt nihil. Hic vero noster, quantum potuit, id egit, ut Creatoris fidem et creaturarum rationem, quam illi ad impietatem traxerant, ad pietatem iste converteret. Sicubi ergo nos in libris ejus aliquid contra id invenimus, quod ab ipso in ceteris locis pie de Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc et alienum aut praetermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter invenimus affirmatam. Siqua sane velut peritis jam et scientibus loquens, dum breviter transire vult, obscurius protulit; nos, ut manifestior fieret locus, ea, quae de ipsa re in aliis ejus libris apertius legeramus, adjecimus explanationi studentes: nihil tamen nostrum diximus; sed licet in aliis locis dicta, tamen sua sibi reddidimus. Hoc autem idcirco in Praefatione commonui ne forte calumniatores iterum se criminandi putent invenisse materiam. Sed viderint quid perversi et contentiosi homines agant. Nobis interim tantus labor (si tamen, orantibus vobis, Deus juverit) idcirco

(1) Quae porro in hoc loco expendentur, referantur tum ad ea, quae diximus, tum ad cetera, quae infra disputanda accedent circa varias *Periarchon* versiones.

susceptus est, non ut calumniosis os (quod fieri non potest, licet forte etiam hoc faciet Deus) clauderemus; sed ut proficere ad scientiam rerum volentibus, materiam praeberemus. »

Haec ait Ruffinus in citato Prologo; in altero vero, qui tertio et quarto libro praecedit, fere item loquitur, dicens se quaedam in his emendasse, veluti in praefatis: « ne ea, quae reliquis ejus sententiis, et nostrae fidei contraria videbantur, interpretarer; sed velut inserta ea ab aliis et adulterata praeterirem. De creaturis vero rationalibus siquid novi dixisse visus est, quia non in hoc est summa fidei, scientiae gratia et exercitii, cum forte nobis adversum nonnullas haereses tali ordine necessario respondendum est, neque in his libellis, neque in superioribus praetermisi, nisi siqua forte jam in superioribus dicta, repetere etiam in his posterioribus voluit, et brevitatis causa aliqua ex his resecare commodum duxi. Siquis tamen proficiendi et non obtrectandi studio haec legat, rectius facit, si exponi sibi haec a peritioribus velit etc. »

Quivis interim quae scripsit Ruffinus in utroque horum librorum Prologo animadvertat, primum, hos eum difficillimos et obscurissimos dixisse libros repererit, cum ibi argumenta pertractentur, in quibus philosophi frustra laborarunt; ac ideo in fine secundi Prologi: « absurdum, ait, ea, quae vel de Deo, vel de coelestibus virtutibus, ac de omni universitate dicuntur, in quibus omnis vel paganorum philosophorum, vel haereticorum pravus error arguitur, sine magistro et explanatore putare aliquem posse se discere. Et ita fit ut res difficiles et obscuras malint homines per temeritatem et inscientiam condemnare, quam per diligentiam et studium discere. » Unde arbitror Origenis mentem ab interpretibus ita falsatam esse, a nonnullis quidem inscie, ab aliis autem data opera, ut tot deinde tantaque in Ecclesia offendicula excitarentur; quod partim superius ostendi et infra magis patefiet.

Secundo, ejusdem Ruffini sinceram perspiciet mentem in his exponendis libris, cum ait in iis quaedam emendasse erronea quippe alieno calamo corrupta, ea accommodantem ceteris locis (maxime ubi de Trinitate agebatur) in quibus pie de hoc mysterio fuerat ab eo definitum. Item in altero

Prologo rursus profitetur, asserens se quaedam ibidem inscripta, Origenis fidei et dogmatibus alibi ab eo acceptis et probatis contraria, praeteriisse veluti ab aliis inserta.

Tertio noverit quoque obscura nonnulla de iis libris explanasse Ruffinum ex aliis mutuatum Origenis scriptis, ubi ea patentius tradebantur. Et sic ait Ruffinus, se ei (Origeni) sua reddidisse. Et amplius in altero Prologo de creaturis rationabilibus, se nihil subdit mutasse in sua versione, nisi quaedam resecando, quae antea jam discussa fuerant.

Ideoque sedulo Ruffini animum ex tali confessione quisquis investigarit, non nisi pauca ipsum mutasse compererit de *Periarchon*, et tantummodo quae de mysterio Trinitatis vertebantur. Cetera vero in vario genere quaestionibus obscura quidem satisque ardua, non abradendo, nec corrumpendo sustulit, nec mutavit aliter a codicibus graecis; sed quae obscura tantum ex aliis ejusdem Adamantii scriptis pari sensu, majori verum perspicuitate praedita in hos eosdem libros detulit; quin tamen nec horum, nec ceterorum, qui sub Origenis nomine veniebant, codicum obesset integritati. Haec autem sunt, quae liquido hausimus de utroque Ruffini Prologo: eoque magis quod et ipse s. Hieronymus in Epistola ad Avitum ita comprehenderit Ruffini ipsius opus: dicit enim: « Quum haec ita se habeant, quae insania est, paucis de Filio et Spiritu Sancto commutatis, quae apertam blasphemiam praeferebant; cetera vero ita ut scripta sunt, protulisse in medium, et impia voce laudasse: quum utique et illa et ista de uno impietatis fonte processerint? » Et hoc item denique testatur Ruffinus in Apologia ad Anastasium Papam inquiens, se rogatum a fratribus de graeco in latinum transtulisse praefatos libros: « Graecis sensibus verba dedi latina tantummodo. Sive ergo laus in illis sensibus aliqua est, non est mea; sive culpa non est mea. Quinimmo illud adjeci, ut in quantum possem aliquanta deciderem; illa tamen, quae mihi ad suspicionem veniebant ab aliis fuisse inserta etc. » In quibus scilicet impetebatur Trinitatis dogma. Quid ergo amplius dubitandum manet, quin Ruffinus in graecis Origenis codicibus interpretandis, sive vera sive falsa dicerent (exceptis quae de Trinitate emendavit) sincerum eo-

rum sensum sectatus sit? Quapropter ex hoc primo loco immerito exprobrari videtur Ruffinus, quasi ipse Origenis scripta in contrariam significationem transvertisset, errores in veritates commutando, quemadmodum Hieronymo placuit ceterisque.

Verumtamen nec ignorare licet, eumdem Hieronymum Ruffini instar, parem exhibere fidem in hac perficienda versione, obtestatum se fideliter ab originali graeco libros *De Principiis* transtulisse in latinum sermonem; ac insuper indignari in Ruffinum quod ipse fraudulenter hos libros exposuisset. In Epistola 85. ad Paulinum scribit: « Unde necessitate compulsus sum (a Pammachio) transferre libros *De Principiis*, in quibus mali plus quam boni est; et hanc servare mensuram, ut nec adderem quid, nec demerem; graecamque fidem latina integritate servarem. Quorum exemplaria a supradicto fratre poteris mutuari etc. » Pammachius porro revera et Oceanus Hieronymo scripserant in Epistola 83. se schedulas habuisse, ubi volumina Origenis *De Principiis* latine versa legebantur. Cumque vero plura in iis difficilia captu, ac minus catholice dicta viderentur, rogarunt s. Doctorem ut: « supradictum librum Origenis ad fidem, quemadmodum ab ipso Auctore editus est tuo sermone manifestes, et quae a defensore ejus interpolata sunt, prodas. Et ut etiam, quae in his schedulis, quas ad sanctitatem tuam direximus, vel contra catholicam regulam, vel imperite edita sunt, redarguas atque convincas etc. » Denique post annos fere decem praefatus Hieronymus ad Avitum scribens ait, Pammachium ad se misisse cujusdam schedulas, quae Origenis *De Principiis* interpretata volumina continerent, immo vitiata. » Et ob hoc ab ipso Hieronymo postulabat Pammachius, ut graecam veritatem servaret in translatione: « Quamobrem, in Epistola 124. inquit, petis, Avite carissime, ut ipsum ad te exemplar dirigam, quod a me olim translatum, et nulli alii traditum, a supradicto fratre (Ruffino) perverse editum est. Accipe igitur quod petisti: sed ita ut scias detestanda tibi in eis esse quam plurima; et juxta sermonem Domini inter scorpiones et colubros incedendum etc. » Et sic notaturus adit Hieronymus loca praecipua, in quibus

visus sibi est errasse Origenes: sed a Ruffino emendata, in rectum sensum conversa fuisse.

Cum itaque ita se gerant mutuae et Ruffini et Hieronymi protestationes circa utriusque studium in accurata *Periarchon* interpretatione, quid inde decernendum nobis sit satis arduum est; et eo magis cum nobis desit magna pars graeci horum librorum textus, et insuper versio latina ab Hieronymo elaborata perierit: ac nobis tantummodo supersint, quae ipse in Epistola ad Avitum censuit veluti dogmati catholico infensa. Neque ideo de hac re pronunciare auderem, nisi quaestionis momentum, ad quam hucusque deveni, me investigatum impelleret, num codices graeci, quos uterque et Hieronymus et Ruffinus prae manibus habuit, fuerint nec ne sinceri, num haeretica manu interpolati; et an fortasse argumentorum, quae ibi ab Origene expenduntur, difficultas, ad offensionem aliquam eos impulerit.

Ac interim ob has, quas in utroque Prologo praemisit, observationes Ruffinus circa codices *Periarchon*, quos legit exposuitque, nemo ignorat tunc in vulgus et codices Origenis falsatos ire, et amplius libellos brevi sermone exactos, ubi congesti erant errores, eidem inscripti, de quibus s. Pamphilus aperte loquitur, et Anonymus citatus aliique. Verumtamen vix putandum est, omnes, quotquot per ecclesias legebantur, ipsius Origenis libros fuisse falsatos sive corruptos. Quapropter cum adversus Hieronymum ait Ruffinus se, in libris *Periarchon* vertendis, de creaturis rationalibus nihil mutasse; ac cum insuper addat, de Deo quaedam in ipsis codicibus emendasse, quae sibi videbantur iis contraire alibi ab Origene tractatis; jure arbitror, istos, quos Ruffinus transtulit codices, sinceros continere Auctoris sensus; eosdemque codices ad illorum classem pertinere, a mendis aut corruptionibus exemptorum. Et quae ideo emendare putavit Ruffinus relate ad Deum, aut divinae Trinitatis mysterium, non nisi a suspicionibus derivasse de horum codicum falsatione: quando ceteri, quoscumque vis, a Hieronymo lecti, undequaque corrupti videantur ab haereticis. Iique reapse erant, quos s. Pamphilus et Anonymus jure respuerunt.

Rebus sic stantibus, criticae leges, quae nobis in hujusmodi quaestionibus ob oculos perpetuo habendae sunt, quoad ipsae juverint, nos urgent accedere sententiae, Hieronymi versionem ab originali codicum veritate abhorrere, ob graeci textus falsationem ex perfidorum haereticorum studio adversus Origenem ejusque zelum in veritate catbolica propugnanda. Quam falsationem non animadvertens Hieronymus nec multo minus Theophilus tanto fervore irruperunt contra Origenis libros, ut magna pars ecclesiarum, in quibus africanae, exarserit adversus eumdem quasi tot impietatum auctorem: uti infra uberius disceptabitur.



CAPUT III.

Sequitur recensio in utramque Hieronymi et Ruffini translationem: unde Ruffini versionis in Periarchon *probatur fides sicuti et orthodoxia Origenis, et praesertim de resurrectione.*

Partim ex praemissis ostensum est quid sentiendum sit de Hieronymi versione, alteri Ruffini aequiparata. Modo vero eodem ordine cetera in Epistola ad Avitum notata investigantes amplioribus suffragiis assequemur, accuratiorem quam Hieronymi, fuisse Ruffini interpretationem; ac ideo contra dogmata catholica hucusque expensa nihil inde ex Origenis scriptis eruendum esse. Et re quidem vera, ex Libro III. *De Principiis* c. VI. n. 1. quod inscribitur *De mundi consummatione,* Hieronymus in citata Epistola, num verbotenus sive paraphrastice nescio, de suo codice haec tradit.

Versio s. Hieronymi

« Quia, ut crebro jam diximus, principium rursus ex fine generatur, quaeritur utrum et tunc futura sint corpora, an sine corporibus aliquando vivendum sit, quum redacta in nihilum fuerint: et incorporalium vita incorporalis esse credenda sit, qualem et Dei novimus. Nec dubium est, quin si omnia corpora ad mundum istum sensibilem pertineant, quae appellantur ab Apostolo visibilia, futura sit vita incorporalium incorporalis. Et paulo post: illud quoque quod ab eodem Apostolo dicitur: *omnis creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei,* sic intelligimus, ut primam creaturam rationabilium et incorporalium esse dicamus, quae non serviat corruptioni, eo quod non sit vestita corporibus; et ubicumque corpora fuerint, statim corruptio subsequatur. Postea autem liberabitur de servitute corruptionis, quando receperint gloriam filiorum Dei, et Deus fuerit omnia in omnibus. Et in eodem loco: Ut autem incorporeum finem omnium rerum esse credamus, illa nos Salvatoris oratio provocat, in qua ait: *ut quomodo ego et tu*

unum sumus, sic et isti in nobis unum sint. Etenim scire debemus, quid sit Deus, et quid sit futurus in fine Salvator: et quomodo in sanctis similitudo Patris et Filii repromissa sit: quomodo in se illi unum sunt, sic et isti in eis unum sint. Aut enim suscipiendum est, universitatis Deum vestiri corpore; et quomodo nos carnibus, sic illum qualibet materia circumdari; ut similitudo vitae Dei in fine sanctis possit aequari. Aut si hoc indecens est, maxime apud eos, qui saltem ex minima parte Dei sentire cupiunt majestatem, et ingenitae atque omnia excedentis naturae gloriam suspicari; e duobus alterum suscipere cogimur, ut aut desperemus similitudinem Dei, si eadem semper sumus corpora habituri: aut si beatitudo nobis ejusdem cum Deo vitae promittitur, eadem, qua vivit Deus, nobis conditione vivendum est. »

Versio Ruffini

Ruffinus vero longe aliter Origenis mentem exposuit ab eo, quod interpretatus est Hieronymus. De mundi namque consummatione arguens Adamantius, et quodammodo studens Scripturis divinis philosophorum placita accommodare in hac re, dicit: « Igitur summum bonum, ad quod natura rationalis universa festinat, quod etiam finis omnium dicitur, a quamplurimis etiam philosophorum hoc modo terminatur, quia summum bonum sit, prout possibile est, similem fieri Deo. Sed hoc non tam ipsorum inventum, quam ex divinis Libris ab eis assumptum puto. Hoc namque indicat Moyses ante omnes, cum primam conditionem hominis enarrat dicens: *et dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Tunc deinde addit: *et fecit Deus hominem, ad Dei imaginem fecit illum, masculum et foeminam fecit eos, et benedixit eos.* Hoc ergo, quod dixit: *ad imaginem Dei fecit illum*: et de similitudine siluit, non aliud indicat, nisi quod imaginis quidem dignitatem in prima conditione percepit; similitudinis vero perfectio in consummatione servata est: scilicet ut ipse sibi eam propriae industriae studiis ex Dei imitatione conscisceret, cum possibilitate sibi perfectionis in initiis data per imaginis dignitatem, in fine demum per operum

expletionem, perfectam sibi ipse similitudinem consummaret. Sed apertius haec et evidentius ita se habere Joannes Apostolus in Epistola 1. c. III. definit hoc modo pronuncians: *filioli nondum scimus quid futuri sumus: si vero revelatum nobis fuerit de Salvatore, sine dubio dicetis: similes ei erimus.* Per quod certissime indicat et finem omnium, quem adhuc sibi dicit ignotum et similitudinem Dei sperandam, quae pro meritorum perfectione praestabitur.

« Ipse quoque Dominus in Evangelio haec eadem non solum futura, verum etiam sui intercessione futura designat; dum ipse hoc a Patre discipulis suis impetrare dignatur, dicens: *Pater volo ut ubi ego sum et isti sint mecum; et sicut ego et tu unum sumus, ita et isti in nobis unum sint.* In quo jam videtur ipsa similitudo (si dici potest) proficere; et ex simili unum jam fieri, pro eo sine dubio quod in consummatione vel fine, omnia et in omnibus Deus est. In quo requiritur a nonnullis, si ratio naturae corporeae quamvis expurgatae ad liquidum et penitus spiritalis effectae, non videatur obsistere vel ad similitudinis dignitatem vel ad unitatis proprietatem: quod naturae divinae, quae utique incorporea est, nec similis videatur dici corporea natura posse; nec unum cum ea vere ac merito designari, maxime cum id, quod unum est Filius cum Patre, ad naturae referendum proprietatem fidei veritas doceat. »

Cernas igitur quam late distent ad invicem duo interpretes, et adeo mihi distare videntur, ut unus ex codice Origenis exceperit et probaverit, quod alter contrarium exposuit. Hieronymo, summatim ipsius verbis sumptis, visus est ibi mentiri Origenes corporeae resurrectioni, quasi is ex vita Dei, quippe incorporeus est Deus, etiam nos aliquando arguisset futuros incorporeos, *cum Deus fuerit omnia in omnibus:* « Nec dubium est, quin si omnia corpora ad mundum istum sensibilem pertineant, quae appellantur ab Apostolo visibilia, futura sit vita incorporalium incorporalis. » Et sic deinde concludit, cum nos futuri erimus cum Deo, necessario sine corpore secum ipso fore; aliter dicendum est, Deum hominis instar, corpore vestiri et carnibus. Et si hoc nefas dicere de Deo; sine corpore nos futuros asserendum est. Quod absit quandoque dixisse, seu excogitasse Origenem.

Ruffinus autem huic versioni contrait, ostendens rationalem creaturam in fine omnium, sive in seculi hujus consummatione, fore, sicuti fuit ab initio, quando scilicet Deus creavit eam ad imaginem et similitudinem suam. Quod argumentum frequentissime egit Adamantius, et praesertim cum haereticorum contundit pervicaciam, carnis resurrectionem fieri non posse contendentium ob illas, quibus conditio humana modo peccato obnoxia afficitur, vario genere infirmitates, prout saepius a me antea ex ejusdem libris comprobatum est. Quapropter Auctor, quae potissimum in c. VI. Libri I. disputavit, rursus hic resumit pro eo decertans, ut in novissimo compleantur Apostoli verba, *ut sit Deus omnia in omnibus*. Ac ideo necesse ait a mundo abolendum esse, causam mortis, peccatum; ut sic natura humana ad eamdem restituatur dignitatem, qua a Deo condita est primum ad imaginem scilicet et similitudinem suam.

Et hoc plane ostenditur ac roboratur ex iis, quae immediate sequuntur. n. 3. ubi omnino cadit, quod exposuit Hieronymus de statu incorporeo rationalium in resurrectione, et luculentius stant, quae Ruffinus interpretatus est utpote contextui ac sensui Auctoris magis accommodata: « Sic ergo finis, inquit, ad principium reparatus, et rerum exitus initiis collocatus, restituet illum statum, quem tunc habuit natura rationalis, cum de ligno sciendi bonum et malum comedere non egebat etc. » Natura rationabilis cum de ligno sciendi bonum et malum comedere non egebat, non erat incorporea, verum carne et ossibus compacta, sensibilis, palpabilis etc. Et hoc item praemiserat in Lib. II. c. X. I. scribens: « Quid ergo? Si certum est quod corporibus nobis utendum sit, et corpora, quae ceciderunt, resurgere praedicantur (non enim proprie dicitur resurgere, nisi id, quod ante ceciderit) nulli dubium est idcirco ea resurgere, ut his iterum ex resurrectione induamur. Alterum ergo haeret ex altero; nam et si resurgant corpora, sine dubio ad indumentum nostri resurgunt. Et si necesse est, nos esse in corporibus, sicut certe necesse est, non in aliis quam in nostris corporibus esse debemus, »

Nequis autem de hoc testimonio dubitet ac si ab eodem Ruffino Origenis libris inserto praeter illius mentem, adeat Librum VII. c. 32. contra Celsum, ubi nullus subit interpolationis metus; et ubi universalis resurrectionis mysterium apprime et adstruit Origenes, et menti apostolicae congruenter explicat: « Quoniam vero, inquit, resurrectionis dogma (altum sane et enarratur difficile, quodque maxime omnium indiget viro sapiente, immo in sapientia provecto, qui ostendat quam dignum Deo illud sit, quam sublime; siquidem ex illo discimus rationem seminis esse in hoc animae, ut Scripturae vocant, tabernaculo, in quo justi *ingemiscunt gravati, nolentes expoliari, sed supervestiri*); ideo Celsus irridet, qui non intelligit nec audivit nisi ab imperitis, qui nullo argumento illud adstruere poterant, utile fecerit, praeter ea, quae de hac re supra dicta sunt, hoc unum observare, quae de resurrectione tradimus, ea non proficisci, ut Celsus putat, ex male intellecta animarum a corporibus in corpora migratione; sed quia scimus animam natura incorpoream et invisibilem, in nullo corporeo consistere loco, quin indigeat corpore ad naturam illius loci accommodato: quod corpus modo quidem gestat, exuto priori (quod antea necessarium sed in posterum redundans) modo autem super illud, quod prius habebat, induitur meliori, quo indiget, ut ad puriores aethereos caelestesque locos perveniat. Et eadem ratione in hac vita nascens, membranam exuit, qua eam in vulva matris obvolvi utile erat, quamdiu in ea fuit; sed antequam illam exuat, corpus induit, quod erat in terra victuro necessarium. »

Ceterum quod ibi dicit Hieronymus, tanquam ex ore Origenis prolatum, de statu hominis incorporei in resurrectione, Apostoli verbis innixus: *quoniam et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*, reliquis adversatur interpretationibus, quas alibi eidem testimonio contulit Adamantius. Et hoc praesertim decernitur ex hujus Commentario *in Epistolam ad Romanos* Lib. VII. n. 4. ubi varimode citata verba expendit. Is namque ad Pauli mentem, hominem interiorem distinguens ab exteriore, primum quidem vocat incorruptibilem, invisibilem; et secundum propriam sibi rationem, et incorporeum ipsum dici pos-

se ait. Cum vero hominem exteriorem considerat, corporeum et corruptibilem vocat; a qua corruptione liberari cupit interior homo, ac ideo *congemiscit et condolet usque adhuc*. Cum autem interior homo ab hujusmodi corruptione eximendus erit, non exuet corpus solidum ex limo conditum, ac manu Dei effictum, sed manebit tamen, tantummodo ex corruptibili incorruptibile factum: cum nempe passionibus variisque morbis obnoxium antea fuerit, firmum deinde evadet, in virtute et immortalitate surgens. Quod postea ex sequentibus Apostoli verbis: *et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri*, ita explanat: « Potest autem et sic intelligi, ut redemptionem corporis nostri dicat illam, quae in resurrectione est futura, cum non solum animae sed et corpora venient *ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis, prout gessit;* et secundum illud, quod dictum est: *timete magis eum, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam*. Et ideo dolendum unicuique est in hoc seculo, et gemendum ne forte per malos actus et praesentis vitae negligentiam, non mereatur redemptionem corporis sui consequi; sed inveniat eum ista sententia, quae corpus et animam gehennae ignibus damnat. »

Tandem patet, quoties dictum: *omnis creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*, citavit Origenes, suosque sermones inde firmavit et speciatim in Commentario ejusdem Epistolae, nullibi reperiri, eumdem talem concinnasse interpretationem, quam inde ex graeco vertit Hieronymus, nimirum creaturas rationales in resurrectione fore corpore exuendas, fierique inde sine corpore Deo similes, a qua sententia penitus abhorruit Origenes. Ac ideo mirum, postquam evidentissime Origenis sensum de corporea resurrectione propugnavimus plurimis et manifestissimis testimoniis, quibus haereticorum errores confutavit; mirum sane est quod etiam Epiphanius et Methodius (summa vero reverentia de iis loquor) una cum Hieronymo putarint Auctorem carnis denegasse resurrectionem, ex quadam ejusdem discussione *in Psalmum I.* praesumptis argumentis; ubi quidem illius mens ab eo distat, ut dogmati refragetur corporeae resurrectionis. Et eo amplius crescit stupor, cum

et ipse Pamphilus martyr ex eodem Psalmi Commentario testimonium tulit ad mentis ipsius Origenis rectitudinem contra accusatores suos comprobandam circa fidem de reali corporis nostri resurrectione. Et revera quisquis totam perlegerit Adamantii discussionem, aliter nequit excogitare, quam quae ubique docuit et sensit juxta veterem Ecclesiae traditionem.

Attamen silere nolo, ibidem quaedam notari, unde fortasse praefati Patres suspicati sunt de Origenis fide; quae ideo lectoris commendo considerationi. Haec porro ita se habent juxta graecanicum textum ex Epiphanio de Haeresi 64. n. 15: *hoc autem dico, fratres, quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere nequeunt, neque corruptio incorruptionem.* Ea verba superius explanavimus, ac una sensum prodidimus Origenis nec non aliorum interpretum. Verumtamen haec dicta, uti leguntur apud Epiphanium, ita explicat Origenes: « *Ἴσως μὲν γαρ̀ ἔσται περὶ τοῦ τὸν ἅγιον διακρατούμενον, ὑπὸ τοῦ ἰδιοποιοῦτός ποτε τὴν σάρκα, σάρξ δὲ οὐκέτι, ἀλλ' ὅπερ ποτὲ ἐχαρακτηρίζετο ἐν τῇ σαρκὶ, τοῦτο χαρακτηριθήσεται ἐν τῷ πνευματικῷ σώματι.* Haec verba Dionysius Petavius, cum jure suspicatus sit in eisdem quamdam subrepsisse corruptionem, sic vertit: « Etsi enim fortasse eximium quiddam sanctorum corpori tribuendum erit, ut id carnis ipsa proprietas conservet, caro tamen amplius non erit; sed quod in carne, velut propria quaedam nota erat impressum, hoc idem in spiritali corpore consignandum erit. »

Tulerit nec ne punctum Petavius in ea versione nescio; et item num perspicua ibi Origenis mens manifestetur, quisque videat. Certum tamen est, dicta: *caro tamen amplius non erit,* absolute sumpta toti contraire Origenis locutioni. Auctor enim in praevia ejusdem Psalmi discussione, sicuti ubique ei contigerit de resurrectione loqui, ab homine resurrecturo carnem solidam, sive corpus membris compactum nunquam exclusit. Tantummodo, uti cuique patet ipsius legenti sermones, docet hanc peccati carnem, idest corpus infirmitatibus obnoxium haud excitandum; sed, veluti ait Apostolus, idem corpus in virtute, in incorruptione surget, ipsius *chachïa* malitia dissoluta, ut in aeternum vivat. Et hoc paulo ante sta-

tuit, inquiens: « Ad haec licet similis corporea illa forma sit, qua Petrus et Paulus potissimum constituitur; idque ipsum, quod in resurrectione, animae denuo tribuitur, sed in melius conversum, non tamen eadem est illa materia, quae corpori primum insita fuerat » Et amplius in eo ipso paragrapho 15 subdit: « Non te igitur offendat, siquis primam subjectam materiam non eamdem tunc dixerit futuram, cum ne biduo quidem modo eamdem illam permanere posse, ratio ipsa declaret, siquis mentem velit advertere. » Cum itaque Adamantius *primam subjectam materiam* dixerit; inde sequitur necessario materiam pariter sive carnem etsi non eamdem, quam prius induit homo, hanc ipsam solidam in futura vita consistere sicuti in hoc seculo extitit; nisi quod tunc in melius conversa fuerit a *chachïa* detersa.

Quapropter si in resurrectione Deus sepulchra patefaciat, ut nos ad vitam instauret perinde ac Lazarum Salvator, uti paulo post ipse dicit; quomodo stabit verborum sensus in praefato testimonio: *caro tamen amplius non erit*? Cernito ergo antithesim. Ideoque sive interpolatum, sive confusum, illud volueris, aut sensum abruptum, seu aliter decernas, fatendum tamen tibi erit, nec verborum syntaxim, nec locutionem antea excussis ab Origene, consequentem convenire. Et ob hoc, quae s. Epiphanius, sive Methodius in ipsum urgent Origenem tanquam carnis resurrectioni adversatum, nullius sunt momenti. Nimia sane esset ejusdem culpa, si, postquam in suae fidei professione obtestatus est inter alia corporum resurrectionem, deinde ipsam ultro denegasset. Scribit enim in Prologo Librorum *De Principiis*, manifestissime in Ecclesia praedicari: *corpus hoc quod nunc in corruptione seminatur, incorruptibile surrecturum*. In qua professione perpetuo sibi se consectarium ostendit; ac ubique Apostoli sensibus inhaerens, docuit substantiam nostram corpoream, mutari quidam in resurrectione, sed non tolli, mutari sane a mortalitate transeundo ad immortalitatem: ac ideo in mortali carne ea ipsa fieri, quae naturae grani sati eveniunt, ita ut ex hujus corruptione sive morte spica oriatur et quidem corporea, sed a priori grano mirum in modum magnitudine et figura differens.

Ex hoc circa Epiphanii testimonium excursu, quo existimatur ipse immerito corripuisse Origenem, eamdem censuram putarem cadere in Hieronymum, qui in Libro adversus Joannem Hierosolymitanum n. 24. 25. eidem Origeni exprobravit singularem de Resurrectione opinionem, quippe nec catholicis nec haereticis concordem, sed quid inter utrosque medium excogitanti. Ita namque de eo scribit Hieronymus: « Dicit Origenes in pluribus locis, et maxime in Libro de Resurrectione quarto, et in expositione primi Psalmi, et in Stromatibus, duplicem errorem versari in Ecclesia, nostrorum et haereticorum; nos simplices et *philosarcas* dicere, quod eadem ossa et sanguis et caro, idest vultus et membra, totiusque compago nostri corporis resurgat in novissimo die: scilicet ut pedibus ambulemus, operemur manibus, videamus oculis, auribus audiamus, circumferamusque ventrem insatiabilem, et stomachum cibos concoquentem: consequens autem esse, qui ista credamus, dicere nos quod et comedendum nobis sit, et bibendum etc.... Haec nos innocentes et rusticos dicere. Haereticos vero in quorum parte sunt Marcion, Apelles, Valentinus, Manes (insaniae nomen) penitus et carnis et corporis resurrectionem negare; et salutem tantum tribuere animae, frustraque nos dicere ad exemplum Domini resurrecturos, quum ipse Dominus in phantasmate resurrexerit; et non solum resurrectio ejus, sed et ipsa nativitas putative visa magis sit, quam fuerit. Sibi autem utramque displicere sententiam, fugere se et nostrorum carnes, et haereticorum phantasmata: quia utraque pars in contrarium nimia sit; aliis idem volentibus se esse, quod fuerunt; aliis resurrectionem corporis omnino denegantibus. »

Post haec inducit s. Doctor Origenem asserentem, quatuor esse elementa, quibus omnes res et corpora humana compacta sunt, terram nimirum, aquam, aerem, et ignem etc.; in qua locutione ipsum dicit Hieronymus recta loqui. Nisi quod Apostoli verba pertingentem: *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*; ea ita interpretatum esse ait Origenem: « Nunc oculis videmus, auribus audimus, manibus agimus, pedibus ambulamus. In illo autem corpore spirituali toti videbimus, toti audiemus, toti operabimur, toti ambu-

labimus; *et transfigurabit Dominus corpus humilitatis nostrae conforme corpori suae gloriae*. Quando dixit *transfigurabit*, membrorum, quibus nunc utimur, diversitas denegatur. Aliud nobis spirituale et aethereum promittitur, quod nec tactui subjacet, nec oculis cernitur, nec pondere praegravatur, et pro locorum, in quibus futurum est, varietate mutabitur. Alioqui si eaedem carnes erunt et corpora quae fuerunt, rursus mares et foeminae, rursus nuptiae... rursus infantuli et senes etc. Nec vos, o simplices, resurrectio Domini decipiat, quod latus et manus monstraverit, in littore steterit, in itinere cum Cleophe ambularit, et carnes et ossa habere se dixerit. Illud corpus aliis privilegiis pollet, quod de viri semine et carnis voluptate non natum est. Comedit post resurrectionem suam et bibit, et vestitus apparuit; tangendum se praebuit, ut dubitantibus Apostolis fidem faceret resurrectionis. Sed tamen non dissimulat naturam aerii corporis et spiritualis. Clausis enim ingreditur ostiis, et in fractione panis ex oculis evanescit. Ergo et nobis post resurrectionem bibendum erit, et comedendum, et post cibum stercora egerenda? Et ubi erit illa promissio: *oportet mortale hoc induere immortalitatem*? »

Profecto si rata ista haberentur, atque Origenis sensum exprimerent, nullum reperiretur ejusdem ab haeresi vindicandi effugium. Tales enim ex sermone deducuntur consequentiae, ut Auctor fere cum haereticis Marcione, Valentino aliisque convenisse dicatur; quum tamen ad eosdem confutandos valde ac diu elaborasset. Quamobrem ne in hac parte quidem sibi contraire appareat Origenes, sedulo totam Hieronymi criminationem investigare studeamus. Et primum praestat Caroli Delarue proferre sententiam, qui in Praefatione Tomi I. quinque Origenis ejusdem fragmentis notatis librorum *De Resurrectione*, de quinto quod prae manibus adstat, haec dicit: « Id unum hic monendum superest, mihi non certum videri, ea omnia quae in Fragmento quinto *De Resurrectione*, quasi Origenis verba proferuntur, revera Origenis esse. Forte enim sic illum finxit loquentem Hieronymus, uti conjicit Huetius Origenianorum Libro II. Quaest. IX. n. 7. » Qui ait s. Doctorem in Epistola adversus Joannem

Hierosolymitanum non Origenis verbotenus descripsisse sermones, verum mentem suam interpretatum fuisse. Fortasse vero id putavit Huetius; quum nullibi hujusmodi sensus exposuerit Origenes nec in primo nec in secundo, neque multo minus in quarto *De Resurrectione* libro. De hoc enim quarto libro, quem citat Hieronymus, nulla adest mentio apud Eusebium et s. Pamphilum. Quinimmo ex s. Martyris verbis eruitur, tantummodo hos duos Tractatus compegisse Origenem adversus resurrectionis mentitores; quorum sententias profert divus Martyr contra ipsius Origenis hostes. Quibus expositis, ait se ex Commentariis, quos Auctor elaboraverit in Scripturas sacras, ideo decerpsisse testimonia; quin nec tertium nec quartum supponat de hac quaestione librum: unde excluditur quod testatur Hieronymus sive de libro quarto, seu de erroribus Origenis.

Verumtamen (quod admodum nostras juvat disquisitiones) siquis velit accuratius hujus praesumpti libri quarti perscrutari fontem, arbitror ipsum conflatum fuisse partim ex Commentario in Psalmum primum, quem nuper excussimus, partim ex secundo, quem citat s. Pamphilus *De Resurrectione* librum, utroque tamen interpolato, ac glossa arbitraria adaucto, et ejusdem Origenis munito nomine. Qui deinde in manus decidit s. Hieronymi, unde et ipse illusus Auctorem nostrum corripuit, in quo non erravit. Atque ut rem ita se habere pateat, verba et sensus suppositi libri quarti a s. Doctore citati, illis comparentur, quae ex libro genuino secundo tradit s. Martyr. Is itaque in Apologetici capite VII. ubi Origenis declarationes colligit de corporea resurrectione, inquit ipsum in secundo libro quasi ad gentiles sermonem vertere hujusmodi.

Textus Origenis a s. Pamphilo citatus et a Ruffino versus.

« Nos vero (dicit Origenes) post mundi corruptionem eosdem ipsos futuros esse homines dicimus, licet non in eodem statu, neque in iisdem passionibus. Non enim iterum ex conventione viri et mulieris erunt, sed, verbi gratia, ea ratio, quae continet Pauli substantiam (Pauli autem nunc dico cor-

poralis) salva permanet et cum voluerit Deus secundum ea, quae dicta sunt, per sacramentum tubarum in novissima tuba facere ut mortui resurgant, per illam ipsam substantialem rationem, quae salva permanet, de terrae pulvere suscitantur a mortuis ex omnibus locis ii, quibus ratio illa substantiae corporalis in ipsis corporibus permanebat : quae in terram prolapsa, Dei voluntate iterum suscitatur. Et hoc arbitror asserere volentem Apostolum dixisse in Epistola prima ad Corinthios post assertionem resurrectionis mortuorum. Nam cum proposuisset sibi ea, quae possent ab aliis objici de resurrectione mortuorum, sic ait: *Sed dicit aliquis: quomodo resurgunt mortui? Quo autem corpore veniunt? Stulte, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur: et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus ceterorum. Deus autem dat illi corpus prout voluit.* Cum autem manifeste ostendisset, quia mortui resurgunt, et certum esset, quod Salvator noster cum ipso corpore resurrexit, quod susceperat ex Maria, non autem satis clarum esset, quomodo resurrecturi essent ceteri, vel quale corpus habituri: comparat resurrectionem seminibus quae seminantur in terram, utputa grano frumenti, quod cum ceciderit in terram, corrumpitur: sed rationis illius virtus, quae est insita in interioribus ejus medullis, ipsa rationis virtus assumpta adjacentem sibi terram vel aquae humorem, sed et aëris circumstantem temperiem, caloris quoque sufficientem recipiens fomitem, per divinam potentiam in culmi vel spicae consurgit; et hoc est quod dicit: *tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur: et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas.* Ergo hoc, quod cadit ut semen in terram corpus nostrum, comparatum est grano frumenti. »

Textus Origenis ex s. Hieronymi versione

« Hieronymus vero diversimode hanc pericopem vertit; « Quatuor, inquit, elementa sunt, philosophis quoque nota et medicis, de quibus omnes res et corpora humana compacta sunt, terra, aqua, aer, et ignis: terram in carnibus,

aerem in alitu, aquam in humore, ignem in calore intelligi. Quum ergo anima caducum hoc, frigidumque corpusculum Dei jussione dimiserit, paulatim omnia redire ad matrices suas substantias: carnes in terram relabi, halitum in aera misceri, humorem reverti ad abyssos, calorem ad aethera subvolare. Et quomodo si sextarium lactis et vini mittas in pelagus, velisque rursus separare quod mixtum est: vinum quidem et lac quod miseras, non periere; non tamen posse quod fusum est, separari: sic substantiam carnis et sanguinis non perire quidem in originalibus materiis, non tamen in antiquam redire compaginem, nec posse ex toto eodem esse quae fuerint. Quum autem ista dicantur, soliditas carnium, sanguinis liquor, crassitudo nervorum, venarumque perplexio, et ossium durities denegatur. Alia ratione resurrectionem corporum confitemur eorum, quae in sepulchris posita sunt, dilapsaque in cineres: Pauli Pauli et Petri Petri, et singuli singulorum. Neque enim fas est, ut in aliis corporibus animae peccaverint, in aliis torqueantur; nec justi judicis alia corpora pro Christo sanguinem fundere, et alia coronari. *Quis haec audiens* (subdit Hieronymus) *resurrectionem carnis eum negare putet*? Est, inquit Origenes, singulis seminibus a Deo artifice insita, quae futuras materias in medullae principiis tenet. Et quomodo tanta arboris magnitudo, truncus, rami, poma, folia non videntur in semine, sunt tamen in ratione seminis, quam graeci *spermatismon* vocant: et in grano frumenti est intrinsecus vel medulla vel venula: quae quum in terra fuerit dissoluta, trahit ad se vicinas materias, et in stipulam, folia, aristasque consurgit; aliudque moritur, aliud resurgit. Neque enim in grano tritici radices culmus, folia, aristae, paleae sunt dissolutae: sic et in ratione humanorum corporum manent quaedam surgendi antiqua principia et quasi ἐντεριώνη idest seminarium mortuorum sinu terrae confovetur. Quum autem judicii dies advenerit, et in voce Archangeli, et in novissima tuba tremuerit terra, movebuntur statim semina, et in puncto horae mortuos germinabunt: non tamen easdem carnes, nec in his formis restituent, quae fuerunt. Vis scire verum esse quod dicimus, audi Apostolum: *sed dicit aliquis, quomodo resurgent mortui?*

quo autem corpore venient? Insipiens, quod tu seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum; ut puta tritici, vitis et arboris. »

Comparatis itaque hucusque Origenis sensibus, quis non animadverterit utrinque tam apud Pamphilum tam apud Hieronymum, ejusdem argumenti tractationem et amplius quandoque eadem verba adeo ut dicatur, non ad librum quartum *De Resurrectione* spectare, quae citat idem Hieronymus sed ad librum secundum; ac deinde, ubi non conveniunt, seu ubi contraria loquuntur, necessario statuendam esse interpolationem et falsationem libri secundi, quem s. Doctor *quartum* inscripsit? Conveniunt quidem ubi s. Martyr transcripsit: *sed rationis illius virtus, quae est insita in interioribus ejus medullis, ipsa rationis virtus assumpta adjacentem sibi terram vel aquae humorem etc.*, quae idem instaurat Hieronymus inquiens: *est singulis seminibus ratio quaedam a Deo artifice insita, quae futuras materias in medullae principiis tenet.* Discordant vero in consequentiis, quas Interpres, quisque fuerit, in hoc supposito libro quarto (in quem incidit Hieronymus) de suo studio adjecit, errantemque constituit Origenem. Conveniunt in citandis Apostoli verbis: *surget corpus spiritale*; sed sibi adversantur in eorum explanatione. Origenes enim nunquam in corpore spiritali interpretatus est *corpus aethereum, quod nec tactui subjacet, nec oculis cernitur, nec pondere praegravatur etc.* ceu legitur in praefato libro quarto. Ast ubique hujusmodi contrait expositioni, cum Origenes ex s. Pamphilo exposuerit, necessario corpora nostra resurrectura ad indumentum nostrum. *Et si necesse sit, nos esse in corporibus, sicut profecto est necessarium, non in aliis, quam in nostris corporibus esse debemus: quae abjectis ipsorum infirmitatibus in ea ex culpa originali derivatis, in melius transformantur.* Et hoc est, quod dixit spiritale, non quod tanquam spiritus efficiatur corpus nostrum, et hinc soliditatem amittat atque contrectationem. Verum spiritale corpus nuncupavit relate ad incorruptionem, sicuti dixit animale quoad corruptibilitatem. Ceterum adversus Celsum vidimus Auctorem firmiter docere corporis humani detersi a maculis, resurrectionem, ut possit ad puriora aetherea, coelestiaque loca ascendere et ha-

bitare; non autem asserit corpora nostra aetherea et coelestia fore suscitanda.

Item Hieronymus in citato paragrapho convenit textui libri secundi a s. Martyre transcripto circa Christi Jesu a mortuis resurrectionem; sed mutuo abscedunt in statuenda corporis ipsius conditione, postquam e mortuis resurrexit. Unus, prope Hieronymum, Jesu corpus a resurrectione aërium fecit; ac non nisi ex simulatione solidum visum est. Alter vero ex eodem libro statuit reapse in corpore ossibus et carne praedito Jesum a mortuis excitatum, discipulis apparuisse, et cum eis comedisse. Et cum ita s. Martyr ibidem statuat, et Origenem sibi ubique consentaneum probet, scilicet Christum resurgentem, corpus sive carnem praesetulisse camdem, quam ante mortem induit; ac secum amplius in coelum sublimasse, adeo ut et ipsi spiritus coelestes de hac novitate valde obstupuerint; quomodo ergo Hieronymo convenerimus adversus Origenem, istum nempe reprobantes, quod in resurrectione Christum corpus tulisse docuerit non reale, non solidum, sed simulatum? et quando adversus Celsum Libro III. 23. penitus contrarium sentit; eumque calumniatorem ideo vocet, putantem, *Jesum mortuum a suis sodalibus conspectum fuisse, id de umbra intelligi velle?* In istum ideo pugnans, dicit Adamantius: « At noster Jesus suis conspectus sodalibus, ut cum Celso loquar, revera illis apparuit. Mera enim est Celsi calumnia, umbram dumtaxat conspectam esse. » Ex hac collatione demum nobis constiterit, nullius esse facienda momenti, quae Origeni objecit Hieronymus, quippe (uti Editores Maurini suspicati sunt) tanquam rapsodiam praeferentia sensuum hinc inde non solum e duobus libris genuinis *De Resurrectione* decerptorum, sed et ex Commentario Psalmi 1. et *De Periarchon* Opere, in pravum significatum retortis, ac ideo ab Auctoris mente alienis.

Item dicendum est de iis, quae apud s. Epiphanium leguntur ceu ex Origenis libris deprompta; et ubi ipsum praesumitur carnis contraire resurrectioni. Ita namque Sanctus scribit Haeresi 64. n. 33: « Est illud insuper, o Aglaophon, consideratione dignum; errare illum (Origenem) vehementer, ac falli siquod de his audacter pronunciare liceat, cum iis

de rebus sermonem instituit. Nam cum ita dixisset, Dominum sadducaeis tentantibus respondisse; *qui compotes resurrectionis essent, angelorum tunc instar futuros*, subjunxit: angeli autem cum sint extra carnem in summitate beatitudinis, ob hoc et opinandum est, nos quoque futuros angelis aequales, necessario ad eumdem modum oportere carne nudari. »

Haec porro verba haud genuinae apparent et eaedem Origenis expressiones, ast potius glossa a s. Methodio elaborata; unde ipse s. Epiphanius n. 11. decerpsisse se dicit, quae adversus Adamantium scripsit; ubi tamen prout paulo ante ostendi, nec Methodium, nec Epiphanium genuinos liquet legisse codices. Quamobrem et in hoc loco dubitandum erit, num revera sic putaverit et scripserit Origenes. De reliquo nullibi librorum suorum, qui adhuc supersunt, ac ubi praesertim haec verba citavit: *sed erunt sicuti angeli in coelis*, hanc obsignavit interpretationem, sive deductionem; *homines* nimirum *in resurrectione futuros sicuti angelos, ac* consequenter *corpore nudatos et carne*. Cujus rei ideo proderit testimonium exhibere in ipsius verbis enucleandis, ubi hanc retulerit Christi sententiam.

Et primum quidem Commentariis *in Matthaeum* Tomo XVII. n. 30. citata verba exponens, dicit, quia illic in resurrectione nuptiae non erunt: *sed erunt qui resurrexerint, sicut angeli in coelo, et quia transformabunt corpora humilitatis eorum secundum corpora angelorum coelestia atque luminea.* » Ex his sensibus excluditur homines in resurrectione nudari carne, cum transformatio corporis non sit nudatio carnis. Verum per hanc ait transformationem corpora humana juxta angelica corpora, coelestia fieri ac luminea; quippe terrenae malitiae labe et infirmitatibus per regenerationem detersa, non amplius nuptias contrahent postquam resurrexerint, nec crescent, neque imminuentur; cum ideo dixit Christus *in resurrectione neque nubent neque nubentur:* « Simulque discendum est (ait Homilia 39. *in Lucam*) quod angeli connubia non habeant. Hic vero, ubi mors et nuptiae et liberi necessarii sunt: ibi immortales, nec conjugio opus est, nec filiis. » Item adversus Celsum Lib. IV. n. 29. homines

docet, in perfectione virtutis a mortuis resurgentes pares angelis fieri. Similiter interpretatur *in Epistolam ad Romanos* Lib. X. n. 1. inquiens regnum Dei, propter quod laboramus et currimus, neque per escas constare, nec per potum: sed aliena ea esse a regno Dei, et ab illa conversatione futura: « Ibi enim, sicut neque nubunt, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei, sic neque escam, neque potum sumunt, sed sunt sicut angeli Dei. » In qua expositione ceu recto sensui et veritati unisona, cum haud aliter putare potuit Origenes, concludendum est tanquam spurium haberi commentum, quod ei credidit Epiphanius, aut Methodius, sive quisquis fuerit; et in quo per ea verba *erunt sicut angeli in coelo*, statuebatur nos in resurrectione, cum necessario angelis aequandi erimus, ad eumdem modum necessario carne nudandos esse.

Spurium commentum dixi, cum centies hoc argumentum pertractarit, atque contra praesumptam interpretationem orthodoxe docuit, hominem in resurrectione corpore sive carne reformatum iri, nullimode vero nudari. Ac demum hoc adversariis ipsius dictum possumus objicere, quod Homilia XVIII. 4. *in Hieremiam* protulit ex Prophetae verbis: *si quomodo figulus iste, non potero facere vos, domus Israel, dicit Dominus.* In quibus miratus resurrectionis nostrae mysterium inquit. « Si enim vas luteum ceciderit de manu figuli, *καὶ ἀπὸ τῆς αὐτῆς ὕλης τοῦ πηλοῦ τοῦ αὐτοῦ ποιεῖ αὐτὸ ἀγγεῖον ἕτερον*, etiam ex eadem ejusdem luti materia ipsum vas aliud facit, sicut placuerit in conspectu suo. Potest Deus corporum nostrorum figulus, et structurae nostrae opifex, postquam hoc ceciderit, et quacumque de causa contritum fuerit, resumere illud ac renovare, ac facere illud praestantius vas alterum, prout placuerit in conspectu suo. »

Ceterum in hac quaestione de Christi sermone: *in resurrectione neque nubent, neque nubentur*, duo vidit Origenes contra se venire, et illorum scilicet sententiam, penitus corpoream resurrectionem sustollentium, et aliorum dicentium in futuro seculo homines manducaturos, bibituros, operam fuisse daturos carnalibus nuptiis. In qua re medium habens iter Auctor, et corporis tenuit adversus primos realem resurrectionem; et adversus secundos illud probavit corpus re-

surrecturum, ab infirmitatibus tamen carnis immune et incorruptibile adeo ut nunquam deficiat. Quamobrem sagacissime se agens, Christi verbis innixus ajebat, nuptias in resurrectione non esse, factis ideo hominibus in similitudinem angelorum; seu alio modo, corpora humilitatis nostrae transformanda esse (nequaquam vero destruenda) ad eam formam, qua sunt angelorum corpora coelestia et luminea. Corporibus porro angelorum assimilat Origenes corpora nostra in resurrectione, prout omnibus fere priscis Patribus persuasum fuit, corpore praeditos esse angelos, alterius vero substantiae, quam nostra sunt. De reliquo, cunctis ab humana carne secretis, quae imminutionem et corruptionem provocarent, ita putavit Origenes, corpora evadere coelestia, ob ea, quae ait Apostolus, *domum non manufactam, aeternam in coelis.* Item dicit Origenes corpora luminea, ex sensu ejusdem Apostoli: *seminatur (corpus) in ignobilitate, surget in gloria.*

Novissime de hoc tam arduo argumento pro sincera Origenis fide tria supersunt notanda. Unum vertitur de propriae ignorantiae confessione, quam in Libro I. *Periarchon* c. VI. n. 4. emisit, postquam in hujus seculi consummatione ostendit omnium fore corporum transformationem sicuti eorum perseverantiam, concludens: « Certius tamen qualiter se habitura sit res, scit solus Deus, et siqui ejus per Christum et Spiritum Sanctum amici sunt. » Alterum versatur de suo studio in amplectenda ac servanda Ecclesiae traditione, eademque commendanda in hujusmodi tractatibus, ceu exposuit in Psalmum primum n. 5. inquiens: « Verum omnes eos necesse est, qui veritatis studio ducuntur, cum ad ea animum adjecerint, adversus istos de resurrectione contendere, ut et quae a veteribus tradita sunt, retineant; idque caveamus ne in sensuum inanissimorum ineptias descendamus: eorum scilicet, quae neque fieri possunt, et divina majestate sunt indigna. »

Tertium s. Pamphilum in Apologetico pertingit, cujus alibi, et praesertim in hoc loco testimonium protuli de iis, quae ex Origenis libris et pro ejus fide orthodoxa edidit. In quo Opere istud sane considerandum est: quae s. Epiphanius ex Psalmi primi Commentario ceu falsa confutavit, ea ipsa

citata fuisse a s. Martyre ut rectum Origenis sensum adstrueret de resurrectione contra suos adversarios. Ceterum neminem latet, et monumenta testantur de s. Pamphilo, pietate conspicuo, in sacris institutionibus eximio, et pro christiana et catholica fide usque ad mortem exardescenti, quale impenderit studium in scriptis Origenis evolvendis ac meditandis, et eo maxime intuitus, ut istius hostes refelleret. Et ob hoc in fine capitis VI. Apologetici ajebat: « Consequens est etiam (ob hanc criminationem) nos verbis calumniosos ostendere, et mendaces evidenter arguere eos, qui etiam scripta de hoc edere adversus eum non pepercerunt. Tam ex ipsis igitur libris, quos *de Resurrectione* scripsit, quam ex ceteris ejus diversis voluminibus, approbabimus etiam in hac parte, quam catholice senserit. » Sed eo amplius nos admiratione afficit quod, praeter s. Pamphilum, s. Hilarius quoque ipsius Psalmi Commentarium ab Origene elaboratum acceperit, commendaritque in ecclesiis; etiamsi Epiphanius reprehensione dignum reputarit: unde jure conjiciendum est, falsatos codices consuluisse Cypri Episcopum et cum eo Hieronymum. Sed hoc ulterius, cum de ceteris criminationibus habebitur sermo, magis patefiet.



CAPUT IV.

De mundi fine, de angelis et de daemonibus ex Periarchon *Origenis sensus explanantur, Hieronymi et Ruffini collatis versionibus.*

His exactis ac confutatis, quae praefati Patres, celerique frustra putarunt de corporea resurrectione non probe docuisse Origenem, ad alia properemus, quae in Libro III. *Periarchon* c. VI. n. 3. ab ipso expenduntur de hujus mundi fine, deque creatura rationali reparanda ad illam eximiam conditionem; in qua primum condidit eam Deus: *et vidit Deus omnia quae fecerat, et erant valde bona.* Quod sane fiet, cum destructo mortis aculeo, peccato in carne abolito, *erit Deus omnia in omnibus.* Et hoc est, quod illam constituet *palingenesiam* idest regenerationem, seu restaurationem in pristinum, aut potius rationabilium perfectionem et beatitudinem, de quibus a principio saepius disputatum est.

Versio Ruffini

Ruffinus itaque juxta argumenti hujus ordinem, Origenis graecum codicem secutus vertebat: « Verum istam perfectionem ac beatitudinem rationabilium creaturarum, vel naturarum ita demum quidam permanere in eodem statu, quo supra diximus, putant, idest ut Deum omnia habeant, et Deus eis sit omnia, si nullatenus eas societas naturae corporalis amoveat. Alioquin existimant gloriam summae beatitudinis impediri, si materialis substantiae interseratur admixtio. De qua re plenius a nobis, quae in superioribus occurrere potuere, pertractata sunt, atque digesta. »

Horum autem summa verborum, veluti nobis tradidit Ruffinus, consequenter illis, quae propius censuit Origenes, revolvitur in quosdam, fieri non posse cogitantes *Deum esse omnia in omnibus* in consummatione rerum, ex quo natura corporea divinam essentiam impediret quominus cum ea sociaretur. De qua re supra egerat Origenes, distinguens quo-

modo Deus natura Spiritus relate ad hominem corporeum, in resurrectione, dicendus esset unus cum hominibus; hoc dicens per similitudinem, non vero per proprietatem, idest quoad possibile foret, naturam humanam fieri Deo similem, cum talem assecuta esset perfectionem, in qua a Deo primum conditus fuit Adam ad imaginem et similitudinem suam. Quippe tunc homo ab omni malitiae nube abstersus et vitiorum foece secretus, Deum videbit sicuti est: quod satis e contextu patet. Unde apparet nihil absurdi contra catholicum sensum erui ex hujusmodi Origenis sermone.

Versio s. Hieronymi

Hieronymus autem, aliter a Ruffini versione, ita Adamantii verba interpretatus est: « Nec dubium est, quin post quaedam intervalla temporum rursus materia subsistat et corpora fiant, et mundi diversitas construatur propter varias voluntates rationabilium creaturarum, quae post perfectam beatitudinem usque ad finem omnium rerum paulatim ad inferiora delapsae tantam malitiam receperunt, ut in contrarium verterentur, dum nolunt servare principium, et incorruptam beatitudinem possidere. Nec hoc ignorandum, quod multae rationabiles creaturae usque ad secundum et tertium et quartum mundum servent principium, nec mutationi in se locum tribuant. Aliae vero tam parum de pristino statu amissurae sint, ut pene nihil perdidisse videantur: et nonnullae grandi ruina in ultimum praecipitandae sint barathrum. Novitque dispensator omnium Deus in conditione mundorum singulis abuti juxta meritum et opportunitates et causas, quibus mundi gubernacula sustentantur et initiantur: ut qui omnes vicerit nequitia, et penitus se terrae coaequaverit, in alio mundo, qui postea fabricandus est, fiat diabolus principium plasmationis Domini, ut illudatur ei ab angelis, qui exordii amisere virtutem. » His porro notatis, Hieronymus in Epistola ad Avitum subdit: « Quibus dictis, quid aliud conatur ostendere (Origenes) nisi hujus mundi homines peccatores in alio mundo posse diabolum et daemones fieri? Et rursus nunc daemones in alio mundo posse vel angelos vel homines pro-

creari? Et post disputationem longissimam, qua omnem creaturam corpoream in spiritalia corpora et tenuia dicit esse mutandam; cunctamque substantiam in unum corpus mundissimum et omni splendore purius...... in divinam qua nulla melior est, concludit redigendam substantiam. »

Priusquam vero, quid sibi ibi voluerit Origenes, investigemus, et quomodo talia commentari potuerit tantus vir juxta Hieronymi versionem, cursim praemittenda sunt quae pluries et nuper animadverti de humani corporis qualitate in resurrectione. Quod etiamsi Origenes dicat subtile, et spiritale et lucidum fore resurrecturum, Deique voluntate ac virtute id agendum, quippe Deus creator illius fuerit, et sic ejusdem corporis naturam in melius instaurabit, ut in aeternum vivere possit, cum hoc potissimum statuat ac propugnet ubique contra resurrectionis mentitores; attamen cuique perspicuum est, non nisi inde ejusdem naturae corporum integritatem ipsum velle definire, quam sane recipient per regenerationem in vita futura; nullimode vero ita spiritalia, tenuia sive subtilia, uti praesumpsit Hieronymus, futura dicit quasi invisibilia, sine membris et aerea. Quinimmo carne et ossibus adstricta, membris compacta, solida, firmaque vocat, at ab omnibus infirmitatibus immunia, ut in perpetuum perseverent: « Nos vero (inquit et in eodem cap. n. 5. ubi Hieronymus contrariam animadvertit sententiam) nos vero, qui resurrectionem carnis credimus, immutationem ejus credimus tantummodo factam per mortem intelligimus, substantiam vero ejus certum est permanere: et voluntate Creatoris sui certoque tempore rursus reparari ad vitam etc. » Quod quidem postea patentius asseverat, veritus ne forte quis ex praefatis verbis offensus, aliter suipsius sensum de hac re comprehenderet: « Non enim, inquit Origenes, secundum quosdam graecorum philosophos praeter hoc corpus, quod ex quatuor elementis est, aliud quintum corpus, quod per omnia aliud sit et diversum ab hoc nostro corpore, fides Ecclesiae recipit: quoniam neque ex Scripturis sanctis vel suspicionem aliquam proferre de his quis potest; neque ipsa rerum consequentia haec recipi patitur; maxime cum manifeste definiat sanctus Apostolus, quia non aliqua nova

corpora resurgentibus a mortuis dentur; sed haec ipsa, quae viventes habuerant, ex deterioribus in melius transformata recipiant etc. »

Ab his porro et similibus Hieronymi (cui inhaeret Petavius) illusionibus de Origenis doctrina circa resurrectionem, illud quoque factum est, ut putaret Origenem docuisse, apud inferos damnatorum corpora igne non aduri proprie, incessanter, et intensissime, sed tantum conscientiam illorum. In Epistola ad Avitum, et in Apologia 2. contra Ruffinum n. 7. ait: « Ignes aeternos, quos intelligere solet Origenes, puto quod te non fugiat, conscientiam videlicet peccatorum, et poenitudinem interna cordis urentem, de qua et Isaias loquitur: *vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* » Adversus Hieronymi opinionem stant verba Origenis ex c. VIII. Apologetici s. Pamphili, limpide asserentis: « Puto enim quod quanta differentia est in praesenti seculo nudum verberari, quam vestitum, ad praesentiendum scilicet cruciatum (eo quod vehementius nudum corpus crucient verbera, quam vestitum) tantum puto futuram differentiam doloris, cum corpus humanum crassitudinis hujus indumento deposito, velut nudum corpus coeperit sustinere tormenta. Item Tractatu 34. *in Matthaeum* n. 72. ex dictis Job: *comedet eum ignis, qui non accenditur:* « Ne autem mireris, inquit, audiens esse invisibilem ignem et punientem, cum videas inter homines calorem corporibus accidentem, et non mediocriter excruciantem maxime eos, qui ab eo validissime molestantur. » Sed de his antea satis dictum est.

Quoad autem cetera, quae speciatim interpretatur Hieronimus contra ea, quae citat Ruffinus, de variis nimirum creaturarum rationalium voluntatibus deque beatarum animarum peccatis, unde detulerit s. Doctor, divinare arduum est, sicuti et mihi valde mirum, quod Origenes potuerit aliquando tales quaestiones, ne dicam fabulas, suis inserere libris. Fortasse Hieronymus in hoc III. Libro *De Principiis* iteravit, quae in Libro I. c. VI. ubi argumentum hujusmodi *De mundi consummatione* agitur ab Origene, retractata sunt; illa per summa capita recensens, diversimode vero ab eo, quod ibi consideravit et vertit Ruffinus. Sic namque in ea-

dem ad Avitum Epistola ex Origene citat Hieronymus: « Qui vero fluctuaverint et motis pedibus nequaquam corruerint, subjicientur omnino dispensandi et regendi atque ad meliora gubernandi, principatibus, potestatibus, thronis, dominationibus. Et forsitan ex his hominum constabit genus in uno aliquo ex mundis; quando juxta Isaiam coelum et terra nova fient. Qui vero non fuerint meriti, ut per genus hominum revertantur ad pristinum statum, fient diabolus, et angeli ejus et pessimi daemones: ac pro varietate meritorum in singulis mundis diversa officia sortientur. Ipsosque daemones ac rectores tenebrarum in aliquo mundo vel mundis, si voluerint ad meliora converti, fieri homines, et sic ad antiquum redire principium; ita dumtaxat, ut per supplicia atque tormenta, quae vel multo vel brevi tempore sustinuerint, in hominum eruditi corporibus, rursus veniant ad angelorum fastigia. Ex quo consequenti ratione monstrari, omnes rationabiles creaturas ex hominibus fieri, non semel et subito, sed frequentius, nosque et angelos futuros daemones, si egerimus negligentius; et rursus daemones si voluerint capere virtutes, pervenire ad angelicam dignitatem. »

His itaque una collatis, quae Hieronymus ex praefatis primo et tertio libris transtulit, glossaque adauxit, quae Auctor dixit de mundi fine, profecto viro catholico exhorrescendum est, uti Pammachius exhorruit cum talia legisset, ab ipso Hieronymo in idioma latinum translata, et ad eumdem missa. Verumtamen, uti alibi haec eadem expendi, et modo denuo et accurate ponderans, hujusmodi Hieronymi versioni, ac animadversionibus circa ea verba consertis, eo minus acquiescere nequeo, quo magis Ruffini textum, seu interpretationem commendandam esse potiori jure existimo; tum quia ipse Ruffinus in Prologo versionis obtestatus est se nihil emendasse in iis, quae Origenes docuit de creaturis rationalibus; tum quia in sensu rerum expositarum sibi se consectarium manifestat Adamantius; tum quia nullibi ceterorum librorum similia reperiantur absurda, nec reperiri poterunt.

Quamvis porro Scriptoris mens tenebris quodammodo obvoluta etiam ex Ruffini interpretatione videatur; nequid

tamen inde deducitur nec statuitur eorum, quae Hieronymo visus est sensisse Origenes de daemonibus convertendis, servandisque et in angelos versis, et vicissim de angelis in daemones transmutandis; et sic de hominibus in daemonum transituris naturam, et ex adverso daemonibus in humana corpora mutandis. Praeterea circa argumenti difficultatem ex eadem materia ortam; (et talem nuncupat Origenes ipse) maxime nobis consideratu dignum est, quod capitis initio praemittit; quodque admodum facit in eos, qui adhuc usque Auctoris doctrinae et famae detraxerunt ob illam, quam in iis rebus explanandis admiserunt negligentiam. Scribit enim Adamantius in Libro I. c. VI. n. 1: « Finis, vel consummatio, rerum perfectarum consummatarumque esse videtur judicium. Quae res etiam nos in hoc loco commonet, quod ad haec tam ardua et difficilia intelligenda, siquis ille est, qui legendi horum, et talia cognoscendi desiderium ceperit, perfectum et eruditum sensum debet adhibere; ne forte, si aut nullum usum in hujuscemodi quaestionibus habuerit, vana quaedam haec illi et superflua videantur: aut si jam praejudicatum et praeventum in aliis animum gerit, haeretica haec et contra fidem ecclesiasticam putet, non tam ratione convincens, quam animi sui praejudicio definiens. »

Ceterum quamvis deinde adjiciat, se de his cum magno metu disputatum aggredi, nemo tamen existimet (quod fortasse nonnulli suspicari possent) ibi Origenem quaestiones objicere sive dubia de poenis apud inferos aliquando desituris, seu de daemonum poenitentia, aut de coelestium angelorum arbitrio, adeo ut, si velint, in daemones converti possent, et de aliis hujusmodi; quum ista dogmati catholico recta adversentur, a quo nunquam recessit. In hoc sane non advertit Adamantius; verum illud dumtaxat intendebat, ut quae cuique libere disquirere liceret, quippe ab Ecclesia non definita, de iis proprium sensum exprimeret.

Interea praemissis, quae de mundi fine erant, sicuti de Christi tunc temporis victoria super inimicos adeo ut omnia sive coelestia, sive terrestria, sive inferiora erga eum ostendant subjectionem: « In his tribus, inquit n. 2. significationibus (ad haec enim se vertunt quae Hieronymus putavit sen-

sisse erronee et scripsisse Origenem) omnis universitas indicatur: ii videlicet, qui ab illo uno initio pro suis unusquisque motibus et varietatibus per diversos ordines pro merito dispensati sunt. Non enim in his bonitas substantialiter inerat, sicut in Deo et Christo ejus et Spiritu Sancto. In hac namque sola Trinitate, quae est auctor omnium, bonitas substantialiter inest: ceteri vero accidentem habent; et tunc sunt in beatitudine, cum de sanctitate et sapientia et de ipsa divinitate participant. Si vero ab hujusmodi participatione negligant atque dissimulent, tunc vitio propriae desidiae alius citius, alius tardius, plus alius, alius minus, ipse sibi causa sui lapsus efficitur. Et quoniam, ut diximus, casus iste sive lapsus, quo de statu suo quisque declinat, quamplurimam habet in se diversitatem pro mentis et propositi motibus, quod alius levius, alius gravius ad inferiora declinat, in hoc jam justum judicium Dei providentiae, ut unicuique secundum motuum diversitatem pro merito sui decessus et commotionis occurrat.

« Ex his sane, qui in illo initio permanserunt, quod futuro fini simile esse descripsimus, ex ipsis quidam in ordinatione mundi et dispensatione ordinem angelicum sortiuntur, alii virtutum, alii principatuum, alii potestatum, quod in eos videlicet exerceant potestatem, qui habere super caput indigent potestatem; alii thronorum ordinem, idest judicandi vel regendi eos, qui hoc indigent, habentes officium; alii dominationem sine dubio super servos. Quae omnia eis pro merito et profectibus suis, quibus in Dei participationem et imitationem profecerant, aequo justoque Dei judicio divina contulit providentia. »

In hucusque dictis non est, quod commune habeat illis, quae Hieronymus interpretatur de praefatis in angelis et daemonibus mutationibus quandoque superventuris. Adamantius enim postquam asseruit soli Trinitati inesse bonum substantialiter; ceteras vero creaturas rationales, quales angeli sunt et homines et daemones, ob illum, quo a Deo donatae sunt voluntatis arbitratu in earum creatione, accidentem dicit vel decidentem habere bonitatem, ita ut etsi a Deo in bono a principio conditae sint, ad malum tamen declinare possent,

si vellent. In hac autem sui juris conditione positas istas rationales essentias, angelos simul et homines comprehendens Origenes, tum cum creati fuerint, ait, si in bonitate permansissent, tunc in beatitudine fore; aliter si neglexissent ex propriae voluntatis vitio, ab hujus boni participatione delapsos: ac ideo prope cujusque motuum in malum diversitatem, et hinc malitiae incrementum, ita pro meritis suis in judicium Dei adducendos fuisse.

Id autem manifestius in c. V. praecedenti n. 1. explanavit Origenes, ubi speciatim de triplici rationabilium creaturarum genere disserit: « Post eam, inquit, dissertionem quam de Patre, et Filio et Spiritu Sancto, quantum valuimus, breviter digessimus, consequens est, etiam de naturis rationabilibus, ac de speciebus earum et ordinibus vel officiis tam sanctarum, quam etiam malignarum virtutum, sed et de his, qui inter has bonas et malas medii quidem sunt et adhuc in agone atque in certamine positi pauca disserere. » Qui utique homines sunt seorsim a sanctis virtutibus idest spiritibus coelestibus, et a malignis potestatibus, quae daemones sunt. Quorum angelorum scilicet et daemonum conditio jam in bono pro primis, seu in malo pro secundis, haud amplius mutari poterit, illorum in coelis cum Deo perpetuo manentium, et horum apud inferos in sempiternum excruciandorum; cum tertium rationalium genus idest homines e contrario dicit adhuc in agone contendere.

Postquam vero de triplici rationalium creaturarum genere simul sumpto locutus est Origenes, separatim de unoquoque genere transit disserturus, in primo loco collocans virtutes angelicas. Et hoc animadvertit in praefatis verbis nuper sub numero primo notatis: *ex his sane, qui in illo initio idest bono* etc. ubi ipse et in sequentibus diversos angelorum ordines designat, veluti quotidie in Ecclesia canitur: *angeli, archangeli, throni, principatus, potestates etc.* Quorum ordinum etiam officia et munera distinguit, nec non merita, unde in Dei participationem elati fuerint ex aequo ejusdem Dei judicio. In qua expositione nihil, nisi quod Catholica docet Ecclesia, adinvenitur.

His exactis, transit ad secundum rationalium genus, in quo homines constituit, ita scribens: « Hi vero, qui de statu primae beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, illis, quos supra descripsimus, sanctis beatisque ordinibus dispensandi subjecti sunt ac regendi. Quorum adjutorio usi, et institutionibus ac disciplinis salutaribus reformati, redire ac restitui ad statum suae beatitudinis possint. Ex quibus existimo, prout ego sentire possum, hunc ordinem humani generis institutum, qui utique in futuro seculo, vel supervenientibus seculis, cum coelum novum et terra nova secundum Isaiam erit, restituetur in illam unitatem, quam promittit Dominus Jesus dicens: *non pro istis rogo solum, sed et pro omnibus, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut ego in te Pater, et tu in me: ita et isti in nobis unum sint* etc. »

Et in hoc revera est, quo offensus Hieronymus, sive quisquis alter hujus pericopae interpres, existimans substantias angelicas ibi comprehendere Adamantium. Quas quasi decidentes a bono, in quo a Deo conditae sunt, atque in daemones versas putaverit: et quandoque si voluerint, reverti posse ad pristinum in bono statum, unde deciderint, ac denuo angelos fieri coeli participes. Sicuti et similiter de hominibus futurum esse ait, ut in angelos, seu daemones mutentur etc. veluti legimus in citata Epistola.

Verumtamen ab hac interpretatione longe penitus se habet Origenis mens. Namque juxta propositam de mundi fine quaestionem, hunc initio similem esse, ait, oportet, et hoc per Christi triumphum, ejusque in omnibus dominationem; unde morte destructa, ac una ejus causa, peccato, creaturae restituentur in bonum, in quo omnia a Deo creata sunt: *et vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*. Propterea in praefatis verbis considerans Origenes, secundum rationalium genus idest homines in Adamo, ex proprio arbitratu amotos esse ab originali beatitudinis statu propter peccatum, docet eos tamen haud irremediabiliter decessisse ab eo statu; sed posse seu citius sive tardius iterum restaurari ad eamdem beatitudinis conditionem, unde deciderant. Id autem obtineri dicit mediante angelorum coelestium dispensa-

tione ac regimine; qui uti adjutores et institutores hominum sunt a Deo designati: uti hoc comprehenditur quoque e sequentibus: « Ex quibus, ait, existimo, prout sentire possum, hunc ordinem humani generis institutum; qui utique in futuro seculo, vel supervenientibus seculis, cum coelum novum et terra nova secundum Isaiam erit, restituetur in illam unitatem etc. » Quorum sensus ex praecedentibus ita se habet, veluti diceret: a quibus scilicet sanctis beatisque angelorum ordinibus, uti mea fert sententia, ordo generis humani (idest alterum rationalium genus) institutus, edoctus, et disciplinis salutaribus informatus, restituetur in illam cum Deo unitatem in regno Christi, cum huic omnia subjecerit Deus, ita ut omnes in unum sint consummati.

Quod autem loquitur Origenes de angelis uti hominum custodibus, rectoribus, magistris et institutoribus, nequid novi dicit. Et Dominus in Exodo c. XXIII. 20. ait: *ecce ego mittam angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus etc.* Item in Evangelio; *angeli autem eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* Quae verba sicuti pericope in quaestione, amplius ab Auctore explanantur Homilia VIII. 8. *in Genesim*: « Et ipsius Christi, scribit, sequentes exemplum angeli in coelo laetantur super uno peccatore poenitentiam agente et de profectibus hominum gloriantur. Ipsi enim velut procurationem animarum nostrarum tenent, quibus, dum adhuc parvuli sumus, veluti tutoribus et actoribus committimur usque ad praefinitum tempus a Patre. » Et *in Psalmum* XXXVII. n. 2. addit: « Est autem, quando erudimur etiam a procuratoribus et actoribus idest ab his angelis, quibus creditae sunt dispensandae et regendae animae nostrae; quemadmodum describitur in quodam loco angelus poenitentiae, qui nos suscipit castigandos; sicut Pastor exponit, sicut tamen libellus ille recipiendus videtur. Interim diversis eruditionibus succumbimus, nos homines castigantibus, nos et corripientibus. Nondum tamen ab ipso Patrefamilias castigamur, sed a procuratoribus angelis, qui uniuscujusque nostrum castigandi atque emendandi sortiuntur officium; et est tollerabilius cum ab aliquo horum corripi-

mur. » Ac ita denique fidelium Ecclesia quotidie precatur, ut Deus mittat angelum suum, qui nos custodiat, foveat, protegat atque defendat etc.

Siquis autem adhuc dubitet de ista, quam exposui Origenis mentem in citatis verbis, mecum adeat, quae paulo post scribit de tertio rationalium ordine. Quae tum illustrationi proderunt eorum, quorum dubius et obscurus videretur sensus, tum admodum valent contra eos, quibus daemones aliquando poenitentia ductos servatum iri Adamantium ita docuisse persuasum fuit. Sic namque locuturus pergit: « Sciendum tamen est, eos, qui ex uno principio (boni) quod supra diximus, delapsi sunt, in tantam indignitatem ac malitiam se dedisse, ut indigni habiti sint institutione hac, vel eruditione, qua in carne humanum genus adjutorio virtutum coelestium instituitur atque eruditur; sed e contrario etiam adversarii atque repugnantes his, qui erudiuntur et imbuuntur, existunt. Unde et agones quosdam atque certamina omnis haec habet vita mortalium, reluctantibus scilicet et repugnantibus adversus nos his, qui sine ullo respectu de statu meliori delapsi sunt, qui appellantur diabolus et angeli ejus, ceterique ordines malitiae, quos Apostolus de virtutibus contrariis nominavit. »

Ex igitur de triplici rationalium ordine eorumque proprietatibus, expositis, inspicias quid sibi velit Origenes; num scilicet sit nec ne amplectenda, quam tradidit utrobique Hieronymus, interpretatio (aliter quam dedit Ruffinus) de daemonibus convertendis, sive de eorum natura mutanda. Eoque magis quod tale commentum eidem contextui opponatur, sicuti alibi saepe ab Auctore amplissimis refutatum est argumentis (uti in prima Parte ostendimus) quibus nunquam daemonibus futurum poenitentiae locum probatum est, neque conversionis.

Ex quo vero Huetius sibi animo finxit iis suffragari, quae Hieronymus transtulit, uti sincerum Origenis foetum, de variis rationabilium ascensionibus et descensionibus praeter illud, quod comprehendit revera Adamantius, Homiliam XXVII. *in Numeros* 5. citat; ubi enumerantur ascensiones et mansiones Israelis per desertum usque ad terram

tione ac regimine; qui uti adjutores et institut , et man-
sunt a Deo designati: uti hoc comprehendit . deducentem
quentibus: « Ex quibus, ait, existimo, pr , ait : « Sicut in
hunc ordinem humani generis institut oat eos. Talis ergo
turo seculo, vel supervenientibus si fuerint omnes Ae-
vum et terra nova secundum Is , qui impugnaverant
lam unitatem etc. » Quorum digrediens mansiones, il-
habet, veluti diceret: a qu r esse apud Patrem, illu-
gelorum ordinibus, uti n veniens, majora semper illu-
mani (idest alterum quirit, usquequo assueta sit ipsius
et disciplinis salut illuminat omnem hominem, intuitum pa-
Deo unitatem i majestatis ferre fulgorem. » Ex his nil dedu-
Deus, ita ut falcimentum, quae Hieronymus praesumpsit

Quod in ceram bono sive in malo rationalium creaturarum
custodi postquam a Deo beatitudine cumulatae forent, seu
dici de transitione angelorum coelestium in daemones et vicissim.
Patet enim Origenem, cum ibidem mysticas animae fidelis a-
scensiones varias et hinc diversas distinguat mansiones in via,
ubi majoribus semper illustratur fulgoribus donec ad ipsum
perveniat Patrem luminum, ab eo statu excludere angelos
coelestes ac daemones: nec amplius sibi fingere potuisse ho-
rum retrocessionem in adversam sive naturam sive conditio-
nem de bono in malum aut vicissim. Ceterum Origenis con-
ceptus in mystica interpretatione mansionum filiorum Israel
per desertum, animae christianae profectum delineat in vir-
tutibus, donec ad gradum perveniat perfectionis : « Usque
quo, dicit, perveniatur ad ultimum, immo ad summum gra-
dum virtutum, et transeatur flumen Dei, ac promissa susci-
piatur haereditas. »

CAPUT V.

'tur censura adversus Huetium circa Origenis doctrinam ·atura angelorum.

llicitudine pergens Huetius adversus Origenem ob ·m inscriptam opinionem de transitione angelo- ·a corpora, ex Tomo XII. n. 30. *in Matthaeum, Viros sanctitate et illustrioribus a Deo donis or- .ngelos esse credidit Origenes.* » Ista porro supponit ex ·quentibus ipsius verbis : « Nam Filius hominis venturus est in majestate Patris sui, non solus, sed cum angelis suis. Et si intelligere potes omnes coöperarios Verbi, quod in sapientia demonstratur, quod est Christus, convenientes ei, videbis quomodo venit Filius hominis in majestate Patris sui cum angelis suis. Angeli enim illius sunt prophetarum sermones..... Sicut autem venit Filius hominis in gloria Patris sui, sic prophetarum sermones angeli facti, veniunt cum eo etc. » Qua ratione vero Huetius ausus sit hic errantem arguere Origenem non video. Ipse ait Origenes, sermones prophetarum evasisse angelos, non vero angelos factos prophetas, illorum natura spiritali in corpoream transmutata. Aliud enim est sub metaphorae specie dicere (ut vult Origenes) prophetarum vaticinia praeiisse, quasi angelos, Christi adventui, et sic cum eo venturos in majestate; et aliud est putare prophetas, propria mutata, coelestium spirituum sumere naturam, angelosque evadere. Ceterum cum ista per se pateant, ad aliam transeamus Huetii illusionem Origenem redarguentis ob ea quae exposuit Tomo XV. n. 26. 27. in eumdem Evangelistam ex Christi sententia: *multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

Haec enim verba varimode pro more suo explanans Origenes, scribit: « Non omnes primi erunt novissimi, nec omnes novissimi erunt primi. Sunt enim qui primi fuerunt, et nihilominus permanent primi, sicut Apostoli Christi, qui israelitae fuere de semine Abrahae, qui etiam nunc primi habentur: et sunt novissimi nihilominus permanentes, qui male

repromissionis; et ubi mysticas animae ascensiones et mansiones designat, per quas ipsa non Moysen habet deducentem se, sed Filium Dei et Spiritum Sanctum. Et ait: « Sicut in alio loco Propheta dicit: *ipse Dominus ducebat eos.* Talis ergo fiet beatae animae ascensus, cum submersi fuerint omnes Aegyptii, et Amalechitae, atque universi, qui impugnaverant eam; et per illas singulas quasque digrediens mansiones, illas scilicet multas, quae dicuntur esse apud Patrem, illuminatur amplius ex una ad aliam veniens, majora semper illuminationis argumenta conquirit, usquequo assueta sit ipsius veri luminis, quod illuminat omnem hominem, intuitum pati, et mirae majestatis ferre fulgorem. » Ex his nil deducitur in eorum fulcimentum, quae Hieronymus praesumpsit de fluctuanti in bono sive in malo rationalium creaturarum voluntate, postquam a Deo beatitudine cumulatae forent, seu de transitione angelorum coelestium in daemones et vicissim. Patet enim Origenem, cum ibidem mysticas animae fidelis ascensiones varias et hinc diversas distinguat mansiones in via, ubi majoribus semper illustratur fulgoribus donec ad ipsum perveniat Patrem luminum, ab eo statu excludere angelos coelestes ac daemones: nec amplius sibi fingere potuisse horum retrocessionem in adversam sive naturam sive conditionem de bono in malum aut vicissim. Ceterum Origenis conceptus in mystica interpretatione mansionum filiorum Israel per desertum, animae christianae profectum delineat in virtutibus, donec ad gradum perveniat perfectionis: « Usque quo, dicit, perveniatur ad ultimum, immo ad summum gradum virtutum, et transeatur flumen Dei, ac promissa suscipiatur haereditas. »



CAPUT V.

Sequitur censura adversus Huetium circa Origenis doctrinam de natura angelorum.

Eadem sollicitudine pergens Huetius adversus Origenem ob eamdem eidem inscriptam opinionem de transitione angelorum in humana corpora, ex Tomo XII. n. 30. *in Matthaeum*, haec notat: « *Viros sanctitate et illustrioribus a Deo donis ornatos, angelos esse credidit Origenes.* » Ista porro supponit ex sequentibus ipsius verbis: « Nam Filius hominis venturus est in majestate Patris sui, non solus, sed cum angelis suis. Et si intelligere potes omnes cooperarios Verbi, quod in sapientia demonstratur, quod est Christus, convenientes ei, videbis quomodo venit Filius hominis in majestate Patris sui cum angelis suis. Angeli enim illius sunt prophetarum sermones..... Sicut autem venit Filius hominis in gloria Patris sui, sic prophetarum sermones angeli facti, veniunt cum eo etc. » Qua ratione vero Huetius ausus sit hic errantem arguere Origenem non video. Ipse ait Origenes, sermones prophetarum evasisse angelos, non vero angelos factos prophetas, illorum natura spiritali in corpoream transmutata. Aliud enim est sub metaphorae specie dicere (ut vult Origenes) prophetarum vaticinia praeiisse, quasi angelos, Christi adventui, et sic cum eo venturos in majestate; et aliud est putare prophetas, propria mutata, coelestium spirituum sumere naturam, angelosque evadere. Ceterum cum ista per se pateant, ad aliam transeamus Huetii illusionem Origenem redarguentis ob ea quae exposuit Tomo XV. n. 26. 27. in eumdem Evangelistam ex Christi sententia: *multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

Haec enim verba varimode pro more suo explanans Origenes, scribit: « Non omnes primi erunt novissimi, nec omnes novissimi erunt primi. Sunt enim qui primi fuerunt, et nihilominus permanent primi, sicut Apostoli Christi, qui israelitae fuere de semine Abrahae, qui etiam nunc primi habentur: et sunt novissimi nihilominus permanentes, qui male

tractant de populo christiano, et videntur de ecclesia esse cum sint. Adhuc autem vide, si potes dicere primum genus esse angelorum, quasi honorabilius hominibus, qui novissimi prae angelis esse videntur. Nam sicut scriptum est in Job: *quando factae sunt stellae, laudaverunt Deum omnes angeli ejus*, quasi antiquiores non solum homine post creato, sed et omni creatura propter eum creata. Et ita audebit aliquis dicere, quod multi angelorum, qui priores fuerunt hominibus, efficiuntur inferiores quibusdam hominibus. Multi autem hominum, qui natura novissimi sunt, efficiuntur per vitam angelicam et verbum Dei quibusdam angelis superiores; qui primi quidem fuerunt constituti, facti sunt autem novissimi propter aliquas culpas. Accipe autem ad haec Scripturam Apostoli dicentis: *an nescitis quoniam angelos judicabimus? numquid secularia?* Sed et Judas dicit: *quoniam angelos Dei, qui non custodierunt principatum suum, sed reliquerunt suam habitationem, Deus in judicio magnae diei vinculis gravioribus sub caligine conservabit.* Vide ergo, nisi isti quidem quamdiu custodierunt principatum suum, et non reliquerunt propriam habitationem, multo fuerunt hominibus meliores; et erant hominum primi, quorum anima humiliata erat in pulverem, qui facti fuerant in corpore humilitatis, ut vix dicerent aliquando: *miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Homines autem, qui angelorum comparatione novissimi erant, angelorum primi efficiuntur, qui non conservaverunt principatum suum, sed reliquerunt propriam habitationem, accipientes principatum secundum quod scriptum est: *esto potestatem habens super decem civitates, aut super quinque civitates.* Facti ergo in habitatione, quidam angelorum derelinquunt eam: efficiuntur autem homines primi, siquando praedicato sibi regno coelorum, fecerint quae possunt eos sublevare ad illam habitationem, quam angeli reliquerunt. Et multi ex novissimis et nativitatem habentibus super terram, ascendentes, ut fiducialiter dicere possint: *nostra conversatio in coelis est*, efficiuntur primi. »

Ex hac Origenis locutione Huetius ista notavit: *peccare posse angelos et Christi mortis beneficio gaudere, et judicium in eos olim statuendum esse Origenis sententia fuit etc.* Quan-

to autem jure (in his excutiendis veterem Interpretationem sequor, omisso graeco textu quippe interpolato) quanto inquam jure corripuerit Huetius Origenem, comprehenderit, qui sedulo Auctoris in exponendis Scripturis pervestigavit methodum ac praecipue in sensus multiplicis usu. Hac namque methodo, qua pro fidelium aedificatione frequentius utitur, pergens in interpretationem praefatae sententiae: *multi erunt primi novissimi*, putat, ibi comprehendi posse angelos illos, qui creatione praecesserunt hominibus ceterisque creaturis, tametsi ob apostasiae peccatum evaserint novissimi, hominibusque inferiores; et ex adverso homines licet novissimos, per vitam angelicam, Deique verbum fieri posse superiores illis angelis rebellibus. Cum vero ita arguat Origenes, non de statu praesenti coelestium spirituum loquitur: quasi dicat angelos visioni beatificae admissos, modo peccare posse, ac ita fieri novissimos. Sed de iis angelis, qui primi quidem creati et primi constituti relate ad homines, atque in proprio arbitrio relicti, olim Deo rebellarunt: atque ideo de coelis perpetuo prolapsi sunt. Et sic considerata illorum malitia, qua divinae voluntati restitere, inferiores efficiuntur eisdem hominibus; qui in pravitate nati quamvis sint, nihilominus ob poenitentiam ad Deum conversi per fidem et vitam angelicam superiores evadunt et primi eorum, qui defecerunt, angelorum.

Ideoque verba: *multi angelorum efficiuntur inferiores quibusdam hominibus*, intenta comparatione eximiorum hominum credentium, dicit, quod isti homines praestant angelis illis, qui olim peccarunt, non quod hodie peccare possint. Et id statim explicat luculentius scribens de angelis, *qui primi quidem constituti fuerunt, facti sunt autem novissimi propter aliquas culpas*: non ait *fiunt novissimi* quasi modo peccare possent, sed *facti sunt novissimi* cum Deo restiterint; ac ideo dejecti in novissimum locum. Hoc autem magis patet ex sequentibus, ubi probare studet propositum ex dictis apostolicis: *an nescitis, quoniam angelos judicabimus?* non angelos coelestes, non angelos lucis, sed angelos tenebrarum, uti sapienter ibi vidit s. Augustinus et cum eo alii. Et rursus firmat Origenes ex Judae Epistola, de angelis Dei, *qui*

ibi assignari episcopo, quae reapse angelorum spirituum sunt, idest: *quotidie videat faciem Patris qui in coelis est.* Quae per similitudinem tantum dicit relate ad suam voluntati divinae uniformitatem in regimine ecclesiarum: ut sic sibi consequens servetur oratio, nec sensus pervertatur.

Similiter succedit in altera similitudine: « Sic enim cum paedagogo traditur puer, si forte minus dignis, nec secundum paternam nobilitatem imbutus appareat disciplinis, continuo culpa ad paedagogum refertur, nec ita puer a patre ut paedagogus arguitur etc. » Quae verba magis nostram roborant interpretationem. Satis durum enim esset absolute de spiritibus coelestibus comprehendere talia Origenis dicta et seorsim ab episcopis rectoribus animarum nostrarum. Eo magis quod ab initio ait: *adest unicuique nostrum etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, angelus bonus* etc. quocum indicatur horum angelorum custodia erga eos, qui sunt in Ecclesia: quando alias Origenes cunctis hominibus etiam extra Ecclesiam, bonum adstare angelum doceat.

Haec vero in sequenti n. 4. magis clarescent, ubi: « *et iratus est*, inquit, *furore Dominus contra Israel, et dixit Dominus ad Moysen: assume principes populi, et ostenta illos contra solem, et avertetur ira furoris Domini ab Israel.* Quibus verbis expensis antea de mundi hujus principibus, subdit: « Sed fortassis etiam sit aliquis in hoc arcanus et reconditus sensus, qui plus aliquid doceat, quam communis haec habere videtur expositio. Fortassis enim referri et hoc potest ad illos principes populi, de quibus paulo superius diximus. Venient enim angeli ad judicium nobiscum et stabunt pro nobis ante solem justitiae, ne forte aliquid etiam ex ipsis causae fuerit quod nos deliquimus, ne forte minus erga nos operis et laboris expenderit, quo nos a peccatorum labe revocarint. Nisi enim esset etiam aliquid in ipsis, quod in causa nostri culpandum videretur, nunquam diceret sermo Scripturae ad angelum illius et illius ecclesiae, quia habet (verbi gratia) quosdam tenentes doctrinam Balaam, vel quia dereliquisti caritatem tuam pristinam, vel patientiam tuam, vel alia hujusmodi, quae jam superius memoravimus, pro quibus in Apocalypsi, angeli uniuscujusque ecclesiae cul-

pantur.... Debet nobis acrior et esse sollicitudo actuum nostrorum, scientibus quod non solum nos ante tribunal Dei pro actibus nostris stabimus, sed angeli pro nobis ad judicium deducentur tanquam principes et duces nostri. Propterea enim et Scriptura dicit: *obedite praepositis vestris, et obtemperate eis in omnibus. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* »

Cum ergo Origenes Moysis verba: *assume principes populi et ostenta illos Domino contra solem,* duplici sensu explanet, idest secularem potestatem comprehendens et ecclesiasticam; ac ministerii cujusque consideret momentum; ac insuper Scripturas citet litteraliter argumento consonantes, Apocalypsim nimirum, ubi agitur de ecclesiarum Asiae praesulibus, atque Apostoli dicta: *obedite praepositis vestris* etc. ac novissimo cum se Auctor per hunc sermonem conferat ad praefata n. 3. *Adest unicuique nostrum etiam minimis, qui sunt in Ecclesia, Angelus bonus, angelus Domini qui regat, moneat* etc. deducitur utrinque sub angelorum nomine non nisi ab ipso comprehendi episcopos ecclesiarum; et sic inde Huetio aliisve tolli praetextum increpandi Origenem.

Praeterea paulo post Homilia XXIV. n. 3. ad idem redit argumentum, repetens antea discussa, et amplissime confirmans. De votis namque mulieris sub potestate viri constitutae, locutus inquit: « Saepe diximus animarum, quae in Ecclesia Dei sunt, curam et procurationem haberi per angelos: quosque etiam ad judicium venire cum hominibus ostendimus, ut illo divino constet examine, utrum sua desidia peccaverint homines, an monitorum custodumque negligentia. Videtur mihi etiam in hoc loco, etiam sub mysterio designari et ostendi, quod aliae quidem, ut filiae, sub eis animae degunt; aliae ut uxores secundum ea, quae superius distinximus. Siqua ergo harum offerre aliquid et vovere incipiat Deo, siquidem praeproperum, et minus aptum quod vovit, est, illius est utpote custodis et monitoris angeli retrudere et reprimere voventis audaciam. Si vero audiens non monuerit; anima quidem liberabitur a culpa; ipse vero voti manebit obnoxius. » Quemdam sane per ea verba *retrudere reprimere, voti manere obnoxium* quod episcopis in Ecclesia

proprium est, vix reperiri putarem, qui spiritui coelesti talia aptari posse credat, ac ita voluisse Origenem.

Item sub eadem angeli significatione, quam de episcopis tradit Joannes in Apocalypsi, veniunt dicta Homiliae XXI. n. 12. *in Hieremiam,* in qua haec explanantur: *curavimus Babylonem et non est sanata, relinquamus eam*: « Vide autem homo, inquit Origenes, nequando angelis praecipiat Deus, ut ad languorem animae tuae medicaminum emplastra conficiant, si quomodo possis ab aegrotatione sanari; et respondeant angeli: *curavimus Babylonem,* istam ostendentes a passionibus confusam animam tuam, *et non est sanata.* ...... Steterunt medici sub magno medico angeli Dei, volentes curare imbecillitates nostras, volentes animam liberare de vitiis; sed nos ipsi repellimus eos, dum consiliis eorum non acquiescimus etc. »

Nec aliter exponenda sunt, quae Homilia XI. n. 3. 4. *in Numeros,* pro suo Scripturas interpretandi more, inquit ex verbis: *omnes primitias olei, et vini et frumenti, horum omnium primitiae, quae oblata fuerint Deo, tibi dedi ea.* In quibus primitiis varimode expositis, primum reperit summum Pontificem Christum Dominum, deinde Cornelium, ecclesiae gentium primitias. In his vidit angelos mundi et humani cordis curatores. In his novit Apostolos Petrum et Paulum et ab his Ecclesiae Doctores. Et ob hoc ait: « Verum quoniam ex angelorum primitiis sermo sumpsit exordium, quas offerri ab eisdem humani generis cultoribus dixeramus; atque ad Apostolos sequenti loco, et inde ad unumquemque Doctorum deducti sumus, redeamus ad originem eorum, quae discutere coeperamus. Igitur unusquisque angelorum in consummatione seculi aderit in judicio, educens eos secum quibus praefuit, quos adjuvit, quos instruxit, pro quibus semper vidit faciem Patris, qui in coelis est. Et puto etiam ibi inquisitionem futuram, non quidem an culturae hominum angelus defuerit, sed an culturae angelicae nequaquam segnitia humana responderit. Erit ergo et in hoc judicium Dei, utrum negligentia aliqua ministrorum spirituum, qui ad ministerium et adjutorium missi sunt salutis, an eorum, qui ab iis juvantur, ignavia, tam multi lapsus vitae humanae pro-

veniant. Quod si ita est, erit ergo etiam inter angelos et homines judicium Dei etc. » In quo sermone luculenter distinguitur angelorum spirituum coelestium ministerium ab hominum conditione, quorum ipsi curam gerunt. Quos quidem homines, non angelos coelestes, in judicio docet puniendos ob ignaviam in respondendo angelorum eorumdem curis.

Verum paulo post ad episcopos retulit hoc nomen inquiens: « Interim, ut dicere coeperamus, offerunt et angeli primitias, unusquisque, credo, gentis suae, et rursus unusquisque ecclesiae suae. Quibus angelis et Joannes in Apocalypsi scribere videtur, ex g. Angelo ecclesiae ephesiorum, vel smyrnensium, vel laodicensium, aliarumque, quae scriptae sunt. Offert ergo unusquisque angelorum primitias, vel ecclesiae, vel gentis suae, quae ei dispensanda commissa est. Aut forte et alii extrinsecus angeli sunt, qui ex omnibus gentibus fideles quoque congregent. Et consideremus ne forte sicut in aliqua ex. g. civitate, ubi nondum christiani nati sunt, si accedat aliquis, et docere incipiat, laboret, instruat, adducat ad fidem; et ipse postmodum iis, quos docuit, princeps et episcopus sit: ita etiam sancti angeli eorum, quos e diversis gentibus congregaverint, et labore suo ac ministerio proficere fecerit, ipsi eorum etiam in futuro principes fiant; et Christus non tam rex dicatur, quam rex regum, et non tam Dominus, quam Dominus dominantium etc. » E qua expositione constat ab Origene hoc angeli nomen transferri quoque ad homines et quidem ad episcopos, singulari privilegio a Deo vocatos animarum curatores, uti manifestissime declaratur ex Joannis testimonio, scribentis ad angelos, idest episcopos ecclesiarum Asiae: veluti in praecedentibus dictum est.



CAPUT VI.

Cetera illustrantur Origenis testimonia, in quibus errasse dicitur circa angelorum conditionem eorumque ministerium erga homines.

Post haec in eamdem pergentibus quaestionem, duo nobis objiciuntur testimonia eruta ab Homiliis XIII. et XXXV. *in Lucam;* quarum versio latina ob interpretis incuriam aut codicum varietatem quadam laborat obscuritate; ac nostrum imminui videtur propositum. Attamen non est praetermittenda utriusque expositio. In Homilia XIII. verbis : *facta est multitudo exercitus coelestis*, varimode consideratis ab Origene, inquit: « Si audacter expedit loqui Scripturarum sensum sequenti, per singulas ecclesias bini sunt episcopi, alius visibilis, alius invisibilis, ille visui carnis, hic sensui patens. Et quomodo homo, si commissam sibi dispensationem, bene egerit, laudatur a Domino; si male, culpae et vitio subjacet, sic et angelus. Scriptum est enim in Apocalypsi Joannis : *sed habes ibi nomina pauca, quae polluerunt illud vel illud;* et rursus: *habes ibi, qui doctrinam Nicolaitarum doceant :* ac deinde : *habes illa vel peccata facientes.* Et accusantur angeli, quibus creditae sunt ecclesiae. Si autem angelis sollicitudo est, quomodo gubernentur ecclesiae, quid necesse est de hominibus dicere, quantum metum habeant ut possint cum angelis laborantibus laborantes salutem consequi ? Ego puto inveniri simul posse et angelum et hominem bonos ecclesiae episcopos, et quodammodo unius operis esse participes. Quod cum ita sit, petamus omnipotentem Deum, ut angeli et homines ecclesiarum episcopi, adjumento sint nobis; et sciamus quoniam utrique pro nobis a Domino judicentur. Quod si illi fuerint judicati, et vitium atque peccatum non in eorum incuria, sed in nostra negligentia fuerit inventum, nos arguemur atque plectemur, etc. »

Cum itaque duo angeli episcopi, unus visibilis, invisibilis alter dicantur ibi praeesse ecclesiis, constat in primis loqui Origenem de angelo episcopo visibili idest de homine,

qui ad regimen animarum a Deo vocatus, ac in ministerio suo angelis par, ecclesiam regit et custodit. Et hoc est, quod sicuti superius dictum est, statuit Evangelista in Apocalypsi de angelis episcopis ecclesiarum Asiae. Item in secundo loco non latet angelos episcopos invisibiles comprehendere spiritus coelestes incorporeos, a Deo datos ecclesiarum custodes, una cum terrestribus episcopis laborantes in salutem nostram: et hinc addendo, utpote bonos, sollertes, fideles in ministerio, cum in judicium vocati fuerint a Deo, immunes a quavis reperiri culpa. Ac ideo ob peccata nostra judicio Dei adstabunt quidem, non ut a Deo puniantur, sed ut testentur adversus nos in damnationem nostram.

Quae vero his subsequuntur non ita perspicue exponuntur ab interprete. Subdit enim Origenes: « Illis (duobus angelis episcopis) enim universa facientibus, et pro nostra salute nitentibus, nos nihilominus a peccatis vacabimus. Porro frequenter evenit, ut nobis laborantibus, illi officium suum non expleant, et in culpis sint. » Et hoc idem legitur in Homilia XXXV: « Et sicut bonus episcopus et optimus ecclesiae dispensator scit sui meriti esse atque virtutis, si oves gregis sibi crediti, fuerint custoditae, ita intellige et de angelis. Ignominia angelo est, si homo justus creditus fuerit et peccaverit etc. » Ab his testimoniis, inquam, deduxerunt adversarii, angelos seu spiritus coelestes in officio suo erga homines deficere et in culpis esse quandoque posse.

Nihilominus non ita alibi docuit Origenes, ut putaret, hos angelos spiritus faciem Patris videntes, peccare posse, et puniri cum peccatoribus eorum curae et custodiae subjectis. In Libro namque II. *Periarchon* c. X. n. 7. inquit: « Sed et illud quod de dispensatoribus non bonis in Evangelio dictum est, qui dividendi dicuntur, et pars eorum cum infidelibus poni, tanquam ea pars, quae ipsorum propria non sit, aliorsum sit mittenda, sine dubio genus aliquod indicat poenae eorum, quorum ut mihi videtur, separandus ab anima spiritus indicatur....... Potest autem et tertio sensu illud intelligi de divisione ista, ut quoniam unicuique fidelium etiamsi minimus sit in Ecclesia, adesse angelus dicitur, qui etiam semper videre faciem Dei Patris a Salvatore perhibe-

tur, et hic utique unum erat cum eo, cui praeerat, si is per inobedientiam efficiatur indignus, auferri ab eo angelus dicatur, et tunc pars ejus, idest humanae naturae pars avulsa a Dei parte, cum infidelibus deputetur: quoniam commonitiones appositi sibi a Deo angeli non fideliter custodivit. »

Ab hac locutione non solum angelorum custodum negligentia erga homines peccatores excluditur, sed et insuper poena ipsis angelis debita. Non enim fieri potest talia pati angelos in conspectu Dei adstantes. Quapropter in hoc loco Origenes sapientissime dixit, angelos Dei separari a fideli suae curae commisso, quando commonitiones suas spernit; nullimode vero putat eosdem, transgressoris culpis et poenis communicare. Et ob hoc in Libro III. n. 37. contra Celsum de ipsis inquit: « Qui (christiani) sciunt θεῖοι καὶ ἅγιοι ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ divinos et sanctos angelos Dei alterius naturae et voluntatis esse ac daemones omnes, qui in terra sunt. » Cum itaque hos coelestes spiritus Origenes nuncupet *divinos et sanctos* omnem ab his amovet peccandi occasionem. Divinae enim gloriae participes fieri nequit ut unquam a caritatis fervore desinant. Praeterea in Libro VIII. n. 27. inquit Deum piorum custodiae *divinos suos angelos* praeficere: quos custodia dignos videt, ut nihil illis daemones noceant. Si igitur angeli ad custodiam destinati eorum, quos tali custodia dignos videt Deus, ne his noceant daemones, peccare potuissent, aut officio suo deesse, qualis Dei providentia erga electos suos?

Quos autem divinos et sanctos angelos, ideo ita vocat, quia peccare non possunt, nec in ministerio proprio deficere, nec in culpis reperiri, comprobavit Origenes *in expositione Proverbiorum* c. XXI. 22. (edita ab Emõ Majo): *angelorum enim est, nunquam concupiscere concupiscentias malitiae; daemonum vero semper male concupiscere*. Quod manifestissime statuit in c. V. Libri I. *Periarchon*, naturas rationales in tria genera distinguens, genus scilicet spirituum coelestium et sanctorum, alterum malignarum virtutum, et tertium hominum genus; qui *inter bonas et malas naturas medii sunt et adhuc in agone et certamine positi*. Ideoque si tertium genus naturarum rationalium tantummodo medium dixerit inter bonas et malas et adhuc in agone positum; ex-

cludit ab hoc certamine primum et secundum: ita ut modo nec sanctae virtutes ad malitiam, nec malae ad sanctitatem transire possint; proindeque spiritus coelestes perpetuo maneant a quavis culpa immunes. Et ob hoc plurimum juvat quod in Libro V. n. 4. 5. praeclare discutit contra Celsum rogantem, quinam erant, qui descenderant ad homines, an angeli an dii vel daemones. Subit Origenes: « Unde quod Celsus respondet sibi quasi verbis nostris, *angelos qui ad praestanda hominibus beneficia descendunt, esse aliquod genus diversum a diis, eosque probabiliter esse daemones*, id hominis est, qui sacras Scripturas non legit. 'Ουκ ὁρῶν, ὅτι τὸ τῶν δαιμόνων ὄνομα ὀυδὲ μέσον ἐστὶν, ὡς τὸ τῶν ἀνθρώπων, ἐν οἷς τινες μὲν ἀστεῖοι, τινὲς δὲ φαῦλοί ἐισιν. Ὅυτ' ἀστεῖον, ὁποῖόν ἐστι τὸ τῶν θεῶν, τασσόμενον ὀυκ ἐπὶ φαύλων δαιμονίων, ἢ ἐπὶ ἀγαλμάτων, ἢ ἐπὶ ζώων ἀλλ' ὑπὸ τῶν τὰ Θεοῦ ἐγνωκότων, ἐπὶ τῶν ἀληθῶς θειοτέρων καὶ μακαρίων. i. e. Qui non videt daemonum nomen neque medium esse, sicut hominum nomen est; in quibus aliqui boni sunt, aliqui autem mali: neque bonum est, quale est nomen deorum, quod imponitur non super malos daemones, aut super simulacra, sive super animantia; sed ab iis, qui, quae Dei sunt, cognoscunt, imponitur super eos, qui revera sunt diviniores et beati. Semper autem super maleficas extra crassum corpus virtutes imponitur daemonum nomen, quae homines in errorem inducunt et transvertunt etc.» Quapropter in sequentibus numeris 52. 54. 55. fabulas ejusdem Celsi refellit de angelis sexaginta aut septuaginta, quos, priusquam Christus de coelis descenderet, in terram venisse putavit: *eosque, cum facti fuissent mali, vinculis sub terris constrictos, suorum criminum luituros poenas*; sicuti quoque ridet Origenes, quod ibi addit Celsus, angelos e coelo profectos, corporeas fundere lacrymas humanis similes. Unde conjicere licet, quae reapse senserit Origenes de angelis, et quomodo accipienda sint, quae de ipsis ait; quum, prout adversarii praetendunt, aliquando corporeos existimarit, alias flentes, alias poenas luentes cum peccatoribus, illorum custodiae commissis.

Ceterum ob ea quae dicta sunt de obscuritate in praefatis duabus Origenis Homiliis, unde visus est ipse peccabi-

litatem in spiritibus coelestibus admisisse, sciendum quoque est, veluti praemisi, qui latinam hanc conflavit translationem, haud accurate litteram secutum fuisse, verum potius quamdam concinnasse paraphrasim, quandoque confusam, nec graecae dictioni respondentem. Hoc autem videre licet ex Grabii Schaedis antiquae versioni subjunctis. Ex. g. ex Homilia 1. *in Lucam* priscus Interpres vertit: « Putat aliquis quod ad Theophilum quemdam Evangelium scripserit. Omnes, qui non auditis loquentes, si tales fueritis ut diligamini a Deo, et vos *theophili* estis, et ad vos Evangelium scribitur. Siquis *theophilus* est, iste optimus et fortissimus est; hoc quippe significantius graeco sermone κράτιστος. Nemo *theophilus* infirmus est. » Schaedae vero Grabii ex graeco ita tradunt: « Erunt fortasse nonnulli, quibus videbitur ad Theophilum quemdam, qui unus e fidelibus erat, Evangelium scripsisse. Hic spiritu fervens et insatiabili amore captus verborum et Domini actionum, securior etiam factus est, ubi haec scripta sunt. Alius dicit nosmetipsos omnes esse *theophilos*, si tales fuerimus ut a Deo amemur et diligamur. »

Item ex Homilia II. vetus Translator de Zacharia et Elizabet: *erant autem justi ambo in conspectu Dei*, Origenis dicta ita vertit: « Potest quippe fieri, ut sit aliquis justus in conspectu hominum, sed in conspectu Dei, non. Verbi gratia: quando non habet homo quod de me male loquatur; et in me universa considerans, nihil cui detrahat, reperit, justus sum in conspectu hominum. Finge omnes de me aequalem habere sententiam; et quaerere quid detrahant mibi, et tamen invenire non posse, sed consono me ore laudare; justus sum in conspectu hominum plurimorum: verum hominum non est certum judicium. Nesciunt enim utrum in abscondito cordis mei aliquando peccaverim; utrum viderim mulierem ad concupiscendam eam, et adulterium mibi in corde sit natum. Ignorant homines cum me viderint secundum vires meas eleemosinam facere, utrum propter mandatum Dei fecerim, an hominum laudem favoremque quaesierim. Difficilis res est in conspectu Dei justum esse, ut non ob aliam causam, quid boni facias nisi propter ipsum bonum; et Deum tantum quaeras boni operis retributorem. Tale quid et Apo-

stolus loquitur: *quorum laus non ex hominibus sed ex Deo est.* »

Ex Grabii porro Schaedis graecanicis varimode explanatur Origenis expositio: « *Erant autem justi ambo ante Deum.* Ipse enim novit corda hominum, quia solus scit digne laudare laudabilem, et digne judicare vituperabilem: quoniam videt in occulto nec solum actiones, sed et cogitationes. Nuda enim ipsi rerum natura conspicitur, et scopus exploratus est. Homines autem nesciunt digne laudare, quippe qui id quod videtur, respiciunt; occulta vero ignorant, et propterea erroneam saepe opinionem amplectuntur. Et aliter quidem illi, aliter vero Deus vitas hominum dijudicat. Potest enim fieri ut secundum id quod videtur, aliquis justus sit in conspectu hominum, in occulto autem mentis non sit ejusmodi, sed latentes habeat cogitationes perversas. Tale quid etiam Paulus significat dicens de quibusdam: *quorum laus non ex hominibus sed ex Deo est.* »

Ex his igitur collationibus inspice discrepantiam hujus versionis ab altera antiqua: et quamvis substantialiter non sit mutatus in prisca versione Auctoris sensus, tamen quoad genuinam, simplicem, ac litteralem Origenis expositionem valde una ab altera differt: ita ut paraphrasis potius dicatur versio antiqua ex Translatoris arbitrio confecta, quam verbotenus expressio sensus originalis. Quamobrem si in quaestione de angelis veluti praenotavimus, in citatis Homiliis super Evangelium divi Lucae, nonnulla obscura occurrant, ac insuper minus Origenis doctrinae consectaria, quam alibi tradidit prope Ecclesiae Catholicae sensum, aut saltem secundum tunc invalescentes opiniones de angelis, non Origeni ea inscribenda sunt, sed Interpretis incuriae, aut propriae transferendi methodo. Quae translatio ex antiqua inscriptione videretur s. Hieronymo reddenda.

Siquis demum ex praefatis Homiliis et alibi instet, eumdem loqui de angelis coelestibus culpae obnoxiis in ministerio suo, ob ea verba: *quia angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in coelis est:* respondendum est non ubique Origenem in sensu proprio ea proferre, sed et aliquando improprie, sive ad similitudinem, praesertim cum loquitur

de episcopis angelis visibilibus (sub eadem significatione, qua utitur Evangelista in Apocalypsi) qui in terra sanctum mediatoris officium exercent, inter Deum et homines suo regimini subditos. In quo ministerio per assimilationem aequiparantur spiritibus coelestibus faciem Patris videntibus veluti in Scripturis : *coram Deo ambulavit.* Quam visionem alias ait consequi fideles omnes corde et conscientia mundos: uti ex. g. *in Psalmum* XXIII. 6. *Haec est generatio quaerentium eum, quaerentium faciem Dei Jacobi.* « At nemo, inquit, quaerens faciem Dei, hic faciem Dei videbit : *Non enim videbit homo faciem meam, et vivet.* Mutari te necesse est, ut quaerens faciem Dei, illam videas. Humana omnia tibi abjicienda sunt. Angelum te imo et Deum fieri oportet. Nam Salvator ait: *ne contemnatis unum de pusillis istis* etc. »

Postea in nostris discussionibus pergentes alterum reperimus Origenis testimonium circa variam angelorum beatorum et daemonum naturam, obsignatum in Libro III. n. 37. contra Celsum: « Ceterum aegyptii, ait, docti Antinoum venerari ferent illum cum Apolline, aut Jove comparari, quippe ideo illum colunt, quia in eodem ac illos numero habent. Nam certe Celsus mentitur, cum inquit, *non passuros aegyptios, si quis illum cum Apolline aut Jove comparaverit.* At christiani, qui didicerunt aeternam se manere vitam in cognoscendo solo rerum omnium vero Deo, et eo, quem misit, Jesu Christo, positam; qui norunt omnes Deos gentium avida esse daemonia circum victimas, sanguinem, aliasque sacrificiorum partes volitantia; idque ut eos decipiant, qui ad Deum rerum omnium non confugiunt: qui sciunt divinos sanctosque Dei angelos ἄλλης φύσεως alterius naturae esse et voluntatis ac daemones omnes, qui super terram sunt; hosque perpaucis notos esse, iis nimirum, qui prudenter et accurate illis cognoscendis dant operam : christiani, inquam, non sustinebunt, comparari Apollinem et Jovem, aut quemvis eorum, qui adipe, sanguine et victimis placantur. (1) »

(1) Daemon a graeca voce δαίω *scio*, docet Plato in Cratylo, unde δαίμων vel δαήμων. Et apud latinos contracte *daemon*, vel *doemon* varias subit significationes ex graecorum usu. Vetus Homeri Scholia-

Ab hac locutione Huetius Quaestione V. n. 7. ex Commentario in *Joannem* Tomo XX. n. 20. sciens statuisse Origenem, nullam poni differentiam inter angelorum sanctorum et daemonum ὀυσίαν essentiam, hanc putavit tollere antilogiam, vocabulum φύσεως *naturae* distinguendo ab altero ὀυσίας *essentiae*. Ego vero quamvis hic nolim Huetii contraire distinctioni; diversimode tamen hanc antilogiae speciem explicari posse arbitror. Quinimmo audentius inquam, Origenem in loco citato adversus Celsum, naturam angelorum coelestium apte, et convenienter a natura distulisse daemonum, de quibus ibi loquitur. Ac interim nemo ignoret, primum sub daemonum vocabulo comprehendere Auctorem coelestes spiritus, qui a bono decidentes, mali facti sunt, ac in malo incessanter perseverant. Hoc nomen inquit in Libro V. n. 5. adversus eumdem Celsum, semper tribui maleficis illis potestatibus extra corpus crassum, homines a Deo et a pietate avocantibus. Secundo, quandoque Adamantius improprie, sive per assimilationem homines improbos daemones vocat: qui in malitiae profunditatem lapsi, diabolo aequantur, uti in Evangelio ait Christus pharisaeis: *vos ex patre diabolo estis*, *et desideria patris vestri vultis facere*: manente tamen in ipsis arbitrio sese convertendi ad Deum. Sicuti pari ratione dicit de hominibus probis, qui perfectionem assecuti, angelis Dei comparantur, quamvis ex arbitratu proprio converti possint ad malitiam: quod praeclare significavit in Libro I. c. VIII. n. 4. et Libro III. c. I. n. 21. *Periarchon*.

Tertio, veterum accepta gentium nuncupatione, defunctorum animas *daemones* dixit, qui vulgo apud ethnicos scriptores et philosophos sub alio sive deorum, sive, geniorum, sive heroum nomine veniunt: quique reapse aliam praeferunt naturam ab illis spiritibus Deo rebellibus. Quapropter si in loco citato sub communi gentilium nuncupatione accipiatur, quod ait Origenes de daemonibus, tunc omnimode

stes, teste Suicero, daemones vocat Deos quasi scientes, peritos scilicet rerum omnium, arbitros et procuratores hominum. Daemones item dicuntur spiritus quidam potentes a diis distincti et his inferiores, quales homines honesti extiterint apud ethnicos. Aliquando usurpantur de bono vel malo genio; non autem sic apud Scriptores ecclesiasticos.

evanescit difficultas; nec aliter puto exponendum. Confutat ibi namque Celsum diversarum gentium diis assimilantem Jesum, quos deos et heroas et daemones vocat ex. g. Antinoum, Apollinem, et Jovem: quorum natura tantum distat ab angelis, quantum homo ab his differtur; quique ex gentium superstitione per *apotheosim* post obitum inter deos translati sunt: veluti in sequentibus ostendit, subdens: « Multa etiam dici possunt de divinis angelis; multa et de iis, qui veritati infensi sunt, et qui primum decepti, ex errore haberi volunt aut pro diis, aut pro Dei angelis, aut pro bonis daemonibus, aut pro heroibus, in quos humana anima bona conversa fuisset. »

Minoris item seu nullius momenti adversus propositum reperitur ex Matthaei verbis: *et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis coelorum usque ad terminos eorum.* Quae Origenes interpretatus in Tractatu XXX. n. 51. Huetio occasionem praebuit, illum insimulandi. Ibi namque legitur: « Si autem post summam conversationis, quae fuit in terris, susceperit subsequens conversatio eos, qui conversationem habuerunt in coelis, non simpliciter a summo coelo, sicut a summo terrae, sed a summis coelis, quoniam unumquodque coelum suae institutionis et initia habet et perfectiones, idest terminos: ut puta post conversationem summam, quae fuit super terram, suscipit iterum hominem conversatio unius coeli, et perfectio, quae in eo est. Iterum suscepit eum secunda conversatio secundi coeli, et perfectio, quae in eo est. Iterum suscepit eum tertia conversatio tertii coeli, et perfectio quae in eo est. Et sic intellige mihi multorum coelorum multarum conversationum initia esse et terminos, idest perfectiones; a quibus initiis et terminis diversorum coelorum congregat Deus suos electos; aut ita: *a summis coelorum usque ad terminos eorum.* »

Quid inde eruendum sit pro iis, quae Hieronymus interpretatus est ex libris *De Principiis*, non video. Sermo namque Origenis ex Evangelistae testimonio *a summis coelorum usque ad terminos eorum*, totus allegoricus est; hominisque profectum in virtutem indicat, Scripturas divinas edocti, usque dum perfectionem acquirat. Itaque in sequentibus dicit:

« Coeli sunt, vel Scripturae divinae vel auctores earum, in quibus habitat Deus. Summa autem Scripturarum sunt initia earum, termini autem consummationes earum. Congregantur ergo sancti a summis coelorum, idest, ab eis, qui coelo vivunt in initiis Scripturarum usque ad eos, qui vivunt in consummationibus earum; ac ut plus dicam, a rudibus eorum usque ad perfectos eorum. Qui autem mittuntur angeli a Salvatore ad congregandum electos ejus, congregabunt eos non cum voce qualicumque; sed cum tuba, quae vocatur magna, non vocem dante incertam, sed certam et manifestam, ut qui audierint et didicerint, parent se ad viam perfectionis, quae ducit ad Filium Dei. »

Ast ad cetera redeamus, quae Hieronymus aliter considerat, quam intendit Origenes ex Ruffini interpretatione in libro I. *Periarchon* c. VI. n. 3.: « Interim tam in his, quae videntur et temporalibus seculis, quam in illis, quae non videntur et aeterna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo, et meritorum dignitatibus dispensantur: ut alii in primis, alii in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus, et per majora ac graviora supplicia, nec non et diuturna, ac multis, ut ita dicam, seculis tollerata asperioribus emendationibus reparati, ac restituti eruditionibus primo angelicis, tum deinde etiam superiorum graduum virtutibus; et sic per singula ad superiora provecti usque ad ea, quae sunt invisibilia et aeterna perveniant; singulis videlicet quibusque coelestium virtutum officiis quadam eruditionum specie peragratis. Ex quo, ut opinor, hoc consequentia ipsa videtur ostendere, unamquamque rationalem naturam posse ab omnibus in singulos pervenire; dum accessus profectuum vel defectuum varios pro motibus, vel conatibus propriis, unusquisque pro liberi arbitrii facultate perpetitur. »

Horum porro verborum sensus ex praefatis eruitur, ubi de secunda rationalium classe loquitur Origenes, qui homines sunt, et hi angelorum, seu virtutum coelestium custodiae et regimini subjecti non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro. Ex quo enim, ait, homines post illorum praevaricationem a bono, manente tamen cujusque arbitrio, pro illorum ordine, ratione ac meritorum dignitatibus ab angelis

dispensantur, reformantur, castigantur varimode: nonnulli per majora et graviora supplicia, alii per breve tempus, alii per diuturna secula emendantur. Et sic ab uno ad alterum angelorum ordinem transeunt juxta horum proprium munus in generis humani oeconomia, donec omnes ad statum primae beatitudinis, sive bonitatis restituantur; in quo speciatim consistit, quam saepius memoravimus et expendimus, *palingenesia* seu regeneratio.

Hujus autem pericopae explanatio ceteris, quae antea in n. 2. dicuntur, committenda est; ubi ex diversis spirituum coelestium ordinibus munera quoque singulorum decernuntur relate ad homines, quorum curae et regimini ante dum in vita manent, et post obitum universim subjiciuntur, ita ut quemadmodum angelorum ordines inter se variant, et unicuique traditum est officium proprium, uni ex. g. custodiendi, alii regendi, alteri dominandi, alii judicandi etc. ita quoad hominum conditionem erga ipsos spirituum ordines, pro cujusque nostrum usibus et necessitatibus vir hac in vita ab uno ordine ad alterius transeat subjectionem. Veluti diceret Adamantius, qui ex. g. thronis suberat prius, sub potestatibus deinde transire potest, sive dominationibus servire; atque hujusmodi subire vices ob varios suipsius casus in virtutis profectum vel defectum, et id ob illud, quod praevalet in natura humana, voluntatis arbitrium.

Praeterea, siquid in hoc sermone intellectu arduum videatur, alibi in Libro III. c. VI. 6. magis patefiet. Ibi enim Origenes idem argumentum *De mundi consummatione* resumens, nec non de regeneratione humanitatis ad breve, seu longum, sive longissimum tempus post obitum perficienda, sicuti de angelorum ministerio, qui huic reparationi praeficientur, scribit: « In hunc ergo statum omnem hanc nostram substantiam corporalem putandum est perducendam tunc cum omnia restituentur, ut unum sint, et cum Deus fuerit omnia in omnibus. Quod tamen non ad subitum fieri, sed paulatim et per partes intelligendum est, infinitis et labentibus seculis immensis, cum sensim et per singulos emendatio fuerit, et correctio prosecuta, praecurrentibus aliis, et velociori cursu ad summa tendentibus, aliis vero proximo quoque spatio

insequentibus; tum deinde aliis longe posterius, et sic per multos et innumeros ordines proficientium, ac Deo se ex inimicis reconciliantium, pervenitur usque ad novissimum inimicum, qui dicitur mors, ut etiam ipse destruatur, ne ultra sit inimicus etc. » Quorum verborum sensum superius partim indicavimus. Verum paulo post Origenes rursus hoc idem adstruit et explicat n. 9. ubi angelos seu coelestes virtutes nuncupans veluti actores, Deique procuratores in hoc *apocatastaseos* instaurationis omnium opere consummando, id illos acturos dicens donec Christus suscipiat regnum, illudque tradat Patri, ut sit *Deus omnia in omnibus*. Scribit enim: « Hoc itaque modo in consummatione et restitutione omnium fieri putandum est, ut paulatim proficientes, et ascendentes, modo et ordine perveniant primo ad terram illam et eruditionem, quae in ea est; in qua ad meliora, et illa, quibus jam addi nihil potest, instituta praeparentur. Post actores enim et procuratores Christus Dominus, qui est rex omnium, regnum ipse suscipiet, idest post eruditionem sanctarum virtutum, eos, qui eum capere possunt secundum quod sapientia est, ipse instruet, regnans in eis tamdiu, usquequo eos etiam Patri subjiciat, qui sibi subdidit omnia; idest ut cum capaces Dei effecti fuerint, sit eis Deus omnia in omnibus etc. »

Ex his interim quivis videat, utraque et Hieronymi et Ruffini collata versione, num illa admittenda sit, quam s. Doctor compegit in Epistola ad Avitum, uti paulo ante ob lectoris oculos objeci: eoque magis quod Ruffini interpretatio specialibus Origenis quaestionibus in quatuor *Periarchon* libris comprehensis accommodatur, adeo ut, quae probe scripsit in Libro I. *De rationalibus*, pari sensu et ratione ea ipsa statuantur in secundo, tertio et quarto, veluti dictum est. Et in quibus Ruffinus ipse adfirmavit, se nihil eorum, quae in codicibus graecis legebantur, aut variasse, seu emendasse. Quod sane de Hieronymi versione, uti ipse notat in citata Epistola, dici nequit; cum penitus hujus versionis sensus non tantum doctrinis contradicit, quas saepe in aliis vario genere scriptis exposuit sancivitque Adamantius, verum etiam adversus ea contendit, quae ab ipso definita sunt in praefato Opere, dogmati catholico consona, de daemonum et

reproborum nunquam desituris poenis, deque eorumdem invariabili naturarum conditione.

Eoque magis demum hoc tenendum est pro Ruffini versionis sinceritate adversus interpolationem codicis graeci a Hieronymo translati; quando ab initio hujus secundae Partis patefactus est Origenis scopus in hac *Periarchon* collatione adversus haereticos potissimum marcionitas, valentinianos et basilidianos : qui hujusmodi prava dogmata (quibus adhaesisse ab ipso Hieronymo incusatur Origenes) effundebant per ecclesias ad fidelium illusionem. In quibus expugnandis sedulum laborem impendit Origenes, a divinis Scripturis et apostolica traditione recipiens, ut ipse confessus est, quae illorum opponeret deliriis, sapientissime disputans de rationalibus, angelis nimirum, daemonibus et hominibus.

CAPUT VII.

Variae ex Hieronymo et Ruffino discutiuntur lectiones Libri IV. Periarchon, *et praesertim in quibus putatur Origenes secundam admisisse in coelis Christi passionem pro daemonum salute.*

Quaedam adhuc manent disquirenda, in quibus unus ab altero distant Hieronymus et Ruffinus circa horum sensum; quaeque insuper, uti vertit Hieronymus, dogmati de resurrectione et de aeternitate poenarum refragantur. Et ista leguntur in Libro IV. *De Principiis*, cujus thema inscribitur *De Bibliorum divinorum interpretatione*. Verba porro in quaestione citantur in capite 23. quae cum adhuc graece supersint collecta ab antiquissimo tempore in *Philocalia*, par est hic subjicere cum versione latina Ruffini et s. Hieronymi.

Τάχα δὲ ὥσπερ ὁι ἐντεῦθεν κατὰ τὸν κοινὸν θάνατον ἀποθνήσκοντες, ἐκ τῶν ενταῦθα πεπραγμένων ὀικονομοῦνται, ἐι κριθεῖεν ἄξιοι τοῦ καλουμένου χωρίου ᾅδου διαφόρων τυγχάνειν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῶν ἁμαρτημάτων, ὄυτως ὁι ἐκεῖθεν, ἵν ὅυτως ἔιπω, ἀποθνήσκοντες ἐις τὴν ᾅδην τοῦτον καταβάινουσι κρινόμενοι ἄξιοι τῶν τοῦ παντὸς περιγείου τόπου διαφόρων ὀικητηρίων βελτιόνων ἢ χειρόνων καὶ παρὰ τοῖσδεἢ τοῖσδε τοῖς πατράσιν ὡς δυνάσθαί ποτε ἰσραηλίτην πεσεῖν ἐς σκύθας, καὶ ἀιγύπτιον ἐις τὴν ἰουδαίαν κατελθεῖν, πλὴν ὁ σωτὴρ συναγαγεῖν ἦλθε τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα ὄικου ἰσραὴλ, καὶ πολλῶν ἀπὸ τοῦ ἰσραὴλ μὴ ἐιξάντων τῇ διδασκαλίᾳ ἀυτοῦ, ὁι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν καλοῦνται.

Haec porro pericope litteraliter ex graeco translata talem praebet sensum: « Forsitan autem quemadmodum ii, qui communem mortem hinc obeunt, pro rebus hic a se gestis ita dispensantur, ut, si regione, quae infernus dicitur, digni fuerint judicati, diversa pro ratione peccatorum obtineant loca: sic qui illinc, ut ita dicam, moriuntur, in infernum hunc descendunt digni judicati, qui in variis totius circumterrestris loci domiciliis vel melioribus seu deteriori-

bus habitent; et apud has vel illas patrias, aut gentes sint; adeo ut possit quandoque israelitas in scythas incidere et aegyptios in Judaeam descendere. Verumtamen Salvator venit congregatum oves, quae perierant, domus Israel. Cumque multi ex Israel doctrinam ejus non receperint, qui ex gentibus erant, vocantur. » Deinde sequitur: « Haec in historiis delitescere nobis videntur etc. »

Ruffini Interpretatio

« Fortassis enim sicut hi, qui de hoc mundo secundum communem mortem istam recedentes pro actibus suis et meritis dispensantur, prout digni fuerint judicati, alii quidem in locum, qui dicitur infernus, alii in sinum Abrahae, et per diversa quaeque vel loca vel mansiones: ita etiam ex illis locis velut illic, si dici potest, morientes, a supernis in hunc infernum descendunt. Nam ille infernus, ad quem hinc morientium animae ducuntur, credo, ob hanc distinctionem infernus inferior a Scriptura nominatur, sicuti dicitur in Psalmis: *quia liberasti animam meam ex inferno inferiori*. Unusquisque ergo descendentium in terram pro meritis, vel loco suo, quem ibi habuerat, dispensatur in hoc mundo in diversis vel locis, vel gentibus, vel conversationibus, vel infirmitatibus nasci, vel a religiosis, aut certe minus piis parentibus generati; ita ut aliquando contingat israelitam in scythas descendere, et aegyptium pauperem deduci in Judaeam. Verumtamen Salvator noster congregare venit oves, quae perierant, domus Israel. Et cum plurimi ex israelitis non acquievissent doctrinae ejus, hi qui ex gentibus erant, vocati sunt. Unde consequens videbitur, etiam prophetias, quae singulis gentibus proferuntur, revocari magis ad animas debere, et diversas earum mansiones coelestes. Sed et historias rerum gestarum, quae dicuntur vel genti Israel, vel Hierusalem, vel Judaeae accidisse, illis vel illis gentibus impugnantibus, perscrutandum est, et perquirendum, quoniam in quamplurimis corporaliter gesta non constant, quomodo magis ista conveniebant illis gentibus animarum, quae in coelo isto, quod transire dicitur, habitant, vel etiam nunc

habitare putandae sunt. Siquis vero evidentes et satis manifestas assertiones horum de Scripturis sanctis exposcat a nobis, respondendum est, quia occultare magis haec Spiritui Sancto in his, quae videntur esse historiae rerum gestarum, et altius tegere consilium fuit, in quibus descendere dicuntur in Aegyptum, vel captivari in Babyloniam, vel in his ipsis regionibus quidam quidem humiliari nimis, et sub servitio effici dominorum. Alii vero in ipsis captivitatis locis clari et magnifici habiti sunt, ita ut potestates et principatus tenuerint, regendisque populis praefuerint: quae omnia ut diximus abscondita et celata in Scripturae sanctae historiis conteguntur etc.

Interim non nisi ex quadam paraphrasis specie, quin tamen immutetur sensus, altera Ruffini ab altera distinguitur de graeco interpretatione. Mens porro Adamantii in citato sermone, uti ex praecedentibus patet, eo vertit potissimum, ut divinorum Bibliorum sensum mysticum sive spiritalem constituat, sibi in eo divo Paulo suffragante, qui plura in suis Epistolis allegorice seu spiritaliter est interpretatus de antiquis Scripturis. Ac ideo eodem itinere abiens Origenes vetus Testamentum novum repraesentare Foedus dicit, idest Christi regnum. Et hinc addit Adamum exprimere Christum; Evam Ecclesiam; Hierusalem terrestrem indicare coelestem; Regnum Juda, Christi regnum; gentem israelitam, christianorum populum denotare; Davidem Judae regem, Christum ducem, regem, Salvatorem omnium, qui credituri essent in eum, designare etc. Speciatim tamen et seorsim illud regnum ibi significatum iri ait, quod proxime succedet cessanti Judae regimini, idest praesentem Ecclesiae statum.

Quapropter quoties Auctor in hoc Libro Christi regnum memorat, *regnum coelorum, Hierusalem coelestem, civitatem sanctam, gentem electam* nuncupans etc., haec de praesenti fidelium coetu peculiariter intelligenda sunt. Et hoc apertius docet n. 9: *servata coelestis secundum successionem Apostolorum Ecclesiae Jesu Christi regula.* Ubi patet non nisi allegorice illud *coelestis* vocabulum sumi, ac tantummodo militantem Ecclesiam ibi repraesentari. Item paulo ante dixit de judaeis, ex quo non crediderint, haud aedificasse Civitatem

Dei. Pariter n. 22. ait, in coelis esse civitatem quamdam Hierusalem. Paulo post: « Quaecumque, scribit, de Hierusalem prophetae dicunt, si Pauli verba tanquam Dei per ipsum Sapientiam loquentis audimus, de coelesti civitate, et de omni loco, qui continet terrae sanctae civitates, intelligendum est, Scripturas loqui. » Quae in terris scilicet per fidem aedificandae erint ubique. Tandem n. 24. de legalibus ritibus, qui *umbrae et exemplari deserviunt coelestium* eamdem nuncupationem innovat: « In hac eadem lege etiam nihilominus continetur, quibus legibus, quibusque institutionibus in terra sancta vivendum est. Sed et comminationes positae sunt his, qui praevaricati fuerint legem, nec non et his, qui purificationum genera, velut qui frequentius essent polluendi, traduntur, ut per haec tandem ad illam unam purificationem veniant, postquam pollui ultra non licet. » Quae singulae nuncupationes, uti dixi, quamvis a longe de futuro seculo triumphantis Ecclesiae peculiares quoque notae sint; tamen in hac quaestione de Ecclesia militanti tantum ab Auctore traduntur, et considerantur.

Hucusque pericope secundum graecum et Ruffini interpretationem, simul traditis ad opus recensionibus pro rei perspicuitate accommodatis. Prius vero quam Auctoris in ea mens explanetur, Hieronymi translationem objiciam, ut lector deinde judex accedat, cuinam sinceritatis palma in versione cedenda sit; ac num denique erroris sit arguendus Origenes. Sic itaque Hieronymus de graeco citata verba exposuit.

Versio s. Hieronymi

« Et forsitan quomodo in isto mundo, qui moriuntur separatione carnis et animae juxta operum differentiam diversa apud inferos obtinent loca: sic qui de coelestis Hierusalem, ut ita dicam, administratione moriuntur, ad nostri mundi inferna descendunt, ut pro qualitate meritorum diversa in terris possideant loca. Et quia comparavimus de isto mundo ad inferna pergentes animas, iis animabus, quae de superiori coelo ad nostra habitacula pervenientes quodammodo mortuae sunt, prudenti investigatione rimandum est, an hoc

ipsum possimus etiam in nativitate dicere singularum; ut quomodo quae in nostra ista terra nascuntur animae, vel de inferno rursum meliora capientes, ad superiora veniunt, et humanum corpus assumunt; vel de melioribus locis ad nos usque descendunt; sic et ea loca, quae supra sunt in firmamento, aliae animae possideant, quae de nostris sedibus ad meliora proficiant: aliae, quae de coelestibus ad firmamentum usque delapsae sunt, nec tantum fecere peccatum ut ad loca, quae incolimus truderentur. » Talia, inquit Hieronymus, ab Ecclesia Christi damnanda in IV. Libro, qui extremus est, interserit Origenes.

Quam longissime absit et a textu graeco et a versione vetere Ruffini et ab altera nova et quidem a veritate, expositio Hieronymi, quisquis facillime percipit, ac speciatim ab eo, quod s. Doctor in sua versione *Hierusalem coelestem*, quam Origenes ibi nuncupavit, non ad Ecclesiam Christi in hoc seculo reportaverit, verum ad beatorum sedem coram Deo, ejusque fruitioni communicantium; unde ea absurda legitime consecuta sunt, Origeni prorsus indigna. Paulo ante partim Adamantii mentem jam ostendimus. Nunc vero reliqua ordinatim in citata pericope prope orationis seriem investigabimus, ut et Auctoris error dissipetur, ejusque secum et cum dogmate catholico congruentia fulgeat.

Origenes itaque, veluti ex praecedenti paragrapho desumitur, judaeorum gentem, eique finitimas, non secundum carnem dicit esse intelligendas, quinimmo secundum spiritum; ideoque illas vocat spiritales. Et addit, sicuti coelestis est Hierusalem, possibile fieri, etiam tyrios, sidonios, aegyptios, babylonios nuncupari spiritales et idcirco coelestes; sicubi israelitarum finitimorum piae conversationi participarunt; et cum amplius id possibile fuerit ob Judae et Israelis inter babylonios et aegyptios captivitatem.

His praemissis, ita se habere videtur pericopae sensus. Dicit enim Origenes: *quemadmodum apud inferos diversae pro peccatorum ratione mansiones destinantur*. In his vero dictionibus Auctor poenis mulctatos improbos apud inferos varimode novit, sicuti et loca diversa decernit pro reatuum meritis; de quibus non erat ei disputandi locus, cum ob si-

militudinem ea verba huc adegerit. Deinde explicat assimilationem, eam connectens proposito argumento, et ait: *ita illinc* idest de ea regione, quae infernus dicitur, *ut sic dicam, qui demoriuntur in infernum hunc,* quod idem est, ac *qui in hunc ipsum mundum descendunt.* Quasi diceret: ita ipsi, qui illinc ab illo scilicet inferno, seu de illis regionibus umbrae mortis, ubi sedebant tyrii, sidonii, aegyptii, et babylonii, *in hunc infernum mundum descendunt* juxta verba Evangelistae: *erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ibi tamen *ipsi varia domicilia hujus circumterrestris orbis ut occuparent aliis meliora aliis deteriora* contingeret prout digni forent; et *adeo ut fieri possit quoque istos in hac vel illa gente nasci;* et ita insuper possibile foret, *ut israelites, inter scythas incidat, et ex adverso aegyptius in Judaea nascatur. Veruntamen,* sequitur Origenes, *cum Salvator venerit servare oves, quae perierant, domi Israel, et plures ex his non acquievissent doctrinae suae, vocati sunt ii, qui de gentibus erant.* Quapropter qui meliora colebant domicilia ad deteriora transierunt; idest gentes in haereditatem mysticam filiorum Israel successerunt per fidem; et Israel reprobatus, in deteriorem hujus mundi regionem translatus est, quemadmodum in praecedenti paragrapho significatum fuerat. Unde concluditur, Scripturae verba patefieri ab Origene secundum spiritalem significationem, quam divino vaticinio indidit; nec ullo modo sermonem institui de animarum conditione post obitum, quasi ipsis ab infernalibus poenis aliquando exemptis, in hunc mundum renascendum esset, quod est absurdum.

Verum luculentius id a sequentibus patet: « Unde consectarium videbitur, inquit, etiam prophetias, quae singulis gentibus proferuntur, revocari magis ad animas debere, et diversas earum mansiones coelestes etc. » Quas sane diversas animarum mansiones coelestes spectare dicendum est ad hujus aevi Ecclesiam, quae ex variis nationibus congreganda erat; et hinc Christi regnum constituendum in terra, uti ajebat Christus ipse: *Regnum Dei intra vos est.* Et haec pariter de superioribus exponenda sunt; ubi Origenes mysticum Scripturarum sensum tradens, judaeorum genus, in-

quit in occulto esse animam, et ideo israelitas spiritales esse, quippe ortum habuerint ab Abraham, et iste ab Adamo, quem Apostolus scribit esse Christum, sicuti et Evam Ecclesiae figuram, ad quam omnes pertinerent gentes: « Omnis enim origo familiarum, quae ad omnium Deum referuntur, a Christo incepit, qui secundum universorum Deum ac Parentem, sic universae animae pater est, ut Adam pater est universorum hominum. Quod si et Evam feliciter Apostolus ad Ecclesiam retulit, nihil mirum est, Cain ex Eva prognatum, et deinceps omnes, qui ad Evam referuntur, figuras esse Ecclesiae, cum omnes ex Ecclesia, principali ratione nati sint. »

Ita procedens Auctor de genere animarum ostendit esse Israelem ideoque spiritalem, et Hierusalem metropolim esse coelestem; et insuper non tantum Israelem, sed et omnes gentes, uti Adamo exortas, quibus prophetae vaticinati sunt, de harum genere animarum esse, et ob hoc de coelesti Hierusalem item spiritales, et ad Christi pertinere Ecclesiam, Christique promissionibus participare. Et hoc speciali ratione intendit Origenes, adstruens populum israelitam typum esse Ecclesiae Christi in cunctas orbis gentes diffusae. Ac propterea vocat illum spiritalem, ejusque metropolim coelestem seorsim a terrestri; quo nationes in spiritu et veritate confugient, ibi mansiones varias collocantes. Quod magis e sequentibus firmatur: « Sed et historiae, inquit, n. 23, rerum gestarum, quae dicuntur vel genti Israel, vel Hierusalem, vel Judaeae accidisse, illis vel illis gentibus impugnantibus, perscrutandum est et perquirendum (quoniam in quamplurimis corporaliter gesta non constant) quomodo magis conveniebant illis animarum gentibus, quae in coelo isto, quod transire dicitur, habitant, vel etiam nunc habitare putandae sunt.» Quod quidem coelum aliter a beatorum sede in vita futura comprehendi necesse est; nempe ad gentium spiritalium statum, quae in hoc coelesti regno modo habitant, in Ecclesia scilicet, ad quam congregaturus eas jam venit Christus.

Et ita se gerit ibi Adamantii scopus; quin tamen aliquid manifestet de animarum a coelo descensu, seu ascensu ab inferis, de corporum assumptione, sive dimissione, aut de mutabili earum animarum conditione in futuro seculo, sive

de ceteris similibus. Quae captu et explicatu tam difficilia sunt, quam inventu satis peregrina, non solum cuivis veterum scriptorum, verum etiam ipsi Origeni. Qui plurima etsi vario genere scripta edidit, et aliquando tantum probabilia interserens; nihilominus nullibi reperitur talia unquam commentatum esse. Et si in his praeclarum cupias pro eodem testimonium, legas, quae ipse disputat contra Celsum in Libro VIII. n. 58. qui ex aegyptiorum disciplinis inter Christianos restaurare studebat cultum erga daemones, quasi ipsis curae esset corpus nostrum. Ideoque Origenes instantiis Celsi irridens, respondit: « His Celsus conatur animam nostram ad daemones adducere, ac si corpora nostra sortiti essent. Suam cuique partem nostri corporis attributam esse pronuntiat: et vult fidem nos ipsis adjungere, cultumque tribuere, ut sano magis quam aegro corpore simus, prospere magis quam misere vivamus, et quoad ejus fieri potest, molestiis liberemur. »

Quapropter collata Hieronymi et Ruffini utraque versione cum textu graeco Philocaliae c. I. a ss. Patribus Basilio et Nazianzeno redactae ex hoc *Periarchon* Libro IV., reperimus Ruffini translationem etsi liberiori calamo sive paraphrastico expletam, attamen in sensu satis graeco dictato cohaerere, et perspicue Auctoris explanare conceptum. Quoad vero Hieronymi versionem, non solum extra textum graecum ipsam vagari patet, verum etiam extra sensum Auctoris et argumentationis ordinem. Nulla enim apparet consonantia cum eis, quae praemisit Origenes circa allegoricam Scripturae interpretationem, ad quam intendit, nec ullos nexus cum subsequentibus: adeo ut indicium eruatur apertissimum, textum graecum a s. Hieronymo translatum, fuisse a manu infida corruptum; nulliusque igitur haberi momenti ad insimulandam Origenis doctrinam in hoc, siculi in ceteris *Periarchon* libris expositam.

Post haec n. 25. Origenes quo incepit, ordine prosecutus, in prisci foederis Scripturis mysteria recondita scrutatus, vocabulum *Deuteronomium* in Lege Moysi expendit; ejusque significationem diversimode tradit. Et primo quidem veluti typum dicit secundae legislationis illud haberi, per quam Ser-

vator omnia ad perfectionem perduxit. Secundo vero addit: « Sed videndum est ne forte magis illud indicare videatur, quod sicut in Deuteronomio evidentior et manifestior legislatio declaratur, quam in his, quae primo scripta sunt: ita et ab eo adventu Salvatoris, quem in humilitate complevit, cum formam servi suscepit, clarior ille et gloriosior secundus in gloria Patris ejus indicetur adventus, et in illo forma Deuteronomii compleatur, cum in regno coelorum sancti omnes aeterni illius Evangelii legibus vivent. Et sicut nunc adveniens, Legem implevit eam, quae umbram habet futurorum bonorum; ita et per illum gloriosum adventum implebitur, et ad perfectum adducetur hujus adventus umbra. Ita enim dixit Propheta de eo: *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui diximus, quia in umbra ejus vivemus in gentibus*; cum scilicet ab Evangelio temporali dignius omnes sanctos ad Evangelium aeternum transferet, secundum quod Joannes in Apocalypsi de aeterno Evangelio designavit. »

Quam porro perspicue se habeat, contextuique uniformem ista interpretatio, cujusvis oculis lucescit. Cum namque manifestissime dixerit Deuteronomium spiritualiter evangelicam dispensationem repraesentare, eamque perfectam; ulterius graditur Origenes in hujus rei mysterio investigando; et ait non solum Redemptoris adventum ibi praesignari, cum servi formam susceperit; sed et per ea, quae facta sunt ad Legis observantiam antea per Moysen, deinde per Josue; per haec, inquit, significari gloriosiorem adventum Christi secundum: et sic tunc temporis compleri in ipso Deuteronomii formam, cum omnes sancti, illius Evangelii legibus vivent, idest cum regnabunt omnes sancti perpetuo in futuro seculo cum Christo. Dixit autem Origenes (et is ex Joannis Apocalypsi) *Evangelium aeternum* ex adverso mosaicae Legi, quae ad tempus tantummodo perduravit. Et sicut nunc, nempe primo tempore adveniens Christus Legem complevit, bona futura praefigurantem; ita in secundo adventu et sane glorioso ea bona futura consummabuntur: idest, *nunc videmus per speculum* tunc facie ad faciem, iis bonis exhilarati, quae sperabamus. Hoc autem fiet, cum *ab Evangelio temporali*, cum nempe ab hoc Christi regno, in quo degunt christiani

fide et spe vivificati, quodque nostri cum Deo regni umbra est, *transferamur ad Evangelium aeternum;* ubi umbra dissipabitur, orietur veritas; ac nos de claritate in claritatem transformabimur, cum Domino perpetim vitam degentes beatam. Ceterum sermonis nexus in hoc paragrapho ita antecedentibus et consequentibus coalescit, ut nullum opus sit, plura persequi illius illustrandi causa, sicuti nihil appareat, quod minus dogmati catholico concordet.

Si vero hoc dicere fas est secundum Ruffini versionem, non ita tamen se res habet, si Hieronymi admiserimus interpretationem: quae tantum ab altera, quantum a veritate, abhorret, adeo ut et ipse s. Doctor offensus, in Epistola ad Avitum n. 12. haec praemiserit: « Quumque dixisset (Origenes) juxta Joannis Apocalypsim, Evangelium sempiternum idest futurum in coelis tantum praecedere hoc nostrum Evangelium, quantum Christi praedicatio Legis veteris sacramenta; ad extremum intulit (quod et cogitasse sacrilegium est) pro salute daemonum Christum etiam in aere et in supernis locis esse passurum. Et licet ille non dixerit, tamen quod consequens est intelligitur. Sicut pro hominibus homo factus est ut homines liberaret; ita et pro salute daemonum Deum futurum, quod sunt ii, ad quos venturus est liberandos. Quod ne forsitan de nostro sensu putemur asserere, ipsius verba ponenda sunt. Sicut enim (inquit Origenes) per umbram Evangelii, umbram Legis implevit: sic quia omnis lex exemplum et umbra est coeremoniarum coelestium, diligentius requirendum, utrum recte intelligamus legem quoque coelestem, et coeremonias superni cultus plenitudinem non habere, sed indigere Evangelii veritate, quod in Joannis Apocalypsi Evangelium legimus sempiternum ad comparationem videlicet hujus nostri Evangelii, quod temporale est, et in transituro mundo ac seculo praedicatum. *Quod quidem etiamsi usque ad passionem Domini Salvatoris inquirere voluerimus, quamquam audax et temerarium sit, in coelo ejus quaerere passionem: tamen si spirituales nequitiae in coelestibus sunt, et non erubescimus crucem Domini confiteri propter destructionem eorum, quae sua passione destruxit: cur timeamus etiam in supernis locis, in consummatione seculo-*

rum aliquid simile suspicari, ut omnium locorum gentes illius passione salventur? »

Ex adverso posita utriusque tam Ruffini quam Hieronymi versione, primo advertendum est, posterius pericopae dimidium (incipiendo ab iis verbis, *quod quidem*, usque ad *salventur*) nullimode argumento accommodari, quod praemisit Origenes de duplici mystico Deuteronomii sensu quoad Evangelii legem. Auctor enim quaerebat in Deuterónomio mosaico, legislationis christianae typum, et illum sane, qui opus Dei perfectum per eamdem ostenderet; uti reapse invenit non minus per Jesu in hoc seculum adventum, quanto magis in secundo ejus adventu glorioso. Quid autem altera hujus sermonis pars commune habeat cum praecedenti non video; absona omnino haec est a quaestionis termino, normam delineantis, qua sacro interpreti incedendum est in mysticum divinorum Bibliorum agrum. Idcirco jure putandum est, cum Ruffinus in codice graeco eam non invenerit, uti apocrypham, ac interpolationem Anonymi cujusdam fuisse.

Tandem ex hoc sicuti ex ceteris locis, ubi Hieronymus et Ruffinus contra se ad invicem steterunt quisque in propria versione, uti hucusque demonstratum est, nobis necessario huic dilemmati occurrendum est. Aut Ruffinum in hac sicuti in praefatis pericopis jam supra excussis, Origenis sensus ingenue exposuisse voluerimus; aut aliter cum Hieronymo delirum et sibimetipsi perpetuo obversatum reperiemus Origenem. Interea circa hanc postremam pericopem, methodum sectati superiorem, conferamus, quae ceteris inscripsit et docuit libris de eodem argumento Adamantius; utrum scilicet hunc ipsum errorem de altera et futura in coelis Christi passione pro daemonum salute quandoque excogitarit.

De hoc primum nobis occurrit ex Homilia I. *in Leviticum* n. 3. ubi verba exponens *et effundent sanguinem ad altare in circuitu etc*, scribit: « Nisi quia forte hoc intelligi voluit, quod sanguis Jesu non solum in Hierusalem effusus est, ubi erat altare et basis ejus et tabernaculum testimonii; sed et quod supernum altare, quod est in coelis, ubi et Ecclesia primitivorum est, idem ipse sanguis asperserit; sicut et Apostolus dicit, quia *pacificavit per sanguinem Crucis suae, si-*

ve quae in terra sunt, sive quae in coelis. Recte ergo secundo nominat altare, quod est ad ostium tabernaculi; quia non solum pro terrestribus, sed etiam pro coelestibus oblatus est hostia Jesus; et hic quidem pro hominibus ipsam corporalem materiam sanguinis sui fudit; in coelestibus vero ministrantibus (siqui illi inibi sunt) sacerdotibus, vitalem corporis sui virtutem, velut spiritale quoddam sacrificium immolavit. Vis autem scire, quia duplex hostia in eo fuit, conveniens terrestribus, et apta coelestibus? Apostolus ad Hebraeos scribens dicit: *per velamen idest per carnem suam*. Et iterum interius velamen interpretatur coelum, quod penetravit Jesus, ut assistat nunc vultui Dei pro nobis: *semper*, inquit, *vivens ad interpellandum pro his*. Si ergo duo intelliguntur velamina, quae velut Pontifex ingressus est Jesus, consequenter et sacrificium duplex intelligendum est, per quod et terrestria salvaverit, et coelestia. »

Haec itaque ab adversariis finnt tanquam praemissae pericopae consona circa daemonum salute per Christi passi merita iis conferenda. Attamen Origenis sensus ab hoc abest intuitu. Et quamvis hujus sermonis prima pars nobis ingerat ambigendi modum, nihilominus in sequentibus evanescit ambiguitas. In eo namque loco distinguit Origenes hostiam pro terrestribus ab altera pro coelestibus, quam spiritalem dicit et coelestibus aptam, quin insuper ibi nec daemones vocet, nec angelos. Si tamen hos vocat, veluti ministros, seu adsistentes Deo repraesentat, non vero uti praetio Redemptionis consortes. Cum autem ait *et pro coelestibus aptam*, illud sibi vult, quasi dixisset, in coelis semetipsum offerentem quotidie Deo Patri adstare Jesum pro nobis interpellantem, non autem, nec pro angelis, sive pro daemonibus. Id autem luculentius exprimitur in Homilia secunda n. 3. dum ait: « Vide ergo ne forte Jesus, quem Paulus dicit pacificasse per sanguinem suum non solum quae in terris, sed et quae in coelis sunt, idem ipse sit vitulus; qui in coelis quidem non pro peccato, sed pro munere oblatus est; in terris autem, ubi ab Adam usque ad Moysen regnavit peccatum, oblatus sit pro peccato. » Cum ergo in coelis juxta Origenem non offerat se Jesus pro peccato, eo inquam sacrificio, quo semel

oblatus est hostia cruenta in terris, maneatque tantummodo pro munere in coelis Jesus; omnino tollitur a daemone salutis spes, cum nunquam innovandum sit alterum cum sanguinis effusione sacrificium in ipsius redemptionem, uti infra dicetur. Denique Origenes Homilia IV. n. 4 in eumdem Librum, Apostoli sensum dicentis *pacificavit per sanguinem suum* etc. satis explanans inquit: « Si enim cum Patre et Filio dicitur nobis esse societas, quomodo non cum sanctis, non solum qui in terra sunt, sed et qui in coelis? Quia et Christus per sanguinem suum pacificavit coelestia et terrestria, ut coelestibus terrena sociaret. Quod evidenter indicat, ubi dicit gaudium esse in coelis super uno peccatore poenitentiam agente. »

Huetius tamen putat Origenem errori de daemonum salute insistere in Commentario Evangelii Joannis Tomo XX. n. 12. de quo sic scribit: « Quod si olim quoque passurum Christum reipsa, uti fertur, autumavit Origenes, opinionem suam fundaverit, super dictum illud: *denuo debeo crucifigi*, quod in Actis Pauli Christo tribuitur, ut ex Origenis ipsius discimus Tomo citato. »

Reputanda quidem foret dogmati catholico hostilis haec Origenis interpretatio, uti manifestat Huetius, nisi aliter Auctor ibi sentiret ac loqueretur ab eo, quod is et alii existimarunt. E contextu enim clare patet Origenem tenere, fieri non posse, quemcumque semel illuminatum, gustasseque donum Dei etc., et rursum prolapsum, denuo reponi ad poenitentiam, sibi crucifigentem Filium Dei: « sive antequam corporalis Salvatoris nostri adventus historiis mandaretur, sive post. Non enim qui nunc post illuminationem, ceteraque Dei in se beneficia peccat, Filium Dei denuo crucifigit propter peccata, ad quae recurrit, nihil perficiens illius actionis, quae communius dicitur corporalis, ad crucifigendum Filium Dei. Non idem autem etiam antea fieret; et qui peccat, postquam audierit verba divina, antea crucifixerat Filium Dei. Quod sicui placet admittere, quod in Actis Pauli scriptum est, tamquam a Servatore dictum: *denuo debeo crucifigi*, is quemadmodum post adventum admittit illud: *denuo debeo crucifigi*, sic et ante adventum admittet locum habuisse, quando eadem causa est dicendi: *jam debeo crucifigi*.

Cur enim non etiam antea crucifixus est, ut crucifigendus est denuo? Vide vero an non tantum sanctorum, qui post Christi adventum fuere, sit vox illa: *cum Christo crucifixus sum*, sed aeque ad priores etiam pertineat, ne differre dicamus sanctos, qui post Christi adventum fuere, a Moyse et prophetis et patriarchis. »

Cur vel quomodo inde statui possit, vere Adamantium docuisse Jesum quandoque passurum iterum fuisse pro daemoniis sive quibusvis aliis, cum prorsus contrario ibi instet, nescio. Nunquam enim fieri posse ait, ut Christus denuo cruci affigatur corporaliter; ac paulo ante ideo adversario suo institit, ut *sciret, hominem illum, qui tropice intelligitur Christus, nunquam venturum esse in mundum post sui temporis historias, neque antea venisse.* Proindeque subdit, quamvis ex Paulo ea admittenda sint verba de ore Christi ejusdem adserta: *denuo debeo crucifigi*, non nisi mystice siculi et cetera hujusmodi, sumenda esse; cum revera ante et post Christi adventum fas sit dicere in mysterio crucifigi Jesum; nec tamen corporaliter, quum semel cruci in carne confixus sit Christus.

Urgent nihilominus Huetius ceterique, contra ea, quae statuimus dimicantes ex eodem Commentario *in Joannem* Tomo I. n. 34. et ex Libro I. *in Epistolam ad Romanos*. Et quoad primum scribit: « Servator igitur divinius multo, quam Paulus, factus est omnia, ut omnes vel lucrifaceret, vel perficeret: et manifeste homo hominibus, angelis angelus factus est. » Haec autem explanantur ab eodem Origene Homilia VIII. 8. *in Genesim*, ubi dicit: « Unde puto, quod sicut inter nos homines habitu repertus est ut homo; ita et inter angelos habitu repertus est ut angelus. Et ipsius sequentes exemplum angeli in coelo laetantur super uno peccatore poenitentiam agente et de profectibus hominum gloriantur. »

Verum ad alterum accedamus ubi Origenes primo consentanea tradit et explicat. Ait enim, sumpto themate ex Apostolo: *apparuit angelis*: « Si ergo cum apparuit nobis hominibus, non sine Evangelio apparuit, consequentia videtur ostendere, quod etiam angelico ordini non sine Evangelio apparuerit, illo fortasse, quod *aeternum Evangelium* a Joan-

ne memoratum supra edocuimus. Si vero etiam in reliquis coelestibus ordinibus tale aliquid ab eo gestum esse suspicandum sit, in ea, qua singuli forma quique sunt, apparens eis et annuntians pacem, quoniam quidem per sanguinem Crucis suae pacificavit non solum quae in terra, sed et quae in coelis sunt, etiam tu apud temetipsum discutito. » Quin haec verba difficultatem ingerant, optime ista quadrant superpositis in citata pericope: unde probe comprehenditur, quid sibi velit juxta Adamantium *Evangelium aeternum*: illud nimirum gloriae Evangelium, quod in secundo Christi adventu apparebit, *cum in regno coelorum sancti omnes aeterni illius regni legibus vivent;* et quod tunc (in eamdem Epistolam dicit) revelandum est, cum umbra transierit, et veritas venerit, et cum mors fuerit absorpta, et aeternitas restituta etc. Quo simul referenda sunt, quae ibidem ait de pacificatione coelestium, praeter illud quod opus sit inde Christi passio iteranda in daemonum salutem, seu quorumvis rationalium. Sed de hac re ab initio satis actum est, ubi nullam redemptionis spem manere diabolum ejusque socios in perpetuum, amplissime ostendimus.

Denique contra ea specialim, quae de passione Christi renovanda asserit Hieronymus ex praesumpta Origenis sententia, valde facit, quod contra Celsum scribit in Libro VII. n. 17: « Quatenus autem homo erat (Jesus) prae ceteris ornatus summa Verbi ipsius, et Sapientiae ipsius participatione, passus est ut sapiens et perfectus quaecumque oportebat pati eum, qui generis humani aut rationalium quoque gratia omnia faciebat. » Item *in Joannem* Tomo I. n. 40: « Hic igitur, inquit, qui tot nominibus nuncupatur advocatus, propitiatio, propitiatorium, compassus infirmitatibus nostris, tentatus in omnibus humanis juxta similitudinem sine peccato, magnus est Pontifex, non modo pro hominibus, sed etiam pro omni, quod rationis est capax, hostiam semel oblatam seipsum offerens etc. » Et in eodem Libro II. *De Principiis* n. 3: « Semel enim ait (Apostolus) hostiam effectum (Christum) et in consummatione seculorum ad refellendum peccatum esse manifestatum. » idest factum carnem nobiscum habitasse: nunquam vero in posterum manifestandum in carne cum dicit, denuo passionem subiturum.

Praecipuc vero momentique gravissimi in hac quaestione stat de unica Christi in carne passione et morte, nec unquam repetenda, testimonium, quo Adamantius contra quosdam pugnat, asserentes *similia pati necesse esse Christum, ut liberari possint etiam ii, quos in praesenti vita dispensationis ejus medicina sanare non potuit.* Quae verba etsi alibi a me partim expensa sint; tamen hoc in loco aptissime adversariis nostris objicienda subeant; ut denique, si mecum convenire nolint, antilogiam sentiant, in quam necessario et quidem stultissime lapsus esset Origenes, adeo, scilicet, ut, quae in haereticis refutavit, condemnavitque veluti falsa, ea ipsa tanquam vera deinde complecteretur.

« Unde miror, inquit Libro V. n. 10. *in Epistolam ad Romanos*, quosdam contra hanc evidentissimam Pauli sententiam (*mors ei ultra non dominabitur*) velle asserere quod in futuris iterum seculis, vel eadem, vel similia pati necesse sit Christum, ut liberari possint etiam hi, quos in praesenti vita dispensationis ejus medicina sanare non potuit. » Deinde interjectis vanis adversariorum argumentis, subdit: » Haec ergo et his similia proponentes, easdem etiam in futuris seculis dispensationes a Christo repetendas esse arbitrantur. Sed ad haec nos breviter, prout possumus, respondebimus. Manere quidem rationabili naturae semper liberum arbitrium non negamus; sed tantam esse vim crucis Christi, et mortis ejus, quam in seculorum fine suscepit, asserimus; quae ad sanitatem et remedium non solum praesentis et futuri, sed etiam praeteritorum seculorum, et non solum humano huic nostro ordini, sed etiam coèlestibus virtutibus ordinibusque sufficiat. Secundum sententiam namque ipsius Pauli Apostoli Christus *pacificavit per sanguinem crucis suae non solum quae in terra sunt, sed et quae in coelis.* »

E quibus omnibus concludendum est, praefatam pericopem, uti proditur in versione divi Hieronymi, a contextu ac Origenis scopo variare; et praeterea reliquis animadversionibus, quas alibi de eodem argumento collegit Adamantius, contraire; proindeque tanquam interpolatam, seu potius spuriam illuc supervenisse contra Auctoris mentem. Diversimode porro de Ruffini sentiendum interpretatione: quae sensui

concors incedit, sicuti et ceteris disquisitionibus, quas de eadem re in suos libros saepius contulit Origenes, uniformis.

Verumtamen quaedam manent expendenda de modo, et ordine, quo Ruffinus suam adornavit translationem; circa quam, etsi antea plura dicta sint, alia insuper notanda supersunt, ut magis et amplius versionis integritas dignoscatur; quodque ipsemet in Prologo spopondit, sincere ubique praestitisse. Hoc autem eruere licet, collata vetere hujus versione latina cum editione codicis graeci hucusque servati, et altera nova, quam inde dedere translatores. Quivis enim, mediante textu originali, huc illuc oculos converterit, modo antiquam modo recentem intuitus interpretationem, statim quidem in sensu convenire utramque comperiet, nec uni contraire secundam. Et si quidquam discrepantiae animadvertere volueris, eam percipies tantummodo in ampliori verborum latinorum luxu atque ornatu, quae graecus textus concise expresserit; quandoque, ideo, ut ipse confessus est Ruffinus in Prologo, paraphrasim adjiciens, ut quae obscura viderentur, patefierent. Id porro unicuique praesto adstat.

Hoc autem me ad hoc tractandum et ob lectoris oculos objiciendum impulit, ut Ruffini non solum in iis, quae supersunt graeca manuscripta, ubi genuinus traditur ab ipso sensus, verum et in reliquis *De Principiis* libris, ubi desideratur textus originalis, interpretandi probetur ejus studium et fides veluti in ceteris, quorum adhuc manet graecanica lectio. Ac ideo ut amplius invalesceret opinio, Ruffini translationem universim (praeter nonnulla, quae de Trinitate notavit, mutavitque tanquam sibi obscura visa) textum sequi originalem: et uti ista, sic et reliqua ab Origene scripta, et praesertim *de rationalibus*, ulla sine varietate et emendatione latine dedisse Ruffinum.

Praeterea, quod vehementer quaerimus, fuisse nempe interpolatum seu corruptum textum graecum, quo pro versione usus est Hieronymus, et istum esse quem Pamphilus et Auctor *Praedestinati* citarunt, jure conjicitur non solum ex quo plura absurda, vana occurrant, et penitus evangelicae veritati abversa; verum etiam quod similia Adamantius nec alibi docuerit, nec excogitaverit; quinimmo tamquam hae-

retica confutaverit: et contra quae praecipuum suum collocavit studium; praeter illud quod supponendum foret, ipsum in eodem libro contraria dixisse illis, quae paulo ante, vel paulo post, et fortasse in ipso capite et paragrapho, limpide affirmavit.

Ob hanc igitur et alias ejusdem generis causas, cum quotidie in me dubia augerentur et suspiciones, revera calamum mendacem in codices graecos *Periarchon* irrepsisse, eosque speciatim, quos prae manibus habuit vertitque Hieronymus; quin dicam, in pluribus ejusdem Auctoris locutionibus genuinum latuisse sensum ob interpretum incuriam; peculiari studio visum est mihi rem funditus perscrutari, causas et progressus; quibus in Ecclesia Christiana post obitum praecipue ipsius Adamantii, tot tantaque errata calumniose eidem inscriberentur. Unde factum est, ut tanti viri nomen blasphemaretur in ecclesiis, anathemate percellerentur scripta sua, atque universim de eo horrescerent catholici.

Novissime in hujus discussionis termino circa Ruffini versionem in *Periarchon* (quod admodum nosse interest) non tantum inde constare probatur de ingenua ac sincera ipsius Ruffini mente in hac elaboranda interpretatione: sed, quod valde a nobis perpetuo quaesitum est contra origenianorum Operum Editores sollicitos ut culpam aggravarent Auctoris, comperimus, diligenter exactis argumentis, quae excutienda sumpsit Origenes in citatis libris, ex laudata versione pie ac sincere propugnari dogmata orthodoxa, ab eodem praesertim expedienda suscepta. Quae denuo successive luculentius patefient.



CAPUT VIII.

Sequitur exegesis in Libros Periarchon *ad eorum speciatim illustrationem, quae Origeni a Theophilo, Epiphanio, Hieronymo et ab Auctore Epistolae ad Mennam, objiciuntur uti haeretica, de Deo, una cum censura in Hieronymi et Ruffini versionis differentiam circa hoc idem argumentum.*

Quum hucusque de rationalibus creaturis sermonem generatim continuimus, expensis potissimum varietatibus, quae *Periarchon* versioni Hieronymi et Ruffini intercessere; ac unde Origenis ab erroribus comprobavimus immunitatem; haud impar existimo de ceteris quoque instituere sermonem, in quibus pariter errasse eumdem reputarunt veteres ac recentiores Ecclesiae viri; inter quos potissimum elucent nuper celebrati Scriptores. Cum itaque ex his quatuor *Periarchon* libris praesertim Origenem arguendi iidem praetextum nacti sint; ideo ex ipsis et juxta ordinem rerum, quae ab eodem Origene discutiuntur, initium sumam disquisitionis, iis praetermissis jam elucubratis.

Interea mirum sane omnibus esse puto, quod Adamantius, cum in ceteris fere innumeris vario genere scriptis, (si nonnulla non satis perspicue dicta, exceperis) prope evangelicam veritatem docuerit; mirum sane esse, inquam, eumdem in quatuor citatis libris tot gravissimique momenti errores coacervasse; et ubi potissimum majora christianae fidei dogmata enucleare sibi visum fuit, hos ideo libros *De Principiis* nuncupanti. In quibus, ut dixi, vera a falsis principiis secernens, adversus haereticos conatus est statuere principalia capita sive fundamenta professionis sanctae; cujus caput fundator et magister est Christus. Quippe ipse est veritas (et sic incipit tractatum) *in quem omnes credentes scientiam suscipiunt ad bene beateque vivendum.* Et ob hoc sapientissime Ruffinus in Prologo scribit: « De rebus enim talibus ibi disputat, in quibus omnes philosophi, omni aetate sua consumpta, invenire potuerunt nihil. Hic vero noster, quantum potuit, id egit, ut Creatoris fidem et creaturarum rationem,

quam illi ad impietatem traxerant ad pietatem iste converteret. » Quapropter nemo non videt, quanta cura nobis in his impendenda sit, ut stupor, qui omnes fideles hucusque tenet circa tanti viri aberrationem et in tam gravissimis quaestionibus, dissipetur, aeque ejusdem sensum investigando, quo et dogmatis christiani veritas elucescat, caligo, qua obvolvitur, evanescat, ac una, quoad fieri potest, suae fidei servetur integritas.

Quamobrem ab hujus capitis initio memoratu primum par est ac studiose attendendum, quod Origenes Homilia I. n. 11. *in Ezechielem*, Prophetae visionem considerans, ejusque mysteria intellectu et expositu difficilia, inquit: « Quis potest ista minutatim exponere? Quis ita est capax spiritus Dei, ut haec sacramenta dilucidet? Oportebat accusatores Creatoris et Dei prophetarum, primum intelligere, quae dicuntur a prophetis: et postea criminari. Qui enim vere accusat, ea debet accusare quae novit. Si vero haeretici ne prope quidem sunt intellectui divino, quomodo rationabiliter accusant, quod eos nescire convincimus? Discant, quis in hac visione sit sensus. Primum apparet spiritus auferens: secundo nubes magna; tertio splendor in circuitu spiritus auferentis; quarto ignis refulgens: quinto in medio ejus sicut visio electri, haud dubio quin in medio ignis: sexto splendor in eodem electro. Confiteor libenter a sapiente et fideli viro dictam sententiam, quam saepe suscipio: *de Deo et vera dicere periculum est*. Neque enim ea tantum periculosa sunt, quae falsa de eo dicuntur: sed etiam quae vera sunt, et non opportune proferuntur, dicenti periculum generant. » Hinc inspicito Origenis religionem, timorem scilicet, ne in his pertractandis rebus a veritate aberret, et harum opportunitatem ignoret. Ideoque hac praemissa obtestatione, siquando minus ipse pertigerit punctum, non tamen cito haeretici nota mulctandus esse videtur.

Secundo, necessario et huic capiti praeponenda duco, quae Ruffinus ait in Prologo latinae *Periarchon* versionis, in quibusdam Origenis dictionibus emendandis relato ad Deum aut divinae Trinitatis mysterium; quas ab ipsius sensu alienas putavit. Cum autem ob hanc emendationem Ruffinus ab

Hieronymo corriperetur, in Libro II. *Invectivarum* n. 11. amplius perspicue de hac re mentem suam aperit Ruffinus, asserens: « Non enim generaliter promisi, me non prolaturum, quae essent fidei contraria: sed quae ipsa sibi essent contraria; vel quae a semetipso discrepant, non quae a me vel ab alio aliquo discreparent. » Alibi dicit se reformasse, quae sibi contraria videbantur. Haec sane benevertunt in proposita quaestione, adeo ut lector sciat, quousque Ruffini emendatio pertigerit; vel quo jure et quando dicendum sit, Ruffinum omisisse aut reformasse graecum *Periarchon* textum in iis transferendis libris. Post haec quaestionem ineamus.

Et antea quidem Origenem errantem corripiunt adversarii in iis quae docet de divina natura in Prologo n. 9. inquiens: « Quaeremus tamen si vel alio nomine res ipsa, quam graeci philosophi *ἀσώματον incorporeum* dicunt, in Scripturis sanctis invenitur. Deus quoque ipse, quomodo intelligi debeat inquirendum est, (an) corporeus, et secundum aliquem habitum deformatus, an alterius naturae, quam corpora sunt: quod utique in praedicatione nostra non designatur. Eadem quoque etiam de Christo et de Spiritu Sancto requirenda sunt: sed et de omni anima atque omni rationabili natura nihilominus requirendum est. »

Huic innixi testimonio tanquam corporeum Deum existimare Origenem putarunt adversarii. Verumtamen, ut quantum ab hoc errore distet Auctor, pateat, in primis quis sit Adamantii scopus in eo paragrapho, statuendum ex iis est, quae paulo ante dixit de multis, qui Christo se credere professi, tamen non solum in paucis, verum etiam in magnis et maximis, idest vel de Deo, vel de Domino Jesu Christo, vel de Spiritu Sancto discordare a veritate inventi sunt. His praemissis ad quaestionem transit, ubi etsi quodammodo lateat quid sibi velit Origenes, nihilominus ex sequentibus manifestum est, ibidem ab ipso inscribi specimen eorum, quae deinde disputanda sibi erant. Quatuor namque argumenta proponit exsolvenda; primum de incorporeo, secundum de divina natura, tertium de Christo et de Spiritu Sancto, quartum de substantiis rationalibus. Et ob hoc inquit: « Quaeremus tamen si (vel utrum) alio nomine res ipsa, quam graeci

philosophi ἀσώματον incorporeum dicunt in Scripturis sanctis inveniatur. » Quorum verborum sensus perspicuus est.

Postea subdit alteram instituens quaestionem: « Deus quoque ipse quomodo intelligi debeat inquirendum est, an corporeus et secundum aliquem habitum deformatus, an alterius naturae, quam corpora sunt; quod utique in praedicatione nostra manifeste non designatur etc. » tanquam diceret exquirens: est ne Deus corporeus, seu aliquam speciem praeferens? Seu alterius est naturae ab aliis dissimilis corporibus? Cumque ita scribat Origenes, quid haec faciunt contra divinae naturae simplicitatem, spiritualitatem et ab omni penitus substantia corporea exemptae, prout docet Ecclesia catholica? Quaerit ne ibi Origenes, vel decernit? Ast profecto quaerit. Si quaerat, tanquam in persona discipuli agit, veritatem a magistro praestolati, cui dein respondendum est: uti reapse paulo post huic quaestioni sicuti ceteris, accurate satisfacit. Quapropter quisque videt Adamantium in simili elocutione dubios, haereticos, et cujusque generis philosophos nuncupare, et ex eorumdem ore loqui; quibuscum deinde per singula capita disserens, sive pugnans ad veritatem traducere studet; quemadmodum in sequentibus octo capitibus, sollerti ingenio, praefatis vario genere quaestionibus, uti magister discipulis, respondet, divinis Scripturis, traditione ac rationis rectitudine suffultus.

Et re quidem vera in c. I. De Deo inquit: « Scio quoniam conabuntur quidam etiam secundum Scripturas nostras dicere Deum corpus esse, quoniam inveniunt scriptum esse apud Moysen quidem: *Deus noster ignis consumens est.* In Evangelio vero secundum Joannem c. IV. *Deus spiritus est, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* » Unde liquet, non Origenem per se, Deum vocare corporeum, sed quosdam ipse ait a Scripturis non aeque comprehensis, Deum habere corporeum. Cum autem ex Joanne scribat, *Deus spiritus est* etc. per illud sane suam exponit sententiam de Deo incorporeo, quippe eo vocabulo *spiritus* quidquam intellectuale exprimitur. Quod consequenter ab historia Samaritanae amplius explanare conatus, subdit n. 5.: « Omni igitur sensu, qui corporeum aliquid de Deo intelli-

gi suggerit, prout potuimus confutato, dicimus secundum veritatem quidem Deum incomprehensibilem esse, atque inaestimabilem. Siquid enim illud est, quod sentire, vel intelligere de Deo potuerimus, multis longe modis eum meliorem esse ab eo, quod sensimus, necesse est credi. » Quomodo ergo quis conjicere poterit, Origenem essentiam corpoream Deo confinxisse?

Deinde proposita solis radiorum similitudine, qua homo ex creaturis deducitur ad invisibilis Dei cognitionem, eumque comtemplatur, n. 6. subdit: « Quia ergo mens nostra ipsum per seipsam Deum, sicut est, non potest intueri: ex pulchritudine operum et decore creaturarum parentem universitatis intelligit. Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens: uti ne majus aliquid et inferius in se habere credatur, sed ut sit ex omni parte μονὰς, et ut ita dicam ἑνὰς, et mens ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturae sive mentis est. Mens vero, ut moveatur vel operetur, non indiget loco corporeo, neque sensibili magnitudine, vel corporali habitu, aut colore, neque alio ullo prorsus indiget horum, quae corporis vel materiae propria sunt. Propter quod natura illa simplex, et tota mens ut moveatur, vel operetur aliquid, nihil dilationis, aut cunctationis habere potest; ne per hujusmodi adjunctionem circumscribi, vel inhiberi aliquatenus videatur divinae naturae simplicitas; uti ne, quod est principium omnium, compositum inveniatur et diversum, et sit multa, non unum, quod oportet totius corporeae admixtionis alienum una sola, ut ita dixerim, Deitatis specie constare. »

Quod autem in hac divinae naturae quaestione notavit Origenes dicens: *quod utique in praedicatione nostra manifeste non designatur* (quae verba fere eadem paulo ante de anima, de angelis, et de mundo locutus, lectori commendavit) id ab ipso tantummodo consideratur relate ad ea dogmata, quae in Ecclesia ulla absque contradictione credebantur seorsim a ceteris, quae non simul sumpta, sed partim, et singula in singulis partibus expensa, obscura videri poterant quibusdam, proindeque varimode accipi. Quae tamen

Origenes ex studiosa Bibliorum sacrorum disquisitione, rectaeque rationis usu illustrare nititur, mentesque de iis errantes emendare.

His animadversis, ad praecipuum de Deo incorporeo argumentum revertamur; in quo, ne forte quis allatis testimoniis, tanquam a Ruffino in sua versione dogmati catholico accommodatis aliter ab Origenis mente, fidem deneget, plures et perspicue traditas sententias de Deo ente simplicissimo aliunde desumere potest, in quibus hoc idem docet Auctor, uti sentit et docet Ecclesia. In Libro *De Oratione* (ut nonnulla ex multis hic obsignem testimonia) n. 23. inquit: « Haec de illis verbis: *Pater noster, qui es in coelis*, accuratius disputanda credidi, ad tollendam humilem de Deo opinionem eorum, qui in coelo ipsum, ut in loco esse putant; et nequis Deum in corporeo esse loco arbitretur. Consequenter enim dicendum esset, ipsum esse corpus; unde sequuntur impiissima dogmata, divisibilem ipsum et materialem, et corruptibilem esse credere. Corpus namque omne divisibile est et materiale et corruptibile. Aut dicant nobis non vanis ducti affectibus, sed clare se comprehendere asserentes: qui fieri possit ut alterius sit naturae, quam materialis. At quoniam multa eorum, quae ante corporeum Christi adventum scripta sunt, corporeo Deum in loco esse videntur dicere, non mihi videtur a proposito alienum, ex his quoque pauca proponere, ut omnis iis dubitatio eripiatur, qui propter imperitiam, quantum in ipsis est, exiguo et brevi loco concludunt Deum omnia superantem etc. »

Item in Libro VIII. 49. contra Celsum: « Non enim, ait, juxta nos corpus est Deus, ne in eadem absurda incidamus, in quae Zenonis et Chrysippi sectatores inciderunt. » *E Selectis in Genesim*, Deum corporeum esse asserentem Melitonem confutat, stultumque vocat Origenes. Deinde de Deo sic sentire, tanquam corporeus ipse sit, inquit, impium est. Item Homilia I. *in Genesim* n. 13. Et *in Epistolam ad Romanos* Libro III. 1. *hominum figmenta dialecticis argutiis et sophismatibus composita eorum argumenta* vocat, qui Deo corpus quacumque ratione affigere contendebant. Cetera pro argumento, Origenis testimonia in sequentem de Filio et Spiritu San-

cio disputationem, quae huic maxime affinis est, mandantur. Interea haec satisfiant, ut Auctor a tanto incedat errore innoxius. Praeterea neque contra hoc facit, quod scribit Hieronymus in Epistola ad Avitum ex libro III. c. VI. n. 9. *Periarchon*; hujusmodi se habens: « Et erit Deus omnia in omnibus, ut universa creatura corporea redigatur in eam substantiam, quae omnibus melior est, in divinam scilicet, qua nulla est melior. » Nihil enim id commune habet cum divina natura ejusque partibus corporeis, cum aliud intenderet ibi Origenis sermo, uti Ruffinus transtulit contextui uniformiter de resurrectione: « In qua erit Deus omnia in omnibus; et tunc consequenter etiam natura corporea illum summum, et cui addi jam nihil possit, recipiet statum. » Idest in regno Christi futuri seculi natura humana a malitiae vitiis exempta, a corruptione scilicet, cui se subjecit ob Adami culpam, restituetur in ordinem pristinum, quo primum a Deo immaculata condita fuit.

Quemadmodum porro hucusque ex libris Origenis ac pro suae fidei integritate decerpsimus testimonia, divinae essentiae simplicitatem adstruentia; ita ex ejusdem scriptis satis reperitur, ut altera in eum dissipetur calumnia, qua impetitur, quasi Dei potentiam circumscriptam crederet: ac ideo tot eum procreasse, quot providentia sua continere ac ministrare poterat. Et quoties, inquiunt, Origenes Deum Omnipotentem dixerit, res omnes ab eo creatas in ejus potestate esse, non vero numerum rerum infinitum ab eodem creari posse, intelligeret etc. Et hoc ideo potissimum probatum iri putant adversarii ex c. IX. n. 1. Libri II. *De Principiis;* ubi gravis momenti varietas intercedit Ruffini versionis ab eo quod traditur in Epistola ad Mennam. Quarum ut quisquis decernere queat, num uni vel alteri credenda sit translationis sinceritas, ac inde Auctoris sensus pateat, utramque in medium proferamus, quae ita se habet.

Versio Ruffini

« In illo ergo initio putandum est, tantum numerum rationabilium creaturarum sive intellectualium, vel quoquo

modo appellandae sunt, quas mentes superius diximus, fecisse Deum, quantum sufficere posse prospexit. Certum est quippe quod praefinito aliquo apud se numero eas fecit: non enim, ut quidam volunt, finem putandum est, non habere creaturas; quia ubi finis non est, nec comprehensio ulla, nec circumscriptio esse potest. Quod si fuerit, utique nec contineri, vel dispensari a Deo quae facta sunt, poterint. Naturaliter nempe quidquid infinitum fuerit, et incomprehensibile erit. Porro autem, sicut Scriptura dicit: *in numero et mensura condidit* Deus; et idcirco numerus quidem recte aptabitur rationabilibus creaturis, vel mentibus, ut tantae sint, quantae a providentia Dei dispensari, regi et contineri possint. Mensura vero materiae corporali consequenter aptabitur: quam utique tantam a Deo esse creatam credendum est, quantam sibi sciret ad ornatum mundi posse sufficere. »

Ex Epistola ad Mennam.

« In illo, quod mente percipitur, initio, tantum numerum intelligibilium substantiarum, voluntate sua constituit Deus, quanto poterat sufficere. Dicendum enim finitam esse Dei potentiam; nec sub obtentu laudis tollenda ejus circumscriptio est. Etenim si infinita sit divina potentia, necesse est, eam ne seipsam quidem intelligere: natura enim infinitum incomprehensibile est. Tanta igitur fecit, quanta poterat apprehendere, et sub manu habere, ac sub providentia sua continere; quemadmodum et tantam materiam apparavit, quantam poterat exornare. »

His inter se collatis, clarescit discrepantia tam in versione, quam in sensu, adeo ut ex Epistolae ad Mennam latere penitus excludatur Dei infinita potentia, et sic firmetur ejus in actu circumscriptio. Ex parte vero Ruffini satis haec est temperata, nec ideo absoluta definiri potest elocutio Origenis, ita ut quodammodo ejus mentem dogmati catholico coaptare liceat, intentis specialim circumstantiis et causis ibi ab Auctore animadversis. Interim autem priusquam pericopae sensum investigemus, atque circa Epistolae textum

quid sentiendum sit statuamus, ceteros ejusdem libros adire par est; ubi eadem sive pro, sive contra Dei omnipotentiam doceat, ut inde judicium rectum instituatur de illius in hac re sententia, veluti de aliis similibus quaestionibus actum est.

In primis praesto nobis sunt, quae Origenés scribit contra Celsum in Libro III. 70, eique respondet circa effatum christianis commune: *Deus omnia poterit*: « Postea objicit (Celsus) istud quasi apud nos jactatum: *Deus omnia poterit*. At neque quo sensu id dicatur, neque quae sint illa *omnia*, neque quomodo possit, intelligit. De iis tamen nihil necesse est impraesentiarum dicere. Neque enim ipse, quamvis probabiliter posset, de ista re institit: sive nescierit quid probabile contra afferri posset; sive scierit quidem, sed quid ipsi responderetur praeviderit. Certe Deum omnia posse profitemur; sed quae potest, nullo suae divinitatis, bonitatis et sapientiae detrimento. Contra Celsus, ut qui nesciebat quo sensu Deus dicatur omnia posse, ait non esse futurum *ut Deus quidquam injustum velit*, quasi ex illo posset quidem injustum quid facere, sed nollet tamen. Dicimus autem nos, quemadmodum id, cujus nativa dulcedine res aliae dulcescunt, illas non potest amaras facere, quod contra suam naturam esset. Neque id potest obscurare, quod natum est ad illustrandum; ita nec Deum injustum facere posse. Haec enim potestas ejus divinitati contraria est, et illi πάσῃ δυνάμει omnipotentiae, quam ut Deus habet. Siquid autem ex rebus creatis natum ad injuste faciendum, injuste facere potest, haec illi inde potestas oritur, quod ejus natura non sit, non posse injuste facere. »

Pariter in Libro V. 23. de eodem argumento: *omnia esse Deo possibilia*: « scimus, inquit, illud *omnia* non complecti ea, quae fieri posse repugnat et cogitari. Dicimus etiam Deum turpia non posse; alioqui Deus posset non esse Deus. Nam siquid turpe Deus facit, Deus non est. Quod autem ponit Deum non velle, quae sunt contra naturam, distinguendum est. Verbis illis siquis malitiam designat, negamus et nos Deum velle, quae contra naturam sunt, quae mala sunt, quae rationi sunt contraria. Sin autem quidquid consilio Dei et voluntate fit, id necessario confitendum est, non fieri contra na-

turam quaecumque Deus facit; haec licet incredibilia sint, aut quibusdam incredibilia videantur, non sunt tamen contra naturam. »

Ex utroque interim responso Origenis, quam sapientissime elaborato contra Celsi versutias, eruitur, in quo et cur juxta eumdem Origenem Dei omnipotentia tantummodo negari possit, idest in iis, quae divinae suae naturae repugnant. Ideoque quotquot, praeter ista excogitare volueris, Deus ex potentia sua infinita perficere potest, nulla ei resistente causa, quae ipsum ab operatione cohibere valeat. Ac proinde si in citato paragrapho quidquam Auctor divinae potentiae neget, in iis recensendum est, quae divinitati suae, sapientiae et bonitati adversantur. Et haec eadem tradit in Commentariorum Serie *in Matthaeum* n. 95: « Quod enim dicebat: *si possibile est*, non ad potentiam Dei referebat solam, sed etiam ad justitiam ejus: quoniam in quantum ad potentiam quidem Dei, omnia possibilia sunt, sive justa sive injusta; quantum autem ad justitiam ejus, qui non solum potens est, sed etiam justus, non sunt omnia possibilia, sed ea sola, quae justa sunt. »

Post haec subeant disquirenda, quae in citata pericope ex Ruffini versione tradit de Dei potentia et providentia in creatione et universi oeconomia, et praecipue rationabilium creaturarum, quo sermo suus respicit. Minime sane Dei omnipotentiam tollit Origenes in creatione rerum, quam alibi jure et aeque vindicavit, uti praenotavimus. Sed quoad Dei providentiam circa creaturarum rationalium finem sicuti et de ceteris, quae creare voluit, ex altissimo suipsius consilio ipse ait Deum circumscripsisse creaturas, nec eas innumerabiles condidisse; sed tantas fecisse, quantae a providentia sua dispensari et regi possent, secundum Sapientiae c. XI. 21. testimonium: *omnia in numero et mensura, et pondere disposuisti*. Cum vero inquit *quantas (ipsae rationales creaturae sive mentes) a providentia Dei dispensari, regi et contineri possint;* talia non ad ipsius Dei potentiam, quasi finitam existimaret, spectant, sed tantum relate ad illam impotentiam, quae naturae divinae per seipsam contrairet, neque Deus efficere posset; et ideo ad ea referenda, quae

antea praemisit, docens *quia ubi finis non est, nec comprehensio ulla, nec circumscriptio.* Omnia enim Deus creavit non ex potentia tantum sua infinita; sed ex sapientia quoque sua ea condidit; et ob hoc creaturae non solum infinitae illius virtuti respondere debebant, sed et sapientiae suae, qua mundum conditum regit atque gubernat.

Quapropter etsi omnia possit Deus secundum illud, quod supra definitum est; nihilominus in mentium seu rationabilium creatione ex sapientia sua pariter infinita eas fecit, quantae regimini providentiae suae satisfacerent: quemadmodum de materia corporea deinde scribit, tantam fecisse, quantam ad mundi ornatum ex sapientia sua sciret sufficere posse. Idcirco in Geneseos c. 1. potentiam Dei in rebus perficiendis magnificat Adamantius, quae ipsi in mundi creatione et ordine visae sunt, nulla difficultate vim ejus voluntatis inhibente, sicuti et sapientiam suam in dispensatione et fine rerum conditarum. In quibus utique consistit, quod ait in praefato paragrapho: « Quia ubi finis non est, nec comprehensio ulla, nec circumscriptio esse potest. » Ubi autem nec finis fuerit, nec comprehensio, neque circumscriptio, sequitur inde, neque dispensationem, neque regimen locum habere juxta suam sapientiam et providentiam, qua eas condidit creaturas rationales, easque circumscripsit in numero et mensura. Et idcirco ex citatis verbis contra Celsum ait: « Certe Deum omnia posse profitemur; sed quae potest, nullo suae divinitatis bonitatis et sapientiae detrimento, potest. »

Cum porro ait: *naturaliter nempe quidquid infinitum fuerit, et incomprehensibile erit,* sensus illius explanatur in c. V. n. 2. Libri III. ejusdem *Periarchon*: « Siquis ergo, scribit, est, qui adversetur in hac parte vel auctoritati Scripturae nostrae, vel fidei, inquiremus ab eo, utrum, dicat Deum comprehendere omnia posse, an non posse? Et dicere quidem non posse, manifeste impium est. Si vero (quod necesse est), dixerit, quia omnia comprehendit, superest, ut eo ipso, quo comprehendi possunt, et initium habere et finem. Nam quod penitus sine initio ullo est, comprehendi omnino non potest. In quantumcumque enim se intellectus extenderit, in tantum comprehendendi facultas sine fine subducitur, et differtur, ubi

initium non habetur. » Quae omnia denique Adamantius instaurat in *Anacephalaeosi*, dicens : « Nihil enim Deo vel sine fine, vel sine mensura est. Virtute enim sua omnia comprehendit; et ipse nullius creaturae sensu comprehenditur. Illa enim natura soli sibi cognita est: » et paulo post: « Solus namque Deus Pater et unigenitus Filius ejus et Spiritus Sanctus non solum eorum, quae creavit, verum etiam sui scientiam tenet. » Et hoc totum est, quod ait Origenes de divina oeconomia in mundi creatione juxta Ruffini translationem.

Quod autem adversarii praesumunt contraire ex vocabulo *παντοκράτορ* *omnipotens* tanquam sic definitum sit ab Origene « Deus Pater omnipotens est eo quod potentatum omnium tenet, idest coeli et terrae, solis et lunae et stellarum, omniumque, quae in ipsis sunt » haud recte ex Auctoris mente comprehenderunt, tanquam in his solis Dei potentatus manifestetur, et non in omnibus, quae Deus facere vult, quod falsum est. In vocabulo enim *omnipotens* non solum potentiae exercitium in creaturis ab eo conditis comprehendit Origenes; sed etiam Dei virtutem ea operandi quae facere vult, dummodo sapientiae suae ac bonitati non adversentur; uti manifeste docuit contra Celsum. Reapse in praefatis verbis et potissimum ex contextu, ut quisque videt, non Dei potentiam tantum, quatenus in se cuncta possit, capit, quantum potentiae ejusdem exercitium, sive actionem in creaturis; ut inde dignoscatur pariter gloria omnipotentiae illius: qualis omnipotentiae gloria, inquit, non dignosceretur, nisi in subjectione, qua omnia serviunt ei, eumque glorificant, quia omnipotens est: « Ut autem manifestius intelligatur, quae sit gloria omnipotentiae, etiam hoc addimus. Deus Pater omnipotens est, eo quod potentatum omnium tenet, idest coeli et terrae, solis et lunae et stellarum, omniumque, quae in ipsis sunt. Novum autem potentatum gerit per Verbum suum, quoniam in nomine Jesu omne genuflectetur et coelestium et terrestrium et infernorum. »

Denique ex his omnibus hauritur, divinae omnipotentiae haud obsistere Origenem, cum ait, Deum tot creaturas rationales creasse; quot fini sibi proposito satisfacerent, nec

amplius his facere potuisse; aliter sapientiae suae ac providentiae detrimentum attulisset. Nec multo minus dicere fas est, usque ad infinitum absolute sumptum, easdem creaturas augere potuisse Deum, ex quo contra naturam suam infinitam pariter egisset. Inde concluditur, omnia, quae prope Ruffini versionem statuit Origenes de divina omnipotentia, recta se habere, ac una concordare illis, quae alibi contra incredulos praeclarissime definivit, tanquam catholicae veritati consona.

Si quis vero post haec accurate pericopae sensum juxta expositionem ab Auctore Epistolae ad Mennam traditam perspexerit, primo intuitu tum dictionis discrepantiam in argumento, tum maxime consequentiae perceperit falsitatem. Si namque Deus ex sua sapientia et providentia rationales creaturas fecerit quantas sufficere posse cognovit, non inde sequitur absolute, Dei potentiam finitam esse et circumscriptam. Et sane, quomodo fieri potest, similia cogitasse Origenem? ex. g. posita infinita divina potentia, necessario sequi, istam potentiam ne seipsam quidem intelligere? Quasi diceret: Deus non potest suipsius infinitam potentiam comprehendere. Et quis unquam talia absurda audiverit? et amplius ea finxisse animo Origenem, scriptoque mandasse? Manifestum est ergo, non Ruffinum graeci textus integritatem deformasse in sua versione; sed Epistolae Auctorem, seu alium quemcumque velis, aut non intellexisse Origenis mentem: seu data opera, illius scripta falsasse. Nolo autem hoc in loco ad Origenis mentem melius illustrandam omittere, quae s. Augustinus discussioni apta, scripsit in Libro IV. n. 12. *De Genesi ad Litteram*: « Faciamus, ait, ergo dicta esse: *omnia in mensura et numero et pondere disposuisti*, tanquam dictum esset, ita disposita, ut haberent proprias mensuras, et proprios numeros et proprium pondus, quae in eis pro sua cujusque generis mutabilitate mutarentur augmentis et diminutionibus, multitudine et paucitate, levitate et gravitate secundum dispositionem Dei. Numquid sicut mutantur ista, ita et ipsum consilium Dei, in quo ea disposuit, mutabile dicimus? Averterit ipse tantam dementiam. » Et hoc est, quod docet, etiamsi vario intuitu, Origenes ex citato Sapientiae testimonio.

Demum sive ob hanc sensus origeniani falsationem sive ob minus accurate expensam dictam Auctoris pericopem, nemo ignoret quantum ideo adversus hunc blateravit Theophilus in Epistola Paschali II. n. 17: « Non ei, inquit, sufficit ista blasphemia; sed trans flumina Aethiopiae currum stultitiae suae dirigens, item furibundus excellat, tot dicens voluntate sua Deum condidisse rationabiles creaturas, quot poterat gubernare, ut virtutem Dei, imbecillitati hominum, et ceteris, quae creata sunt, compararet.... Audiat ergo impius et discat: non tanta est virtus Dei, quantas fecisse dicitur rationales creaturas; sed imponens mensuram operibus, ultra quam esse non poterant, et rerum numerum dispositionis suae arte concludens, ipse mensura et numero non tenetur. Ex quibus liquido apparet, non eum tanta fecisse, quanta poterat; sed quantum rerum necessitas expetebat, tantum ejus fecisse virtutem. » Deinde in n. 18 addit: « Quae sentiens ipse (Origenes) rursus discat a nobis, non quanta fecit Deus, tanta facere poterat; sed quantam mensuram rerum ordo poscebat, tanta fabricatus est Deus, multo majorem habens et artem et fortitudinem, quam ea quae facta sunt, numerum atque mensuram etc. »

Quibus positis, Theophilus, nisi pravata Origenis scripta legisset, aut si studiose hujus sinceros ibi et alibi sensus considerasset, calamum suum cohibuisset a corripiendo Origenem, qui eadem sensit orthodoxe, quae idem ipse docuit: nec impium nuncupasset, qui impia non scripsit; sed omnimode cum dogmate catholico convenit. Cum enim inquit Theophilus in ordine creationis divinae, *quantum rerum necessitas poscebat, tantum fecisse Dei virtutem;* aut *quantam mensuram rerum ordo poscebat, tantum fabricatum esse Deum:* et quid amplius, vel minus, sive aliter ab eo, quod statuit Theophilus, putavit aut scripsit Origenes, suam concludens argumentationem in loco citato: *mensura vero materiae corporali consequenter* (alii legunt *convenienter*) *aptabitur: quam utique tantam a Deo esse creatam credendum est, quantam sciret sibi ad ornatum mundi posse sufficere?* Non circumscripsit Origenes Dei potentiam in creatione; sed ordo et modus, quos in ipsa creatione sibi praefinivit et in creati gu-

bernatione, eousque ab eo talem exigebant mensuram pro hujus mundi ornatu, ut impleretur quod ait Scriptura: *igitur perfecti sunt coeli et terra et omnis ornatus eorum*. Qualem conclusionem sapientissime ab Origene excogitatam ac genuine a Ruffino e graeco translatam, Glossator graecus et ab eo Auctor Epistolae depravarunt, vertentes: *quemadmodum et tantam materiam apparavit Deus quantam poterat exornare*; ut inde absolute Dei cohiberetur omnipotentia in creatione. Aliud enim est dicere, *tantam materiam creasse Deum, quantam sciret sibi ad mundi ornatum posse sufficere*; et aliud quidem est, *Deum* dicere *tantam apparasse materiam, quantam poterat exornare*.

Concludatur ergo, Ruffini accepta obtestatione, horum librorum praemissa versioni, se aliquando nonnulla in illis emendasse, ea tamen solummodo, quae circa divinae Trinitatis mysterium versabantur: quavis ratione concludatur, dico, genuinum habendum esse hujus versionis sensum, uti ex Origenis calamo prodiit, sicuti ejusdem orthodoxiam in eadem expressam. Eoque magis quod nec in his *Periarchon* nec multo minus in aliis tractatibus, quam supposuit Theophilus et cum eo Hieronymus, blasphemiam unquam dictaverit Adamantius. Proindeque uti spurius respuendus est textus a praefatis viris ventilatus contra Auctoris fidem.

CAPUT IX.

De sanctissimae Trinitatis mysterio, Verbi et Spiritus Sancti divinitate, Origenis doctrina, praesertim ex Periarchon *disquiritur, simul comparatis Ruffini et Hieronymi versionibus et Epistola ad Mennam.*

Hucusque disputata, divina tantummodo attributa spectant; nunc reliqua Origenis testimonia de Verbi Dei, Sanctique Spiritus Personis discutienda subeant. In his enim pariter ipse impetitur ab adversariis tanquam blasphemiae adsertor, Filium quippe Patre, et Spiritum Sanctum Patre et Filio minorem existimans. Sic namque Auctor Epistolae ad Mennam ex Libro I. *De Principiis* c. III. 5. Origenis verba prodidit cum hujusmodi interpretatione: « Arbitror Deum quidem Patrem, cum omnia contineat ad unumquodque entium pervenire, esse unicuique impertientem de suo: ipse enim est qui est. Minor vero Patre Filius ad sola rationabilia pervenit; est enim secundus a Patre. Adhuc etiam minor Spiritus Sanctus ad solos sanctos pertingit. Ita ex hoc major est potestas Patris quam Filii et Spiritus Sancti. Amplior item potestas Filii quam Spiritus Sancti: ac rursum praestantior est Sancti Spiritus virtus quam aliorum sanctorum entium. » Hanc eamdem interpretationem Hieronymus in Epistola ad Avitum obsignavit, redactam ab Epistolis Paschalibus Theophili.

Priusquam vero haec et similia e praefatis libris et sic per eosdem interpretes commenta contra dogma sanctissimae Trinitatis, Origeni adjudicata, sedulo pensando enucleemus, operae praetium reputo, quae alibi luculentius scripsit Adamantius de hoc mysterio, objicere lectoribus; ac non solum ex his libris, verum etiam ex ceteris vario genere sermonibus ideo ab eodem pro fidelium eruditione congestis. Ubi verbis manifestissimis catholicam doctrinam profitetur; et simul contra adversarios propugnat trium divinarum Personarum unitatem, naturae identitatem, sapientiae, virtutis, aeternitatis etc. ulla sine distinctione, sive temporis, sive potestatis.

In hac porro quaestione illius censura utemur, qui Huetii Notis plura adjecit Origenis testimonia admodum argumento nostro accommodata. Quibus tamen antea cautiones praemittendae sunt ab eodem Origene traditae, ubi de Christo loquitur in *Periarchon* Libro I. c. II. n. 6. : « Et ideo, ait, ego arbitror quod sufficere debeat voluntas Patris ad subsistendum hoc quod vult Pater. Volens enim non alia via utitur, nisi quae consilio voluntatis profertur. Ita ergo et Filii subsistentia generatur ab eo. Quod necesse est in primis suscipi ab his, qui nihil ingenitum idest innatum praeter solum Deum Patrem fatentur. Observandum namque est, nequis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt, ut divinam naturam in partes vocent: et Deum Patrem quantum in se est, dividant, cum hoc de incorporea natura vel leviter suspicari, non solum extremae impietatis sit, verum etiam ultimae insipientiae; nec omnino ad intelligentiam consequens, ut incorporeae naturae substantialis divisio possit intelligi. Magis ergo, sicut voluntas e mente procedit, et neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur, aut dividitur; tali quadam specie putandus est Pater Filium genuisse, imaginem scilicet suam, ut sicut ipse invisibilis est per naturam, ita quoque imaginem invisibilem genuerit. Verbum enim est Filius, et ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. Sapientia est, et in Sapientia nihil corporeum suspicandum est etc. »

His positis, siquis interim ob mutuas et Hieronymi et Ruffini contestationes circa Origenis doctrinam in libris *Periarchon* suspicari velit de hujus locutionis genuitate, adstat nobis sincerum, praestantissimum et irrepugnabile ipsius testimonium, quod edidit Gallandius in Bibliotheca Patrum ex Scholiis *in Matthaeum* c. XXVIII. n. 18. ex verbis: *data est mihi omnis potestas in coelo et super terra* : « Hoc, inquit, *data est mihi omnis potestas* etc. de humanitate intellige. Quod si etiam de divinitate velis considerare, vel sic accipiens illud: *data est mihi potestas* pro *concessa est. Data est*: delata mihi est, ex libero arbitrio credita est mihi. Locum habuit vita, primum quidem in supernis, deinde nunc et in inferioribus: quos confidentes baptizate in nomine Patris, et Filii

et Spiritus Sancti. Εἷς ὁ σώζων, μία ἡ σωτηρία. Εἷς ὁ ζῶν Πατήρ, ὁ Υἱός, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Εἷς ἐστιν οὐ συναλοιφῇ τῶν τριῶν ἀλλ' οὐσίᾳ μιᾷ· τρεῖς δὲ ὑποστάσεις τέλειαι ἐν πᾶσι, καὶ κατάλληλοι. Κατὰ φύσιν ἐγέννησεν ὁ Πατὴρ διόπερ ὁμοούσιος ἐγεννήθη. Οὐ σῶμα ὁ Θεός, διὰ τοῦτο οὐκ ἄρα ῥεῦσιν ἢ κίνησιν, ἤ τι τῶν τοιούτων, ἃ ἐν τοῖς σώμασι θεωρεῖται, ὁ Θεὸς ὁ ἀσώματος ἐγέννησεν. Ἐνυπόστατος ἡ γέννησις. ἀπετέχθη ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱός. i. e. Unus est qui salvat, una salus. Unus vivens Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Unus est non coitione trium, sed unica essentia: tres vero hypostases perfectae in omnibus et ad se invicem relatae. Secundum naturam genuit Pater, proptereaque consubstantialis genitus est. Non est corpus Deus: propterea ergo non defluxionem, non motum vel quidpiam hujusmodi, quae in corporibus cernuntur, Deus incorporeus genuit. Personalis est nativitas. De essentia Patris natus est Filius. » (1)

En de Trinitate confessionis essentiam, quam emisit Origenes: quam deinde Patres Nicaeni proclamarunt adversus Arium; et quae per ecclesias instauratur in fidei Symbolo: « Fides autem catholica haec est: ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas neque substantiam separantes. » Adeo ut et hoc solum sufficeret adversus eas, quae ei inscribuntur, blasphemias de hoc divino mysterio. Nihilo minus non est ab opere desistendum, cum plures occurrant ejusdem generis obtestationes; quibus amplius Origenis fides de hoc firmetur et aperiatur argumento; et excludatur, quam ipsum admisisse supponunt, differentia quoad naturam et substantiam divinarum Personarum.

Istud autem colligitur primum ex Tomo I. n. 27. *in Joannem*, ubi de Verbo Dei haec ait: « Porro Unigenitus veritas est, omnem omnium rerum juxta Patris voluntatem cum omni claritate rationem in se complectens, atque unicuique, in quantum est veritas pro illius dignitate et merito distribuens. » Item ex verbis ejusdem Evangelistae: *meus cibus*

(1) Conferas Tomum VII. Origenis Operum Edit. P. Migne pag. 310.

est, *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*: « Istud enim (dico autem illud, quod extra volentem est) factum seorsum a voluntate praedicta, non est tota voluntas Patris; cum alioqui tota voluntas Patris a Filio sit effecta, cum velle Dei natum in Filio, faciat haec, quae velit voluntas Dei: solo Filio totam capiente Patris voluntatem, quam etiam ob causam imago ipsius est: id quod etiam de Spiritu Sancto considerandum est. » Pariter contra Celsum Libro VI. n. 69. de Dei magnitudine scribit: « At nostra sententia non est, solum rerum omnium Deum ac Patrem esse magnum. Suae enim magnitudinis participem fecit unigenitum et primogenitum omnis creaturae, ut, qui imago est invisibilis Dei, is etiam magnitudine Patris imaginem referret. »

Aliud vi et perspicuitate pari praestat testimonium, quod tradit Origenes ex apostolicis verbis *in Epistolam ad Romanos* Libro VIII. n. 13. *o altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei quam etc.* ita expositis: « Neque enim inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viae ejus dicerentur, nisi quia nulla est creatura, quae vel investigare valeat illa, seu scrutari. Solus est enim Filius, qui noverit Patrem, et solus est Spiritus Sanctus, qui scrutatur omnia, etiam altitudinem Dei. Et ideo hanc altitudinem Dei, quam et inscrutabilem dicit et investigabilem, creaturae omni inscrutabilem et investigabilem dicit. De Filio vero et de Spiritu Sancto dicere ista non poterat, quia Filius in Evangelio dicit ad Patrem: Pater omnia mea tua sunt, et tua mea etc... Vides ergo quod Paulus in praesenti capitulo in his, quae dicit, *quis enim cognovit sensum Domini, aut quis illi consiliarius fuit?* de creaturis dicat; naturam vero Trinitatis excipiat; quippe cui nihil sit cum creatura commune, nisi beneficientiae opus. » Ubi est ergo potestas, praestantia, sapientia, quibus Filio et Spiritui Sancto praecellat Pater; et Spiritus Sanctus Filio inferior habeatur? Denique Homilia XI. 8. *in Numeros,* sic loquitur de Spiritu Sancto: « Puto ergo quod Sanctus Spiritus ita sanctus sit, ut non sit sanctificatus. Non enim ei extrinsecus et aliunde accessit sanctificatio, quae ante non fuerat, sed semper fuit sanctus; nec sanctitas ejus initium accepit. Similique modo de Patre et Filio intelligendum est.

Sola namque Trinitatis substantia est, quae non extrinsecus accepta sanctificatione, sed sui natura sit sancta. » Denique in Expositione Proverbiorum c. XXII. (a Cardinali Angelo Majo edita) scribit: « Praecipue vero hoc observandum est circa sanctam Trinitatem: nam qui Deum non dicit Sanctum Spiritum, baptisma destruit; qui vero alios quosdam Deos nominat, is deorum populum introducit. »

Ex his interim tam manifestis elocutionibus, quibus suos libros communivit Origenes, deducitur, omnium rationem rerum complecti Filium sicuti et Patrem; ita Patris voluntatem capere Filium item et Spiritum Sanctum; amplius magnitudini Patris participare Filium; similiter virtutem omnem et sapientiam una cum Patre praeseferre Filium et Spiritum Sanctum; ac sanctitatis totius fontem simul cum Patre esse Filium cum Spiritu Sancto, omni quavis inter ipsos sublata sive temporis, sive quantitatis distinctione, sive immensitatis in eorum essentia.

Quivis itaque hujusmodi perpendens testimonia praeter ea, quae brevitatis causa omissa sunt, non dubito, quin admodum miretur, quomodo talia Origenes potuerit in citata pericope tam falsa inscribere, tam contraria iis, quae alibi saepius ac apertissime de divinis Personis juxta sensum catholicum confessus est. Stupor autem augetur, si consideretur, eumdem paulo ante ac paulo post de eadem re aliter sensisse ab eo, quod in ipsa pericope impie docuit. Quamobrem ex quo hic agitur num Ruffinus an Hieronymus integrum tradiderint, seu verterint ex graeco fonte Origenis textum; seu an Ruffini codex graecus alii praestaret, quem prae manibus habuit Hieronymus; duplici ratione Ruffini codex sincerior habendus erit. Primo, quod istius versio non admittat tam absurda, proindeque penitus contextui accommodetur: secundo, quod uniformis incedat Origenis sensui alibi probe expresso.

Ut autem haec omnia cunctis pateant, investigatum ineamus Ruffini versionem, alteri Hieronymi et Epistolae ad Mennam conferentes. Verba Epistolae supra exposuimus. Quae autem Ruffinus dedit ita se habent: « Arbitror ergo operationem quidem esse Patris et Filii tam in sanctis quam

in peccatoribus, in hominibus rationalibus, et in mutis animalibus; sed et in his, quae sine anima sunt, et in omnibus omnino quae sunt. Operationem vero Spiritus Sancti nequaquam prorsus incidere vel in ea, quae sine anima sunt, vel in ea, quae animantia quidem, sed muta sunt, sed ne in illis quidem inveniri, qui rationabiles quidem sunt, sed in malitia positi, nec omnino ad meliora conversi. In illis solis arbitror esse opus Spiritus Sancti, qui jam se ad meliora convertunt, et per vias Christi Jesu incedunt, idest qui sunt in bonis actibus et in Deo permanent. »

Interea notandum est: cum haec Ruffini translatio sensum redoleat catholicum (uti et ipsi Ruffini adversarii fatentur) id tamen factum esse dicunt ex ejusdem Ruffini emendatione. Ast, quod ita se haberet originalis lectio, quam fideliter exposuit ipse, quin ei opus esset, quidquam addere vel resecare, vel corrigere, facile ostenditur. Et re quidem vera: Origenes postquam de Deo, de Christo Jesu ex divinis Scripturis locutus est, sermonem suum vertit de Spiritu Sancto, tum ex veteris tum ex novi Foederis libris compellans testimonia; quibus potissimum ab eo Spiritu omnem tollere conatur creaturae speciem; eumdem pariter unius ejusdemque naturae esse docens cum Patre et Filio. Adeo vero hanc tenet fidem Adamantius, ut ceteros imbuens, veritus nequis ab hoc quodammodo aliter sentiret juxta Scripturae verba, *nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*, ita praeeat lectori: « Neque enim putandum est, quod etiam Spiritus, Filio revelante, cognoscit. Si enim revelante Filio, cognoscit Patrem Spiritus Sanctus, ergo ex ignorantia ad scientiam venit: quod utique et impium pariter atque stultum est, Spiritum Sanctum confiteri, et ignorantiam ei adscribere. Non enim cum aliud aliquid esset antequam Spiritus Sanctus, per profectum venit in hoc ut esset Spiritus Sanctus; ut quis audeat dicere, quia tunc quidem, cum nondum esset Spiritus Sanctus, ignorabat Patrem: postea vero quam recepit scientiam, Spiritus Sanctus effectus est. Quod si esset, nunquam utique in unitate Trinitatis, idest Dei Patris inconvertibilis et Filii ejus, etiam ipse Spiritus Sanctus haberetur, nisi quia et ipse semper

erat Spiritus Sanctus. Hoc sane quod dicimus, vel *semper* vel *erat*, vel siquod aliud tale temporalis significationis nomen adsciscimus, simpliciter et cum venia accipiendum est: quoniam nominum quidem horum significationes temporales sunt: ea autem, de quibus loquimur, tractatu quidem sermonis temporaliter nominantur, natura autem sui omnem intelligentiam sensus temporalis excedunt. »

Ex his interea limpido cernitur quid et quomodo senserit et se egerit de hoc mysterio Origenes: qui etsi tres Personas nominatim distinxerit, ubique tamen earum essentiae unitatem, ac ideo simul aeternitatis, virtutis, sapientiae firmo tenuit, adeo ut nullimode dici possit, aliquando Spiritum Sanctum ignorasse Patrem: et non nisi ex ejusdem Filii revelatione ipsum Spiritum novisse Patrem, quod impium foret. Proindeque quisquam percipiet, utrum quae sequuntur juxta Justiniani Epistolam et Hieronymi versionem, his coalescant ab Origene paulo ante definitis de Spiritu Sancto sicuti et de Filio. Utrum scilicet virtute dicendus sit minor Patre Filius et isto Spiritus Sanctus, ita ut, cum Pater, quae sua sunt, impertit Filio et Spiritui Sancto, uterque non substantialiter virtutem Patris in se haberet, sed tanquam divisi naturae, alius ab alio reciperent virtutem in majori vel minori quantitate: veluti Pater, qui omnia in se continet, eisdem in suo beneplacito dispertire vellet: quae Origenis menti ex praefatis penitus adversantur.

Verumtamen propius rem perscrutemur ex iis, quae immediate praecedunt pericopae in quaestione. Subdit enim Origenes: « Rectum tamen videtur inquirere quid causae sit, quod qui regeneratur per Deum in salutem, opus habet et Patre et Filio et Spiritu Sancto, non percepturus salutem, nisi sit integra Trinitas: nec possibile sit participem fieri Patris vel Filii sine Spiritu Sancto. De quibus discutientes, sine dubio necessarium erit, ut operationem specialem Spiritus Sancti, et specialem Patris et Filii describamus. Arbitror ergo etc. ut supra. » In his itaque perspicue videas, quaestionem agere Origenem circa baptismi collationem; in quo neminem regenerari ait, nisi in nomine divinissimae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti; et amplius fieri non posse hominem Patri et Filio participare sine Spiritu Sancto.

Ita ergo instructo argumento, quaeritur quis istorum magis sit contextui Origenis consequens? Ruffinus ne an Hieronymus seu Auctor Epistolae? Primus (vides) uniformiter antecedentibus, operationes speciales explicat Patris et Filii seorsim ab operatione Spiritus Sancti; et id juxta cujusque divinae Personae notiones. Operatio enim, inquit, Patris et Filii in omnes universim agit creaturas, in sanctos et peccatores, in animatas et inanimatas, in rationales et irrationales. Operatio vero Spiritus Sancti, gratia nimirum sanctificans, in homines tantummodo probos et fideles agit, qui in viam Christi Jesu incedunt. Et hoc amplissime in paragrapho successivo quaestioni congruenter, explicat e Scripturis colligens testimonia, primum quoad Patris et Filii actionem in omnem creaturam, secundo circa Spiritus Sancti erga probos tantum operationem. De quo ex Geneseos verbis: *non permanebit Spiritus meus in hominibus istis in aeternum, propter quod caro sunt*, inquit: « In quo manifeste ostenditur quod ab indignis quibusque aufertur Spiritus Dei. In Psalmis scribitur quoque: *auferes Spiritum eorum et deficient et in terram suam revertentur. Emittes spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae*: quod manifeste de Spiritu Sancto designatur, qui, ablatis atque extinctis peccatoribus et indignis, ipse sibi novum populum creet, et renovet faciem terrae, cum per gratiam Spiritus, deponentes veterem hominem cum actibus suis, in novitate vitae coeperint ambulare. Et ideo de eo competenter dicitur, quia non in omnibus, neque in his, qui caro sunt, sed in his, quorum terra renovata fuerit, Spiritus Sanctus habitabit. »

Deinde paucis interjectis a Scriptura petitis, ad argumenti sui robur, subdit: « Hoc ergo pacto operatio virtutis Dei Patris et Filii indiscrete super omnem protenditur creaturam: Spiritus Sancti vero participationem a sanctis tantummodo haberi invenimus. Propter quod dicitur in I. ad Corinthios c. XII. *Nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu Sancto* . . . . . Nequis sane (praeit Adamantius adversariorum objectioni, cui tamen non attenderunt posteri, qui tam acriter ei exprobrarunt blasphemias hujusmodi) nequis sane, addit, existimet nos ex eo, quod diximus Spiritum Sanctum so-

lis sanctis praestari, Patris vero et Filii beneficia vel inoperationes pervenire ad bonos et malos, justos et injustos, praetulisse per hoc Patri et Filio Spiritum Sanctum; vel majorem ejus per hoc asserere dignitatem: quod utique valde inconsequens est. Proprietatem namque gratiae ejus operisque descripsimus. Porro autem in Trinitate nihil majus minusve dicendum est, quum unius Divinitatis fons verbo ac ratione sua teneat universa: Spiritu vero oris sui, quae digna sunt sanctificatione, sanctificet, sicut in Psalmo scriptum est: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* » E quibus omnibus apertius percipitur quid sibi velit Origenes in ipsa Personarum distinctione earumque munerum. Ideoque quid haec commune habent cum iis, quae inde commenti sunt praefati interpretes de virtute et de praestantia absoluta unius, idest Patris super Filium, et Filii supra Spiritum Sanctum, et hujus super ceteros sanctos? Vide ergo abortum; cerne absurdum; inspice incohaerentiam in hujusmodi, quam ex pravatis codicibus tradunt Theophilus, Hieronymus et Auctor Epistolae, translatione.

Siquis vero contra haec stans dicat, in hoc paragrapho emendasse Ruffinum, quae erronea sive falsa scripserat Origenes: tunc asserendum foret, non quaedam in Libris *Periarchon* reformasse Ruffinum ipsum, ut is ait in Prologo, sed totum caput a principio ad finem refingendum ipsi fuisse, ut sensum alium erueret ab eo, quem exposuerunt citati Auctores (in ceteris namque recta dixit ibidem Origenes); seu contra se iisse Adamantium in eodem argumento, quod admitti nequit. Huic vero adsertioni suffragatur quod scribit s. Athanasius *in Epistola* IV. ad Serapionem n. 9. 10. disserens de blasphemia in Spiritum Sanctum. Ibi namque s. Doctor Origenis verba citat, quorum sensus penitus concordat iis, quae leguntur in pericope juxta Ruffini versionem; unde insuper ipsius Origenis mens illustratur, ab eodem Athanasio comprobata: « Prisci, ait, certe viri, Origenes eruditissimus, et laboriosus scriptor, et Theognostus admirandus ille et studiosus homo (horum enim Opera legebam, cum Epistolam accepi tuam) ambo quippe etc. . . . . Nam Origenes quidem causam judicii contra hujusmodi homines lati sic

explicat: *Deus et Pater in omnia penetrat, et omnia continet animata et inanimata, rationalia et irrationalia; Filii autem potestas ad sola rationalia se se extendit; in quibus continentur cathecumeni et ethnici, qui nondum crediderunt. Spiritus vero Sanctus in iis solis est, qui sui participes effecti sunt in baptismatis collatione. Cum igitur cathecumeni et ethnici peccant, in Filium peccant; quoniam is est in illis, ut dictum est; possunt tamen veniam consequi, ubi acceperint donum regenerationis. Cum autem baptizati peccant, hanc iniquitatem in Spiritum Sanctum recurrere ait; quia tum peccavit homo, cum in illo esset Spiritus. Ideoque remitti, non posse supplicium ipsi debitum.* »

Novissime invincibile testimonium de integritate versionis ruffinianae in hac, quam disquirimus pericopem, sicuti de sinceritate textus graeci, quem legit Ruffinus ipse, ac simul ad redarguendam falsationem textus graeci, quo usi sunt Hieronymus et Auctor Epistolae ad Mennam, splendidissime obsignatur in Apologia s. Pamphili. Qui ex codicibus nisi velis autographos, saltem apographos, Origenis, ipsius fidem de Trinitate sinceram propugnat. Et recte quidem divus Martyr in praefatae Apologiae capite IV. eadem verba eosdemque sensus citat ex primo *De Principiis* Libro, sicuti Ruffinus deinde in versione totius Operis descripsit. Et quamvis exemplar Apologiae graecum et super textu graeco elaboratum modo desit; tamen satis est versio accurata Ruffini, quae prorsus graeco respondet. Non enim Ruffinus in latina Apologiae translatione quid mutavit seu emendavit, veluti quandoque egit in versione Librorum *De Principiis;* sed ibi in Apologia omnia interpretatus est prout in originali s. Pamphili legebantur, ab eodem s. Martyre ex genuinis Adamantii scriptis excerpta. Ideoque in hoc paragrapho penitus evanescit suspicio de integritate versionis ruffinianae; et amplius solidatur interpolatio codicis graeci, quo usi sunt Hieronymus et Auctor Epistolae ad Mennam, cui nulla fides adhibenda est: quorum verba habenda sunt uti glossa ab interpretibus malae fidei contra Origenis mentem, furtive intrusa in ejusdem libros: quemadmodum superius *de metempsychosi*, et *de secunda Christi Redemptione pro coelestibus*

notavimus: ac merito ideo tanquam nothum foetum ipsius Origenis respuimus et refutavimus; de quibus infra denuo disputabitur.

Ceterum parum vel nihil fidei origenianae integritati officit, quod is de hoc mysterio plura disserens, in eodem c. III. n. 4. ad similitudinem trahit ex Cantico Abacuc: « Nos vero putamus, inquit, etiam illud quod ibi dictum: *in medio duorum animalium cognosceris*, de Christo et de Spiritu Sancto sentiri debere. » Hujusmodi similitudo admodum displicuit Hieronymo adeo ut vehementer offensus sit, verumtamen immerito, ut mihi videtur. In divinis namque Scripturis praeter sensum litteralem, alterum spiritalem jure admisit Origenes, veluti paulo ante notavit. Ideoque nihil mirum est, quod hanc paritatem repererit opportunam, sicuti et saepissime alibi hoc facit, quocum e terris, a sensibilibus nempe homo pius ad coelestia et spiritalia mentem facilius extolleret. Idcirco simili ratione Homilia XII. n. 1. *in Numeros*, verba exponens: *et bibit de puteo populus*, testimonium addit ex Proverbiis: *bibe aquas de puteorum tuorum fonte*, a quo similitudinem trahit de trium Personarum divinarum uno fonte: « Est ergo, ait, haec trium distinctio Personarum in Patre et Filio et Spiritu Sancto, quae ad pluralem puteorum numerum revocatur. Sed horum unus est fons: una enim substantia est, et natura Trinitatis. » Opportunas porro has similitudines priscis Scripturis insertas putat Origenes et israelitis utiles, ut inde eorum animus, ceu dixi, altiora cerneret; atque ex iis, quae humilia habebantur, illorum mysterium intueretur, quae deinde gentibus revelanda erant per Christum. Ac ideo paulo post, Moysen populum cohortantem inducens: « date, inquit, initium cordi vestro, ut incipiat intelligere quis sit puteus, de quo aquae spiritales hauriendae sunt, et reficiendus est populus credentium. Initiate ergo ei, hoc est Israeli hunc puteum: ut sensum mysticum, siquis est corde Deum videns, de profundis possit haurire. » Mihi autem hujusmodi allegoriae non multum ab ea distare videntur, qua utitur Apostolus ad Galatas c. IV. n. 24. duo Testamenta vetus et novum aequiparans uxoribus Abrahami, Sarae liberae et Agar ancillae: « *Unum quidem in monte Si-*

na, in servitutem generans: quae est Agar; Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quae nunc est, Hierusalem, et servit cum filiis suis. Illa autem, quae sursum est, Hierusalem, libera est, quae est mater nostra; seu ab altera, qua idem Apostolus Christum vocat petram : *Petra autem erat Christus.* »

Si petra mystica erat Christus; si Apostolus Christum comparavit petrae insensibili; nonne potuit Origenes in duobus animalibus (quae quidem natura praestantiora sunt petra) mystice significare filium et Spiritum Sanctum? Et si in his haud benevertit, quod Hieronymus reprehendit in Origene; multo minus pro ipso Hieronymo faciunt, quae ex Homilia I. Origenis ejusdem *in Isaiam,* clamat adversus eum in Epistola ad Pammachium et Oceanum, inquiens: « In lectione Isaiae, in qua duo Seraphim clamantia describuntur, illo (Origene) interpretante Filium et Spiritum Sanctum, nonne ego *detestandam expositionem* in duo Testamenta mutavi? » Porro Origenis verba in eadem Homilia n. 2. ita se habent: « *Et Seraphim duo stabant in circuitu ejus, sex alae uni, sex alae alteri.* Duo video Seraphim; et unumquodque eorum in semetipso habens sex alas... *Et clamabant alter ad alterum.* Verum haec Seraphim, quae circa Deum sunt, quae sola cognitione dicunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* propter hoc servant mysterium Trinitatis, quia et ipsa sunt sancta. His enim in omnibus, quae sunt, nihil sanctius est. Et non leviter dicunt alterum *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* sed salutarem omnibus confessionem clamore pronunciant. Quae sunt ista duo Seraphim? Dominus meus Jesus Christus, et Spiritus Sanctus. »

Et haec exposuit Origenes. Si enim ob hoc, uti placuit s. Hieronymo, *detestabilis* est talis expositio Origenis, qui duobus angelis assimilavit Dominum Jesum et Spiritum Sanctum: et ipse Malachias propheta, subdo ego, detestabilis est; qui de Christo Jesu vaticinatus c. III. 1. inquit: *Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Itemque *detestanda* s. Stephani dicta, qui in Actis Apostolorum c. VII. 30 de Deo, qui visus Moysi in monte Sinai, dixit: *apparuit il-*

li in deserto montis Sina Angelus in igne flammae rubi.... dicens: ego sum Deus patrum tuorum etc. Et si sancti Dei homines divinitus afflati dominicam missionem exponentes, nec ullimode *detestanda expositione*, Dei Filium Jesum, et Deum Patrem, angelos quandoque nuncuparint; nonne potuerit Origenes, eadem usus assimilatione, in duobus Seraphim mystice designare Dei Filium et Spiritum Sanctum?

Ceterum quam apte Origenes Isaiae verba de duobus Seraphim clamantibus, altero ad alterum, accommodaverit duabus Filio et Spiritui Sancto sanctissimae Trinitatis Personis, jam ex praefatis patet; et amplius ex sequentibus n. 4 ejusdem Homiliae dictis: « *Et domus impleta est fumo*: ex remissione ignis cuncta impleta est domus. Fumus autem vapor ignis est. *Et dixi*: *o miser ego*, *quoniam compunctus sum*, *quia cum sim homo et immunda labia habeam*. Non possum sentire, quare humiliaverit seipsum Isaias. Verum dicit: testimonium enim dat Scriptura, quia ejus mundantur labia ab uno ex Seraphim, qui missus est ad auferenda ejus peccata. Unus autem ex Seraphim Dominus meus Jesus Christus est, qui ad auferenda peccata nostra, a Patre missus est, et dicit: *ecce abstuli peccata tua*, *et iniquitates tuas circummundavi*. Nec putes naturae contumeliam, si Filius a Patre mittitur. Denique ut unitatem Deitatis in Trinitate cognoscas, solus Christus in praesenti lectione nunc peccata dimittit; et tamen certum est a Trinitate peccata dimitti. Qui enim in uno crediderit, credit in omnibus. » Ideoque immerito quavis ratione, quae mystice de duobus Seraphim pertractavit Origenes in hac Homilia, *detestandam expositionem* vocavit s. Hieronymus.

Ac interim si ab his dictis arguendum sit de ceteris, quas adversus Origenem s. Doctor compegit insimulationes, sive ex. g. ex Commentariis decerptas, aut e Scholiis, sive Homiliis in Sacras Scripturas, seu aliunde, similia praetexens reprobanda ac emendanda, veluti hucusque ostendi, statuendum foret in duo offendisse Hieronymum. Primum, quod Origenis falsatos codices graecos *Periarchon* legerit; proindeque non Origenes ob hoc damnandus, sed falsator. Secundum, quod ipsius Origenis genuinos codices legens Hierony-

mus, durius quam par foret, sensus illius exagitaverit, ut inde de sua orthodoxia dubitaret, aliosque bonae fidei viros in eamdem traheret dubitationem, sicuti infaustissime factum est.

Sed de hoc satis: potiusque ad praecipuum de Trinitate argumentum reversi, alteram lectionis proindeque sensus, varietatem inquiramus, quam objicit latina versio Ruffini ab Hieronymi translatione sicuti ab Epistola ad Mennam *in Periarchon* Libro I. c. II. n. 13. de Christo. Sic enim de Filio Dei Origenes ex ipsius Ruffini versione loquitur: « Superest, quid sit imago bonitatis ejus inquirere: in quo eadem, ut opinor, intelligi convenit, quae superius de imagine ea, quae per speculum deformatur, expressimus. Principalis namque bonitas sine dubio, ex qua Filius natus: qui per omnia imago est Patris, procul dubio etiam bonitatis ejus convenienter imago dicetur. Non enim alia aliqua secunda bonitas existit in Filio praeter eam, quae est in Patre. Unde et recte ipse Salvator in Evangelio dicit: *nemo bonus, nisi unus Deus Pater:* quo per hoc intelligatur, Filium non esse alterius bonitatis; sed illius solius, quae in Patre est: cujus recte imago appellatur; quia neque aliunde est, nisi ex ipsa principali bonitate: ne altera bonitas, quam ea, quae in Patre est, videatur in Filio. Neque aliqua dissimilitudo, aut distantia bonitatis in Filio est. »

Auctor vero Epistolae secundum graecum textum diversimode Origenis mentem explicans scribit: « Ita etiam censeo de Salvatore pulchre dici posse, esse quidem illum Dei bonitatis imaginem, non autem bonitatem ipsam; fortasse etiam Filium bonum, sed non simpliciter bonum. Et quemadmodum Dei invisibilis est imago, et propterea Deus; non tamen is, de quo Christus ipse ait: *ut cognoscant te solum verum Deum;* ita bonitatis imago, non tamen ut Pater, sine ulla differentia bonus. » Unde Hieronymus in Epistola ad Avitum n. 2. « Deum Patrem omnipotentem, inquit, appellat Origenes bonum et perfectae bonitatis; Filium non esse bonum, sed auram quamdam et imaginem bonitatis, ut non dicatur absolute bonus, sed cum additamento *Pastor bonus* etc. »

His collatis, ubi, inquam, veritas lectionis? Apud Ruffinum ne, an apud Auctorem Epistolae et s. Hieronymum? Contextus itaque, veluti in praecedentibus, prima norma sit, cui innixis de quaestione nobis pronunciandum est. In praemissis de Verbi divini attributis disserens Adamantius, scrutatum subit Salomonis verba ex Sapientiae Libro c. VII. 25. 26. Ubi de Sapientia locutus: *vapor est,* ait, *quidam virtutis Dei, et aporrhoea omnipotentis gloriae purissima, et splendor lucis aeternae, et speculum immaculatum inoperationis, sive virtutis Dei, et imago bonitatis illius.* » In his sane Filii Dei attributis enucleandis totus est Origenes. Et primum quidem de Sapientia ait (n. 10): « Sed et nunc strictim licet, tamen necessarium admonere puto, quoniam sane quaestio nobis de Sapientia agitatur, quemadmodum *aporrhoea* sit Sapientia gloriae omnipotentis purissima, ne videatur alicui anterior esse in Deo *omnipotentis* appellatio nativitate Sapientiae, per quam Pater vocatur, quoniam dicta est *aporrhoea* omnipotentis gloriae purissima esse Sapientia, quae est Filius Dei. »

Postea subdit: « Per Sapientiam enim, quae est Christus, tenet Deus omnium potentatum, non solum dominantis auctoritate, verum etiam subjectorum spontaneo famulatu. Ut autem unam et eamdem omnipotentiam Patris ac Filii esse cognoscas, sicut unus atque idem est cum Patre, Deus et Dominus, audi hoc modo Joannem in Apocalypsi dicentem: *haec dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens*... Et ideo in eo ipso, quo obtinet omnia, gloria sua est; et haec est omnipotentiae purissima et limpidissima gloria; cum ratione et Sapientia, non vi ac necessitate, cuncta subjecta sunt. Purissima vero ac limpidissima gloria Sapientiae satis convenienter dictum est ad distinctionem illius gloriae, quae non pure nec sincere gloria dicitur. Omnis vero natura, quae convertibilis est et commutabilis, etiamsi glorificatur in operibus justitiae, vel sapientiae, per hoc ipsum tamen, quod accidentem habeat justitiam, vel sapientiam, et quod hoc, quod accidit, etiam decidere potest, gloria ejus sincera ac limpidissima esse non potest. Sapientia vero Dei, quae est unigenitus Filius ejus, quoniam in omnibus inconvertibilis est, et incommutabilis,

et substantiale in eo omne bonum est, quod utique mutari atque converti nunquam potest, idcirco pura ejus et sincera gloria praedicatur. »

In his postremis verbis animadvertas quomodo Adamantius justitiam et sapientiam naturae convertibilis secernat a sapientia et justitia Dei Filiique sui; quippe in prima accidens sit, sicuti et decidere possit; in secunda vero, idest in Deo immutabilis sit; ideoque ait gloriam suam limpidissimam esse: quod de ceteris substantiis dici nequit. Insuper addit unigenito Filio Dei omne bonum esse substantiale, proindeque incommutabile, et consequenter ab altero bonitatis genere accidentis sive decidentis naturae convertibilis plane diversum. Quomodo ergo, cum paulo ante affirmaverit, omnem bonitatem Filii esse ei substantialem, et hinc incommutabilem, dein statim ausus sit dicere (n. 13) juxta Epistolam citatam et Hieronymi versionem, *Filium non esse bonum, sed bonitatis auram quamdam, ut non dicatur absolute bonus?* Si antea dixit, omne bonum in Verbo Dei substantiale esse adeo ut nunquam mutari possit, quomodo ipsum non erit ipsa bonitas? Cur non erit Filius bonus uti Pater, ex quo unus est cum Patre per indivisibilem eamdemque naturam, sicuti omnipotens, sapiens, et aeternus est cum Patre? Cernito ergo manifestissimam antilogiam, in quam pari tempore in eodem sermone, ac de eadem re incidit Adamantius juxta Hieronymi interpretationem. Eadem hora firmat et negat in Filio Dei bonitatem substantialem. Profecto dicendum esset aliquantisper insanisse Origenem; donec paulo post in eodem paragrapho ab amentiae somno expergefactus, rursus bonitatem in Verbo Dei non relativam sed absolutam ac Patri connaturalem confessus esset, veluti a principio statuerat.

Si autem Hieronymi et Auctoris Epistolae versione quippe dictionis ordini incongrua, posthabita, alteram Rufffini admiseris, omnia consequenter se habebunt, ac contextui sive sermonis praecedentis, seu sequentis penitus accommodata. Dixi sequentis, et quidem jure; nam sic arcte sequentia verba sicuti et praemissa connectuntur pericopae disputatae, ut, nisi stare velimus Ruffini versioni, fatendum foret, eumdem necessario non quidquam tantummodo emen-

dasse, uti ipse ait in Prologo; verum totum fere caput II. (ubi agit de Christo) refinxisse juxta fidem catholicam ab initio ad finem, ut Origenem sibi in errore consectarium de Filio Patri inferiore in bonitate, corrigeret; aliter ut dixi, secum ipso et in ipsa argumentatione pugnaret Adamantius; quod vix credendum est.

En itaque ad majorem quaestionis perspicuitatem, quae statim subsequuntur huic discussioni, verba Origenis ex Ruffini translatione: « Propter quod non debet velut blasphemiae aliquod genus putari in eo, quod dictum est: *nemo bonus nisi unus, Deus Pater,* ut propterea putetur, vel Christus, vel Spiritus Sanctus negari quod bonus sit: sed, ut superius diximus, principalis bonitas in Deo sentienda est Patre, ex quo vel Filius natus, vel Spiritus Sanctus procedens, sine dubio bonitatis ejus naturam in se refert; quae est in eo fonte, de quo vel natus est Filius, vel procedit Spiritus Sanctus. Jam vero siqua alia bona in Scripturis dicuntur, vel angelus, vel homo, vel servus, vel thesaurus, vel cor bonum, vel arbor bona, haec omnia abusive dicuntur, accidentem non substantialem in se continentia bonitatem. »

Ut autem magis constent, quae Origenes ex Salomonis Scriptura dicit circa Filii Dei eamdem cum Patre bonitatem, tanquam sincerum sui ingenii foetum, nec diversimode a Ruffino in citata pericope recensita sive addita, consulas, quae ipse ideo Libro II. *in Epistolam ad Romanos* n. 7. scribit: « *ego sum via, veritas, et vita.* In Christo autem, qui vita aeterna est, bonorum omnium est plenitudo. » Verumtamen veluti hujus recensionis summa, et praesertim quoad praefata Salomonis verba: *vapor est quidam virtutis Dei.... et imago bonitatis illius,* aptissime pro argumento nostro interest, quod ipse in Commentario Epistolae ad Hebraeos ex Apologetico s. Pamphili c. V. de eisdem verbis eorumque sensu docet: « Oportet autem scire nos, quia per ineffabilia quaedam et secreta, ac recondita, quemdam modum sibi faciens Scriptura sancta, conatur hominibus indicare, et intellectum suggerere subtilem. Vaporis enim nomen inducens, hoc ideo de rebus corporeis assumpsit, ut vel ex parte aliqua intelligere possimus, quomodo Christus, qui est Sapientia, se-

cundum similitudinem ejus vaporis, qui de substantia aliqua corporali procedit, sic etiam ipse, ut quidam vapor, exoritur de virtute ipsius Dei: sic et Sapientia ex eo procedens ex ipsa substantia Dei generatur. Ita nihilominus et secundum similitudinem corporalis *aporrhoeae*, esse dicitur *aporrhoea* gloriae Omnipotentis pura quaedam et sincera. Quae utraeque similitudines manifestissime ostendunt, communionem substantiae esse Filio cum Patre. *Aporrhoea* enim ὁμοούσιος videtur, idest unius substantiae cum illo corpore, ex quo est, vel *aporrhoea*, vel vapor. » E quibus omnibus usque modo concludendum est, textum lectionis Epistolae ad Mennam, nec non codicis graeci, quem prae manibus habuit Hieronymus, non nisi sincerae interpolationem fuisse origenianae lectionis; et ex adverso Ruffini translationem genuinam comprobari: de quo ulterius agendum erit.



CAPUT X.

Pergit argumentum de Verbi Dei Incarnatione et praecipue adversus eos, opinatos Origenem, animae Christi praeexistentiam admisisse.

Incessanter Origenis adversarii undique satagentes ut ipsum carpant, e Libro II. *Periarchon* c. VI. *De Incarnatione Christi*, occasionem repererunt suae fidei insidiandi probitati. Primo, quod ipse animam Christi cum animabus hominum reliquis longe ante corpus a Deo procreatam senserit; secundo quod purum hominem Christum Dei senserit; de quibus singillatim disputandum est. Antea vero quam rei investigationem aggrediamur, ipsius Auctoris fidei professionem in Praefatione obsignatam, praemittendam duco, tanquam normam eorum, quae sibi discutienda proposuit. Inquit enim in n. 4: « Species vero eorum, quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur, istae sunt. Primo quod unus Deus est, qui omnia creavit atque composuit, ... Deinde quia Jesus Christus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est. Qui cum in omnium conditione Patri ministrasset: *per ipsum* enim *facta omnia sunt;* novissimis temporibus seipsum exinaniens, homo factus, incarnatus est cum Deus esset; et homo factus mansit quod erat Deus. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens quod natum ex Virgine et Spiritu Sancto est. Et quoniam hic Jesus Christus natus et passus est in veritate, et non per phantasiam, communem hanc mortem sustinuit etc. » Haec autem Origenis professio non dissimilis probatur ab altera Symboli s. Athanasio inscripti: « Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei filius, Deus et homo est. Deus ex substantia Patris ante secula genitus: et homo est ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens etc. »

Ex his praemissis deinde descendens Origenes ad quaestionem, rei difficultate inspecta uti ingenium humanum ex-

cedentis, ajebat: « Propter quod cum omni metu et reverentia contemplandum est, ut in uno eodemque ita utriusque naturae veritas demonstretur, ut neque aliquid indignum et indecens in divina illa et ineffabili substantia sentiatur; neque rursum, quae gesta sunt, falsis illusa imaginibus existimentur. Quae quidem in aures humanas proferre et sermonibus explicare, longe vires vel meriti nostri vel ingenii ac sermonis excedit. Arbitror autem quia etiam sanctorum Apostolorum supergrediatur mensuram: quinimmo etiam fortassis totius creaturae coelestium virtutum eminentior est sacramenti istius explanatio. De quo nos non temeritate aliqua, sed quoniam ordo loci deposcit, ea magis, quae fides nostra continet, quam quae humanae rationis assertio vindicare solet, quam paucissimis proferemus, suspiciones potius nostras, quam manifestas aliquas affirmationes in medium proferentes. » Et haec ex c. VI. n. 2. ejusdem Libri II.

His interim de suipsius ingenii pro re tam gravi paucitate notatis, ita quaestionem init: « Igitur unigenitus Dei, per quem omnia facta esse visibilia et invisibilia in superioribus sermo disputationis edocuit, secundum Scripturae sententiam et fecit omnia, et quae fecit, diligit. Nam cum invisibilis Dei ipse sit imago invisibilis, participationem sui universis rationalibus creaturis invisibiliter praebuit, ita ut tantum ex eo unusquisque participii sumeret, quanto erga eum dilectionis inhaesisset affectu. » Et haec omnia plane incedunt. Ita tamen non se habent quae sequuntur, ubi dicit: « Verum cum pro arbitrii liberi facultate varietas unumquemque ac diversitas habuisset animorum, ut alius ardentiore, alius tenuiore et exiliore erga auctorem suum amore teneretur, illa anima, de qua dixit Jesus: *quia nemo auferet a me animam meam*, ab initio creaturae et deinceps inseparabiliter ei atque indissociabiliter inhaerens, utpote Sapientiae et Verbo Dei, et veritati et luci verae, et tota totum recipiens, atque in ejus lucem splendoremque ipsa cedens, facta est cum ipso principaliter unus spiritus, sicut et Apostolus etc. » Ex his nimirum adversarii in Origenem surgunt, quasi Christi animam suae incarnationi praeexistentem doceat. Mihi interea, quia de animabus disseram universim

quasi humani corporis conditioni antecedentibus (veluti frustra putarunt nonnulli, hanc Origenem tenuisse sententiam, et hoc in sequentibus) inquirendum est, utrum ex praemissis sicuti ex aliis Auctoris dictis, utrum nempe statui queat, Christi animam ante incarnationis suae tempus conditam esse, ut inde post longum aevi intervallum in Jesu corpus veniret; quod falsum est.

Primum quidem in his: *verum cum pro arbitrii liberi facultate etc.*, amore Jesu Christi erga Deum Patrem suum, collato dilectioni creaturae rationalis erga ipsum, ostendere vult Origenes homines arbitrio proprio usos, ardentiori alios in Deum, alios tenuiori, alteros quam minima charitate agi, adeo ut ob hoc illorum animus plus vel minus divinae imagini communicet: Christum tamen, quamvis in se divinae naturae associasset humanam, nunquam cessisse a dilectione in Deum, nec unquam imminutam fuisse; quum Jesu humanitas totam in se recepisset naturam divinam, sapientiam nempe Dei, veritatem, lucem veram etc. Et id sentire patet in eo sermone Origenem; quin ulterius aliquis, a longe quaerat ibi (quod non est) tam Jesu animi, quam omnium hominum animorum praeexistentiam.

Deinde investigemus quid sibi velit Adamantius in proximis *ab initio creaturae* etc. Si enim ab his vocabulis comprehendere vis mundi creationem; in qua etiam omnium animae conditae sunt, uti placuit ethnicis philosophis, tunc contra te statuo argumentum. Dicit Auctor: illa anima ab initio creaturae seu mundi, et deinceps, inseparabiliter ei, nimirum *ipsi Jesu* inhaerens, nequaquam *Verbo Dei*. De Verbo enim Dei in assumpta carne loquitur, non vero de Verbo Dei ante incarnationem suam. Cum itaque dicit: illa anima ab initio creaturae inseparabiliter ipsi Jesu inhaerens, et deinceps indissociabiliter pariter ei inhaerens; igitur nunquam anima Christi Jesu fuit ab eo separata, neque ideo ab initio mundi; quod est absurdum. Nondum enim Christus in carne venerat.

Si autem verba *ab initio creaturae* aliter interpretari velis, idest ab initio creationis Jesu; seu ab incarnationis suae tempore anima Jesu Verbo Dei, sapientiae suae etc. indissolubili vinculo sociata est; tunc omnis evanescit difficultas;

ac mens Origenis perspicue subit (1). De mirabili namque Dei oeconomia in incarnatione Verbi arguens, dicit Jesu animam divinae naturae sociatam, proindeque luci verae et sapientiae ipsius, factam esse unum spiritum, sic ut nunquam ab ejus amore separari vel decidere posset, ac penitus diverse a ceteris hominibus; alio horum erga Deum dilectione fervente, altero frigescente pro cujusque arbitrii facultate.

Hoc vero ibi sic voluisse Origenem adstruitur ex Commentario *in Epistolam ad Romanos* Libro III. n. 8. ubi verba exponens: *quem proposuit Deus propitiatorium per fidem*, ait: « Sed et hoc ipsum, quod dixit, *proposuit*, magis de anima Jesu quam de deitate ejus dictum sentitur. *Proposuit* enim intelligitur quasi prius posuit, hoc est, priusquam esset. Quod enim est, ponitur; quod nondum est, proponitur. Non ergo convenit de eo, qui semper erat, idest de Verbo Dei, dici quia propositus est: sed de anima ipsius, quae licet inseparabilis sit a Verbo Dei, creata tamen est, et Unigeniti deitate posterior: nec inconvenienter videbitur de ea dictum, quod antequam esset, proposita est et praeordinata, ut esset propitiatorium, etc. » Cum itaque quod non est, proponitur, uti dicit Origenes, ergo non erat anima Christi ante unionem suam cum Verbo; sed tantum, veluti paulo post subdit, proposita erat et praeordinata, ut ipsa esset propitiatorium: et solummodo extitit, quando associata fuit Filio Dei. Insuper considerentur sequentia: *quae* (anima) *licet inseparabilis sit a Verbo Dei, creata tamen est;* unde eruitur, Christi animam non antea extitisse, quam Verbum Dei in utero Virginis carnem assumeret. Dicens namque inseparabilem esse animam Jesu a Verbo Dei (quamvis ista creata sit, et alterum increatum) manifestat nullum fuisse tempus, quo haec anima extitit divisa a Filio Dei, ex sua creatione; nec ideo humanitati ejusdem praeextitit, etsi praeordinata, donec Spiritus Sanctus descendit in Mariam, et ipsa concepit de eodem Christum Dei.

(1) *Creaturae* vocabulum saepe pro *creatione* venit in Scripturis novi Foederis juxta graecam κτίσεως vocem. Conferas II. Petri Epistolam in c. III. 4. et Marcum in c. X. 6. et XIII. 19.

Porro ex sequentibus id amplius eruitur, ubi de duabus in Christo naturis locutus ait n. 3.: « Unde et merito (ipsa anima) pro eo vel quod tota esset in Filio Dei, vel totum in se caperet Filium Dei, etiam ipsa cum ea, quam assumpserat, carne, Dei Filius et Dei Virtus, Christus, et Dei Sapientia appellatur: et rursum Dei Filius, per quem omnia facta sunt, Jesus Christus appellatur et Filius hominis. Nam et Filius Dei mortuus esse dicitur pro ea scilicet natura, quae mortem utique recipere poterat: et Filius hominis appellatur, qui venturus in Dei Patris gloria cum sanctis angelis praedicatur. Et hac de causa per omnem Scripturam tam divina natura humanis vocabulis appellatur, quam humana natura divinae nuncupationis insignibus decoratur.» Et hoc tantummodo intendit Origenes in citata pericope, quin aliquid indicaret de incarnationi divinae praevia Jesu Christi animae existentia.

In haec vero, quae statuimus non facit pro adversariis longa Origenis disceptatio contra Celsum in Libro I. n. 32. 33. ubi speciatim tenent agi de Jesu animae praeexistentia ex Auctoris sensu. Ibi namque Origenes *ad hominem*, uti dicitur, contra eum decertans, qui Jesu mirum ac divinum ortum nequissimis ac turpissimis commentis dedecoravit, confutat ex ipsius philosophia, quam dicit Platonis, animarum corporibus praecedentiam in creatione admittendo, sive ex *metempsychosi* docendo animas post obitum migrare in aliena corpora, ex. g. ignavorum animos in corpora muliebria, homicidarum in ferarum corpora, libidinosorum in suum formas etc. seu aliter explicando hanc animae immissionem in corpora, sive decessum ab uno ad alterum corpus: « Quomodo, inquit Origenes, cogitari potest, Jesum ex adulterio natum tam mirabilia aggredi, tot erudire, et tam multos a vitiorum proluvie revocare? Nonne melius fuisset juxta Pythagoram et Empedoclem eam animam pro meritis suis corpori addictam fuisse non solum perfecto sed et perfectissimo?»

Deinde de vario animarum genere, quibus corpora varia aptantur, ex eadem philosophia disserens, pro varietate tum corporis tum animae naturae, alia alii praestante « quid vetat, addit, dari non posse aliquam animam, quae novum

et insolitum corpus recipiat, habens utique quid commune ceteris hominibus, quo cum his versari possit; ac insuper quidquam etiam excellentius, ut a malitia immunis anima perseverare possit? Quod si quoque teneant, quae dicunt Physiognomici, corpora omnia animae moribus esse accommodata: quare ipsi animae, quae mirabiliter in hac vita peregrinatura erat, et magnalia patratura, corpus fieri oportebat tale, quod, ut opinatur Celsus, ex Pantherae et Virginis adulterio natum fuisset? Sane ex hoc impudico coitu prodiisset potius insanus quispiam, hominum pernicies, intemperantiae et injustitiae reliquorumque vitiorum magister, quam temperantiae, justitiae ceterarumque virtutum doctor. »

Ex his omnibus clare patet, Origenem non ex animi sui sensu Celsi blasphemias confutare; quinimmo ex graecanica philosophia apta quaerit contra eumdem testimonia, ut ipse se suo mucrone configat ethnicorum sapientiae studens; cum hinc ostendat Adamantius, quae contra Jesu portentosam nativitatem inique compegerant Celsus ceterique, mendacia, ne ex communi quidem graecorum philosophia admitti posse. Et tota haec est Origenis argumentatio, quin inde nihil ex sua mente pro hujusmodi manifestet opinionibus, nec circa Jesu animam, neque de ceteris universim animabus juxta vaga gentilium inventa. Falsum igitur est, quod putat Huetius: « ibidem Origenem disserte opinionem suam proponere circa animae Christi praeexistentiam. »

Nihil pariter de eadem re Origeni obest quod scribit Tomo I. *in Joannem* n. 37 cujus sensus ex graeco ita se habet: « Sed et vir, praeter ista, legitur post Joannem venturus, ante ipsum factus, et ante eum existens, ut edoceamur etiam hominem Filii Dei, divinitati ejusdem Dei commixtum, antiquiorem esse nativitate ex Maria: » Quae verba ex theologica discretione unicuique plane obveniunt, quin ulteriore explanatione opus sit.

Similiter dicendum est de testimonio Joannis: *neque enim a memetipso veni, sed ille me misit;* ubi Origenes Tomo XX. in eumdem n. 17. ait: « Nec praetereundus est locus absque indagine de sermone animae: nam fortassis Jesu anima in sua

ipsius existens perfectione in Deo et in plenitudine erat; et inde egressa, quia missa fuerat a Patre, assumpsit corpus ex Maria: aliae vero non sic exierunt a Deo; hoc est, non a Deo missae, neque a divina voluntate praemissae.» Huic doctrinae, subdit Huetius, consectarium est, animam Christi ante corpus illius conditam quoque fuisse. Quod mihi non videtur. Verba namque: *Jesu anima in sua ipsius perfectione existens in Deo et in plenitudine erat*, nullam operationem Dei ab extra seipsum indicant. Nondum ideo creata erat, nec existebat per se anima Jesu a Deo seorsim tanquam ab ipso Deo egressa, uti ceterae creaturae rationales. Cum autem a Deo exisset a Patre missa, tunc eodem tempore corpus a Maria sumpsit. Adjiciens porro: *aliae vero non sic exierunt a Deo; hoc est non a Deo missae, neque a divina voluntate praemissae*, alicui dubio locum cederet, nisi graeca vox προπεμφθεῖσαι aliam significationem quam *praemissae* praeberet. Proprie enim et maxime in Bibliis novi Foederis dictio προπέμπω sibi vult *deducere, aliquem honoris causa comitari, dimittere* etc. Et re quidem vera; Auctor ibi loquitur de missione prophetarum et Apostolorum, qui a Deo vocati, divinoque Spiritu afflati, divina gratia eos comitante, sua fungebantur in gentibus missione, secus ab aliis animabus, quae non exierunt a Deo, idest mandatum ac missionem non acceperunt ab illo, quemadmodum ex Hieremia paulo ante notavit ipse Origenes: *non mittebam prophetas; et ipsi currebant.*

Verum de hac quaestione alibi; nunc ad textum praecipuum Libri II. *De Principiis* c. VI. n. 3. 4. recurrendum est, unde digressi sumus, ubi praeter ea, quae hucusque excussimus, Auctor Epistolae ad Mennam praetextum sumit Origenem reprobandi *quod Deum vocarit purum hominem*. Interea vero in medium proferantur tum Epistolae textus tum alter versionis Ruffini; de quibus deinde circa utriusque genuitatem disceptabitur. Cum itaque antea dixerit Origenes de unione humanitatis cum Verbo Dei, sumpta similitudine a Geneseos verbis: *erunt ambo in carne una, et jam non sunt duo, sed caro una*, addit: « Magis enim Verbum Dei cum anima in carne una esse, quam vir cum uxore putandum est. Sed et unus spiritus esse cum Deo, cui magis convenit, quam

huic animae, quae se ita Deo per dilectionem junxit, ut cum eo unus spiritus merito dicatur? Idcirco (ita Auctor Epistolae) et homo factus est Christus, suo merito hoc sortitus, ut Propheta testatur dicens: dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus tuus oleo laetitiae prae participibus tuis. Decebat enim illum, qui nunquam ab unigenito separatus est, una cum unigenito appellari, et cum eo glorificari. Ungi namque etc. »

Ruffinus autem ex codice suo ita: « Quod autem dilectionis perfectio et meriti affectus sinceritas ei hanc inseparabilem cum Deo fecerit unitatem, ita ut non fortuita fuerit, aut cum personae acceptatione animae ejus assumptio, sed virtutum suarum merito delata, audi Prophetam ad eam dicentem: *dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae participibus tuis*. Dilectionis ergo merito ungitur oleo laetitiae; idest anima Christi cum Verbo Dei (Christus) vel (unum) efficitur. Ungi namque oleo laetitiae, non aliud intelligitur, quam Spiritu Sancto repleri. Quod autem *prae participibus* dixit, indicat quia non gratia Spiritus sicut prophetis ei data est, sed ipsius Verbi Dei in ea substantialis inerat plenitudo, sicut Apostolus dixit: *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* etc. »

Porro totius pericopae sensus prope Ruffini versionem ex praemissis manifesto eruitur, Origenem ostendere Jesu animam Verbo Dei sociatam, non potuisse non Deum diligere. Et quamvis ipsa Christi anima ejusdem naturae ac animarum omnium foret et hinc libero quoque arbitrio ditata: nihilominus, quia in anima Jesu *omnis plenitudo divinitatis habitavit corporaliter,* dilectionis immensitas animae ipsius erga Deum, ab ea omnem conversionis, sive mutationis sensum abstulit. Ac ideo etsi in humanitate tentatus Christus, peccare non potuit. Et hoc est, quod discutit Adamantius tum in iis, quae ibidem explanavit; tum in sequentibus concorditer et sibimetipsi constans sensit ac docuit, veluti cuique legenti patet: proindeque nulli esse dubitandum quin Ruffini interpretatio sibi cohaereat.

Postea attendatur quid sibi velit Origenes juxta Epistolae ad Mennam expositionem; cujus sensus in his verbis in-

stauratur: *Christus idcirco et factus est homo pro suo merito juxta Prophetam* dilexisti justitiam *etc. Et ideo decebat eumdem nunquam ab unigenito separatum, una cum ipso unigenito nuncupari et glorificari.*

Et primum quidem in hoc textu inspice argumenti inversionem adeo, ut quidquid juxta praecedentem discussionem manebat demonstrandum, veluti consequentia positum sit: « Idcirco (legitur in Epistola) et homo factus est Christus, suo merito hoc sortitus etc. » Verumtamen ex praemissis Ruffini verbis, Origenes ostendit in Christo unionem humanitatis cum Verbo Dei tam arcte sociatam in divina dilectione, ut unus spiritus efficeretur; ac ideo subdit, ratum in eo haberi davidicum effatum: *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus* etc. Ex quo apparet, verba: *idcirco et homo factus est Christus* etc. non nisi propheticae sententiae illationem haberi; quae Auctor Epistolae arbitrarie e loco suo transvexit.

Sed cetera transeamus scrutatum in ipso argumento, quae sane difficultatem quamdam gignunt. Inde enim anima Christi videretur non gratuito ad unionem cum Verbo vocata, sed id merito suo assecuta esse: quasi quodam intervallo anima Christi praeiisset unioni suae cum Verbo, seu praeexstitisset incarnationi. Aut dicendum esset animam Christi ex ipsa cum Verbo unione libere egisse adeo ut peccare posset; quod neutiquam admittendum est. Jam superius observatum est, nullum omnino temporis intervallum poni ab Origene inter animae Christi creationem, ejusdemque unionem cum Verbo; neque inde statui posse, Christi animam seorsim a Verbo meritum consecutam, ut cum Filio Dei sociaretur, cum antea non existeret.

Ad hanc vero enucleandam difficultatem, huc revocentur, quae deinde in *Anacephaleosi Periarchon* Libro IV. n. 31. de Trinitatis mysterio, circa idem argumentum exegit, ad illorum tanquam illustrationem, quae in hoc paragrapho fortasse obscurius scripserat. Ibi namque agens de divini Verbi scopo in sua humanitate, inquit: « Filius Dei volens pro salute generis humani apparere hominibus, et inter homines conversari, suscepit non solum corpus humanum, ut

quidam putant, sed et animam, nostrarum quidem animarum similem per naturam, proposito vero et virtute similem sibi, et talem, qualis omnes voluntates et dispensationes Verbi ac Sapientiae indeclinabiliter possit implere. Quod autem habuerit animam, manifestissime in Evangeliis designat ipse Salvator, dicens: *nemo tollit a me animam meam, sed ego ponam eam abs me etc.* » Paulo post jure animam humanam in Verbo Dei decernens aliter egisse ab ea, quae ceteris hominibus inest, de horum animabus ait ex libro Job: *nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus*: « Haec vero anima, quae fuit in Jesu, priusquam sciret malum, elegit bonum: et quia dilexit justitiam, et odit iniquitatem, propterea unxit eam Deus oleo laetitiae prae participibus suis. Oleo ergo laetitiae ungitur, cum Verbo Dei immaculata foederatione conjuncta est; et per hoc sola omnium animarum peccati incapax fuit, quia Filii Dei bene et plene capax fuit; ideoque et unum cum ipso est; atque ejus vocabulis nuncupatur, et Jesus Christus appellatur, per quem omnia facta esse dicuntur. »

In his primum animadvertito, cum ait Origenes animam Jesu variare ab animabus ceterorum: *quia nemo a sorde peccati mundus*, simul animam et corpus complecti, adeo ut ibi homo nequeat seorsim ab anima comprehendi. Et cum ita dicat Auctor ex Scriptura, neminem mundum a sorde, aut asserendum est, cujusque animam a Deo creatam in sordibus fuisse et a praeexistentia sua, et antequam veniret in corpus, quod est absurdum; aut verius tenendum, animas una corporibus inditas, pariter sordibus foedari (praeter Christi animam) a conceptu materno. Ast de his alibi.

Secundo ex verbis: *haec vero anima, quae fuit in Jesu, priusquam sciret malum, elegit bonum*, idest ipso incarnationis momento, nec vero antea, neque multo minus postea, intelligitur bonum elegisse. Et ob hoc antea manifesto dicit, Filium Dei animam et corpus simul suscepisse, animam vero etsi nostrae similem, tamen hujusmodi, quae *voluntates omnes et dispensationes ipsius Verbi Dei posset indeclinabiliter implere*; et idcirco subdit: priusquam sciret malum, elegit bonum: quasi diceret eodem tempore, quo anima sui juris

existens, Verbo Dei sociata est, bonum elegit malumque nescivit, et ob hanc peccati incapacitatem ungitur oleo laetitiae prae ceteris animabus. Si itaque in praefata locutione, cum Origenes ob dilectionis perfectionem, et affectus sinceritatem, neque vero fortuito nec ex personae acceptatione, Christi animam ait fuisse Filio Dei sociatam; id factum esse creditur, ne, admissa anima humana in Jesu, ab eadem videretur ipse sustulisse liberum arbitrium, quod nullimode denegandum erat ipsi animae; ideo ne facultas quidem deneganda in ea bonum et malum eligendi.

Cum autem senserit Adamantius in re satis ardua se versari ob explanationis difficultatem, ab exemplis probare conatur; unde et nos pariter ejusdem mentem explorare debemus: « Tamen (inquit n. 6.) ut absque aliquo praejudicio dicamus, ferri metallum capax est frigoris et caloris. Si ergo massa aliqua ferri semper in igne posita sit, omnibus suis poris, omnibusque venis ignem recipiens, et tota ignis effecta, si neque ignis ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur, nunquidnam dicemus hanc, quae natura quidem ferri massa est, in igne positam et indesinenter ardentem posse frigus aliquando recipere ? » Paucis interjectis, addit: eaque ratione anima Christi, quamvis frigoris capax idest mali recipiendi, ob ardentem tamen in Deum charitatem, in quem tota absorpta est, nunquam peccato cessit; nunquam conversa est ad malitiam. Atque in hujusmodi processu docet ipsam Jesu animam juste egisse, odisse iniquitatem, et inde meritum operum suorum retulisse. Et in hoc sentire et loqui apparet Auctor instar apostolici sermonis ad Hebraeos c. I. 9. et V. 7. cum de Filio Dei ait: « *Thronus tuus Deus in seculum seculi . . . dilexisti justitiam et odisti iniquitatem* etc. *Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam.* » Similiter apud Joannem cc. X. 17. XV. 10. et XVII. 4. : « *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* En Christi meritum apud Patrem ut eum diligeret. Et haec ad eos, qui adversus Origenem clamant ob praesumptam Christi animae praeexistentiam ab eo propugnatam.

CAPUT XI.

Origenis doctrina excutitur circa Verbi divinitatem, ejusque cum Patre consubstantialitatem, intentis praesertim, quae in Evangelio ait Jesus: Pater major me est.

Pergentes in institutum nostrum, comparantes scilicet varias *Periarchon* versiones circa divinitatem Verbi, comperimus, admodum displicuisse Theophilo Alexandrino, Hieronymo, et Auctori Epistolae ad Mennam tanquam dogmati catholico hostile, quod docet Origenes in Libro IV. *De Principiis*, n. 35. ex Hieronymi interpretatione ita sonans: » Si enim Patrem cognoscit Filius, videtur in eo, quod novit Patrem, posse eum comprehendere: ut si dicimus artificis animum artis scire mensuram. Nec dubium, quin, si Pater sit in Filio, et comprehendatur ab eo, in quo est. Sin autem comprehensionem eam dicimus, ut non solum sensu quis et sapientia comprehendat, sed et virtute et potentia cuncta teneat, qui cognovit: non possumus dicere, quod comprehendat Filius Patrem. Pater vero omnia comprehendit. Inter omnia autem et Filius est, ergo et Filium comprehendit. Curiosus lector inquirat, utrum ita a semetipso cognoscatur Pater, quomodo cognoscitur a Filio; sciensque illud, quod scriptum est: *Pater qui misit me, major est*, in omnibus verum esse contendet, ut dicat et in cognitione Filio Patrem esse majorem, dum perfectius et purius a semetipso cognoscitur, quam a Filio. Hinc eruitur, inqniunt, ne perfecte quidem et plene Patrem a Filio nosci, sicuti a seipso noscitur Pater, minoremque esse cognitionem Filii quam Patris etc. » Verba porro Epistolae ad Mennam paulo distant ab eo, quod vertit Hieronymus. Diversimode vero incedit Ruffini translatio, quae totam Hieronymi interpretationem sic breviter comprehendit: « Illa enim natura (Dei) soli sibi cognita est. Solus namque Pater novit Filium; et solus Filius novit Patrem, et solus Spiritus Sanctus perscrutatur etiam alta Dei. » In quibus nihil videtur reprehensione dignum. Verumtamen quaestio praecipua, sicuti de ceteris disputavimus, in dubio versatur, utrum genuina versio Ruffini, an altera Hieronymi tenenda sit.

Contextus sane in quovis sermone certa norma habetur, unde Scriptoris pateat mens et argumenti ratio. Ideoque primum investigetur, quid doceat Origenes in praecedentibus. Auctor itaque in hoc tractatu, quem recapitulationem vocat omnium, quae supra expendit, postquam de Trinitatis mysterio egit, ad mundi creationem descendit, ejusdem ordinem enarrans, quem Deus omnibus creaturis imposuit, dicens: « Post haec jam omnia, quae sunt, a Deo facta esse, et nihil esse, quod factum non sit praeter naturam Patris et Filii et Spiritus Sancti, prout potuimus in superioribus demonstravimus: et quod volens, qui natura bonus est, habere quibus bene faceret, et qui adeptis beneficiis suis laetarentur, fecisset dignas creaturas, idest, quae eum digne capere possent, quos et genuisse se filios dicit. Fecit autem omnia in numero et mensura. Nihil enim Deo vel sine fine, vel sine mensura est. Virtute enim sua omnia comprehendit; et ipse nullius creaturae sensu comprehensus est. Illa enim natura soli sibi cognita est. Solus enim Pater novit Filium, et solus Filius novit Patrem, et solus Spiritus Sanctus perscrutatur etiam alta Dei. Omnis igitur creatura intra certum apud eum numerum, mensuramque distinguitur, idest vel rationalium numerus, vel mensura materiae corporalis etc. »

Sed quid opus erat Origeni huc revocare, quae jam ab initio recapitulationis expenderat singillatim de Patre et Filio et Spiritu Sancto, et rursus disputare circa Filium ceu Patri inferiorem; et Patrem praestare Filio in cognitione definire? quae ceterum minime inter se cohaerent? Dicit Origenes, Deum omnes in se comprehendere creaturas, easque in mensura posuisse, cum ipse tamen omni incomprehensibilis sit creaturae, ac sibi soli naturam suam cognosci; *ex quo solus Pater novit Filium, et solus Filius novit Patrem, et Spiritus Sanctus solus perscrutatur etiam alta Dei.* Quasi diceret Deum a nemine comprehendi posse; verum naturam suam ab se solo cognosci; sive in unitate, sive in Trinitate Personarum concipere velis; una enim et eadem est Sapientia, sicuti est essentia. Si autem juxta Hieronymi versionem, distinctio admittenda sit inter Patris et Filii cognitionem, tunc Filius separatur a Sapientia Patris et inde ab eadem natura

cum eo; quod contrait sermoni sequenti n. 37: « Et cum Deus omnia noverit, et nihil eum rerum intellectualium ex se lateat (solus enim Deus Pater et Unigenitus Filius ejus et Spiritus Sanctus non solum eorum, quae creavit, verum etiam sui scientiam tenet) potest tamen etc. »

Attamen haec magis aliunde explanantur, quo presumptus calamus emendationis Ruffini non pertigit. Homilia XVIII. n. 2. *in Numeros* scribit Origenes: « Quomodo enim non cognovit sensum Dei Unigenitus suus, qui dicit: *nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare?* Quid est aliud scire Patrem, nisi scire et consilium ejus et sensum? Sed et Spiritus Sanctus, qui scrutatur etiam alta Dei, quidni sensum ejus agnoscat? Agnoscit ergo et Filius et Spiritus Sanctus sensum Domini, et ii, quibus voluerit Filius revelare. Quod si agnoscit Filius sensum Dei, est ergo et consiliarius ejus. Sed consiliarius non ita accipiendus est, quasi ignoranti ei, quid agat, consilium det Filius, aut Spiritus Sanctus; sed quod consilii et voluntatis ejus particeps et sciens sit Filius et Spiritus Sanctus. » In his ergo cernito Origenis sagacitatem, ne Filio plus concedat quam Patri, sicuti ne Patri amplius sapientiae et consilii assignet, quam habent Filius et Spiritus Sanctus; sed utpote ex una natura simul consistentibus, neque Pater, ait, minor est Filio in scientia, neque Filius Patri inferior, sicuti nec Spiritus Sanctus. Et ob hoc frequentius Verbum divinum *Sapientia Dei* vocatur *ἀυτοσοφία ipsa Sapientia*, alias *perfecta Sapientia Patris;* quibus nuncupationibus nullum inferioritatis indicium concipitur in Filio Dei relate ad Patrem.

Si vero aliquando videtur Origenes Patris excellentiam supra Filium admittere ob illud potissimum Scripturae testimonium *Pater major me est*, uti docet *in Joannem* Tomo XIII. 25. et XXXII. 18: nihilominus fatendum quoque est alibi his contraria dixisse, aut potius hujus differentiae explanasse sensum. Conferatur Liber VII. *in Epistolam ad Romanos* n. 5. ubi verba diluens: *tunc et ipse Filius subjectus erit ei etc.* scribit: « Et hic enim *subjectus* non quasi inferior dicitur. Quomodo enim inferior dici potest, qui Filius est, et omnia est quae Pater? *Omnia enim*, inquit, *Pa-*

ter, tua mea sunt. Sed in his, quos Patri subdit credentes in se, quoniam in unoquoque eorum se esse dicit, et se in eis esurire, et sitire, et nudum esse, seque pasci in eis et indui profitetur; idcirco et in illis ipse dicitur esse subjectus. Sed haec per excessum quemdam dicta sint. » Ideoque ceterae praefatae nuncupationes pari sensu accipiendae sunt; et non nisi respectu causae, principii, fontis in ordine divinarum Personarum comprehendendae; aliter in illud incurramus absurdum; a quo Origenes ipse se et alios amovet, quicumque de hoc mysterio loqui velint.

Scribit enim in Libro I. *Periarchon* c. II. n. 6. quod jam praemisimus: « Observandum namque est, nequis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsi dipingunt, ut divinam naturam in partes vocent, et Deum Patrem, quantum in se est, dividant; cum hoc de incorporea natura vel leviter suspicari, non solum extremae impietatis sit, verum etiam ultimae insipientiae; nec omnino ad intelligentiam consequens, ut incorporeae naturae substantialis divisio possit intelligi. Magis ergo sicut voluntas procedit e mente, et neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur, aut dividitur, tali quadam specie putandus est Pater genuisse Filium, imaginem scilicet suam; ut sicut ipse invisibilis est per naturam, ita imaginem quoque invisibilem genuerit. »

Demum cunctas has discussiones exornet recens Origenis testimonium editum in Bibliotheca Nova Patrum a Card. Majo Tomo VII. in 4. ex graeco Codice Vaticano, inscripto *Expositio in Proverbia Salomonis*. Ibi c. VIII. n. 86. de Sapientia divina haec notantur: « *Ὀυσία ὀυσα ἡ τοῦ Θεῶυ σοφία, πρὸ αἰώνων γεγένηται, καὶ πρὸ κτίσεως ἀΐδιος ἦν· ὅτε δὲ σχέσιν πρὸς τὰ γεννητὰ ἐδέξατο, τότε ἀρχὴ τῶν ὁδῶν τοῦ Θεῶυ γέγονε τῶν ποιητικῶν καὶ προνοητικῶν· σύζυγος ὄυν ἡ ἀρχὴ τοῖς κτίσμασιν ὡν γέγονεν ἀρχὴ, τουτέστιν ἡ πρὸς τὰ γεννητὰ σχέσις· ἡ δὲ σοφία ἀΐδιος, ὀυσιωδῶς πρὸ αἰώνων παρὰ τῷ Θεῷ ὑπάρχουσα.* i. e. Substantia cum sit Dei Sapientia, ante secula nata est et ante creaturam sempiterna erat. Cum autem relationem erga creaturas admisit, tunc initium viarum Dei facta est, creationis videlicet et providentiae;

consociato nimirum initio cum creaturis, quarum fuit initium: idest relationem erga creaturas habere coepit. Attamen ipsa Sapientia sempiterna est, substantialiter ante secula apud Deum existens. » Paulo post n. 88. subdit, Sapientiam dupliciter intelligi, illam nempe, quae datur viris religiosis: « Pari modo dico intelligi *enhypostaticum* Filium ac Verbum Dei, a cujus Sapientia omnia ex nihilo ad existendum educta fuerant. »

Et haec omnia pro Origenis sinceritate mentis in tam ardua quaestione satisfacere puto; ideo ad pericopem reversis, in cujus versione Hieronymus et Epistola ad Mennam a Ruffino distant, statuendum est, si Ruffini accipiatur versio, omnia in omnibus sibi coalescere. Si autem Hieronymi et alterius admittatur interpretatio, et hinc Origenis sphalma in dogmate de Trinitate; fatendum est nullibi Auctoris nostri librorum, nisi in citato paragrapho, reperiri hujusmodi blasphemiam, qua Scripturae testimonium: *Pater, qui misit me, major me est*, asserebatur *in omnibus esse verum, adeo ut in cognitione Pater et magis, et purius et perfectius cognoscitur a semetipso quam a Filio.* »

Verumtamen circa hoc Joannis testimonium: *Pater qui misit me, major me est*; unde Origenis adversarii mutuati sunt praetextum suos corripiendi sensus, valde novisse interest, quibuscum ideo Auctori tunc dimicandum fuit. Haud latet, inquam, Origenem haereticos expugnantem, vehementer arma sua vertisse contra Valentinianos et Marcionitas, qui de pluribus blasphemantes, *Patrem* asserebant *Filio inferiorem esse*, sive *Filium fortiorem Patre.* Et haec ipsa citat, ac simul confutat adversus Heracleonem Tomo II. n. 8. *in Joannem*: « Jam vero, inquit, et hoc dictum: *omnia per ipsum facta sunt*, privatim, utque secus quam alii, exposuit (Heracleon) dicens, Sermonem sive *Logon* eum esse, qui causam praebuerit Opifici generationis mundi; nec tamen Sermoni *Logo* competere particulam *a quo* vel *ex quo*, sed *per quem* exponens id, quod scriptum est, phrasim esse consuetam. Sed si rerum veritas erat, ut ipse putat, scriptum fuisse oportuit, omnia per Opificem facta fuisse *a Logo*, non vice versa per *Logon* ab Opifice. Et nos quidem cum usi sumus vocula *per*

quem, perinde atque facit consuetudo, non sine teste expositionem dimisimus. At vero ille, praeterquam quod suam opinionem e divinis Scripturis non confirmat, videtur et suspicatus fuisse veritatem; et impudenter illi adversatus dicens: Non enim faciebat ipse *Logos*, tanquam ab alio operante (ut sic intelligeretur vocula *per quem*) sed ipso operante, alius faciebat. Ceterum non praesentis est temporis probare, quod mundi Opifex et fabricator fecerit mundum, non factus minister *Logu*, et ostendere quod *Logos* ut minister Opificis, mundum condiderit. Juxta David enim Prophetam: *Deus dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt.* Mandavit enim ingenitus Deus Primogenito omnis creaturae, et creata sunt, non solum mundus, et quae sunt in illo, verum etiam reliqua omnia etc. »

Ob hoc interim nullum latet, quali sollertia Origenes talia correpturus mendacia, e Scripturis apta colligens testimonia, illud quoque sibi comparasse, quo in Evangelio dicitur Pater major Filio: *Pater, qui misit me, major me est*: quin tamen in eo exponendo, ulla ratione decederet a sensu catholico, ceu postea in Synodo Nicaena definitum est. Seu potius, inquam, adeo se gessit Auctor in convellendis haereticorum falsitatibus, prudenterque cavit, ne ab errore effugiens, in alterum et sane perniciosiorem incideret, divinae nempe Verbi ejusdem cum Patre naturae, aut sapientiae aut potentiae mentitus.

Et re quidem vera, loca perscrutati, ubi is praefata verba Christi: *Pater qui misit me, major me est,* citat, reperimus ea in Libro VIII. n. 14. 15. contra Celsum, christianos criminatum quod Dei Filium supra modum extollerent *summum Deum* appellantes, *Deoque ipso potentiorem, ac supra ipsum Deum Patrem primatum eidem* tradentes. Quamobrem Origenes huic respondens insimulationi, ait: « Volo autem in credentium multitudine esse quosdam, qui diversam ab aliis sententiam sequentes, temere affirment, Salvatorem esse *Summum Deum*. At nos nihil simile, qui credimus dicenti: *Pater qui misit me, major me est.* Quare, quem nunc vocamus Patrem, eum non, ut Celsus calumniatur, Dei Filio subjicimus. » Paulo post: « Nos enim, qui dicimus, e-

tiam mundum hunc sensibilem ejus esse, qui condidit omnia, clare profitemur, Filium non esse potentiorem Patre, sed inferiorem: et id dicimus fidem habentes ei dicenti: *Pater qui misit me, major me est.* Neque quisquam nostrum ita stupidus est, ut dicat Filium hominis esse Dei Dominum. Sed cum spectamus Salvatorem ut Deum, Verbum, Sapientiam, Justitiam, Veritatem, dicimus illum imperium habere in omnia sibi subjecta hoc nomine; non vero etiam in Deum et Patrem qui in ipsum imperium habet.» Item *in Matthaeum* Tractatu XXIX. n. 45. inquit: « Omnibus his peccatis majus est abominatio desolationis, idest verbum, quod in loco Scripturarum sanctarum consistit, iniquitatem in excelsum loquens, et persuadens a Creatore discedere, qui solus et verus est Deus, et credere alteri nescio cui Deo super istum, cui nullus similis est, cum talis noster Salvator dicat: *Pater, qui misit me, major me est.* »

Hinc cernito, quam recte Origenes Christi verba concinnaverit adversus haereticos, ut Personam Patris a Filio distingueret, ac una Filii originem sive hujus generationem aeternam secerneret a Patre ingenito, quin tamen Verbi consubstantialitatem negaret. Praeterea ob hanc nuncupationem illud quoque considerare praestat, Origenis nempe curam, qua Personam Patris a Filio divideret, divina maxime intenta incarnationis Verbi, istiusque missionis inter homines oeconomia; et praesertim ne illis conveniret (quorum meminit in Libro VIII. n. 12 contra Celsum) Patrem et Filium duas esse hypostases (Personas) negantibus.

Ceterum citata Christi verba: *Pater, qui misit me, major me est*, ab Origene eamdem sortiuntur explanationem, quam consecuta sunt ejusdem generis alia: *nemo bonus, nisi unus Deus Pater*: de quibus in Libro I. *Periarchon* agit, inquiens: « Non debere velut blasphemiae aliquod genus putari in eo quod dictum est: *nemo bonus, nisi unus Deus Pater;* ut propterea putetur, vel Christus, vel Spiritus Sanctus negari quod bonus sit. Sed ut superius diximus, principalis bonitas in Deo sentienda est ex Patre, ex quo vel Filius natus, vel Spiritus Sanctus procedens, sine dubio bonitatis ejus naturam in se refert, quae est in eo fonte, de quo vel natus est Filius, vel procedit Spiritus Sanctus. »

Pari jure, inspecta Verbi in carne dispensatione, sumendae sunt aliae quaedam Auctoris dictiones; quibus saepe Filium nuncupat, idest non tantum *Mediatorem*, et *Sacerdotem*, sed et *Dei Ministrum*, et a *Patre secundum*; proindeque nec ideo ipse veluti Christi divinitati adversarius habendus; quamvis nonnulli et quidem immerito de eo existimarint. Ex. g. legitur in Libro II. adversus Celsum n. 9. ubi Origenes judaeis exprobrat infidelitatem, quod Christum Deum negaverint: « Ita secundum nos Verbum Deus et Dei universorum Filius dixit in Jesu: ego sum via, veritas et vita .... Damus igitur judaeis crimini, quod Jesum non existimaverint Deum esse, a prophetis saepius testificatum uti magnam existentem potentiam et Deum, universorum Deum et Patrem. » Alii in his verbis *universorum patrem* ex Codicis varietate additis κατὰ τὸν, interpretati sunt *Filium Dei Patri inferiorem*, vel *secundo loco positum*.

Nihilominus quomodocumque ibi legatur, et interpretes ea verba exposuerint, nil ultra voluit Origenes, nisi quod saepius ex Scripturis tum veteris tum novi foederis instauravit de Christo Filio Dei, qui adeo se Patri inferiorem facit, ut ejusdem Patris mandatum ac voluntatem perficiat. Quem ideo Pater *constituit haeredem universorum; per quem fecit et secula*: quem misit in mundi salutem: qui orat ad Patrem, et cetera hujusmodi. Quibus palam ostendit Filium cum Patre natura quidem unum, ac simul ab eodem Patre constitutum voluntatis suae ministrum; ideoque dici Dei Patris Sacerdotem, Mediatorem, Ministrum; et ob hoc ministerium in assumpta carne, Patri inferiorem nuncupari Filium: *Pater qui misit me, major me est*, veluti ab Ecclesia canitur in Symbolo divo Athanasio inscripto: *minor Patre propter humanitatem*. Necessario enim ex hac missione emanat et qui mittit, et qui mittitur; qui mandat, et qui mandato obsequitur, ceu apud Joannem dicit: *quia ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar.*

Denique si Origenes de Christi Verbi Dei dispensatione inter homines locutus, istas eidem aptaverit nuncupationes et quidem juxta Evangelii locutiones; minime tamen infe-

rendum est, eumdem discrepantiam instituisse inter Patris et Filii naturam aut essentiam; sicuti revera Verbum ipsum distinxit a creaturis rationalibus; etsi hae ab ipso Deo virtute, sanctitate, donisque coelestibus fuerint cumulatae. Et hoc amplissime significavit *in Psalmum* 135. 2. ex verbis: *confitemini Deo Deorum etc.* quae ita exponit: « Deus Deorum est illorum, ad quos sermo Dei factus est secundum Scripturam, quae dicit: *Ego dixi dii estis.* Et *ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*: videlicet secundum magnam erga illos dilectionem et familiaritatem. Daemonum vero Deus est secundum creationem. Apostolus enim ait, *etsi sint dii multi et domini multi* in coelo et in terra: *ἀλλὰ τοὺς λεγομένους μετὰ τὴν Τριάδα θεοὺς, μετουσίᾳ θεότητος ἔιναι τοίουτους· ὁ δὲ σωτὴρ ὀυ κατὰ μετουσίαν, ἀλλὰ κατ ὀυσίαν ἐστὶ θεός* i. e. eos tamen Deos, qui post Trinitatem appellantur, tales esse per divinitatis participationem. Ast Salvator non per participationem, sed secundum essentiam est Deus. »

Praeterea quoad Verbi in carne conversationem, in qua seipsum obtulit Dei Patris *Sacerdotem*, *Mediatorem et Ministrum*, ut Redemptionis perficeret opus in ejusdem Patris obsequium ac ad hominis salutem, consideranda quoque sunt quae opportune in Libro I. *Periarchon* c. II. n. 8. proposuit Origenes, inquiens, Verbum per ipsam sui exinanitionem, formam servi accipiens, plenitudinem tamen deitatis suae demonstrasse. Haec porro eo lubentius edisseram, quo s. Hieronymus offensus sit (et fortasse ob codicis sui falsationem) de his quae Auctor ibidem docuit. Ita namque ex Ruffini Versione scribit: « Ut autem plenius adhuc intelligatur quomodo Salvator figura est substantiae Dei, utamur etiam exemplo, quod quamvis rem non plene, nec proprie significet, de qua agimus, tamen ad hoc solum videatur assumptum, quod exinaniens se Filius, qui erat in forma Dei, per ipsam sui exinanitionem studet nobis deitatis plenitudinem demonstrare. Verbi causa, si facta esset aliqua statua talis, quae magnitudine sui universum orbem terrae teneret; et pro sui immensitate considerari a nullo posset; fieret autem alia statua membrorum habitu ac vultus lineamentis, specie ac materia per omnia similis absque magnitudinis immensitate, pro

eo, ut, qui illam immensam considerari atque intueri non possent, hanc videntes, illam se vidisse confiterentur, pro eo quod omnia membrorum et vultus lineamenta vel ipsam speciem, materiamque similitudine prorsus indiscreta servaret. Tali quadam similitudine exinaniens se Filius Dei de aequalitate Patris, et viam nobis cognitionis ejus ostendens, figura expressa substantiae ejus efficitur: ut qui in magnitudine deitatis suae positam gloriam mirae lucis non poteramus aspicere, per hoc quod nobis splendor efficitur, intuendae lucis divinae viam per splendoris capiamus aspectum. Comparatio sane de statuis, quasi in rebus materialibus posita, ad nihil aliud recipitur, quam ad hoc, quod Filius Dei brevissimae insertus humani corporis formae ex operum et virtutis similitudine, Patris in se immensam ac invisibilem magnitudinem designabat per hoc, quod dicebat ad discipulos suos, quia *qui videt me, videt et Patrem :* et: *ego et Pater unum sumus.* »

« Multum Hieronymo (inquiunt Editores) displicuit haec comparatio, quam inter errores vitandos reponit Epistola ejusdem ad Avitum his verbis: *duarum statuarum majoris et parvulae, unius, quae mundum impleat, et magnitudine sua quodammodo invisibilis sit, et alterius, quae sub oculos cadat, ponit exemplum, Patrem priori, posteriori Filium comparans.* Cruda itaque et indigesta in graeco necesse est, fuerit haec comparatio; sed postea a Ruffino amollita, et ad commodiorem sensum, quibusdam additis, quibusdam dectractis, revocata. »

Et quidem jure Editoribus visa est *cruda et indigesta comparatio,* ceu tradidit, exposuitque Hieronymus in citata Epistola ad Avitum; ac ideo a Ruffino emendatam fuisse putarunt. Attamen num Ruffinus, an potius alii de hac varietate insimulandi sint, hoc erat eis probandum. Patet sane, non nisi sensum praebuisse Hieronymum; ac tam sive ipsum, sive quemvis volueris abbreviatorem sermonis, adeo exposuisse textum Origenis graecum, ut penitus variet ab eo, quem interpretatus est Ruffinus. Ex Hieronymi versione eruitur, duabus statuis uni majori, alteri minori aequiparasse Origenem Patrem et Filium: unde dissimilitudo apparet immensitatis

unius sicuti et magnitudinis a parvitate alterius. Verumtamen si studiose Auctoris contextus investigetur, nec illa eruitur, quam praebet s. Hieronymus, consequentia; nec multo minus probatur, istud asserere potuisse Origenem: aliter extra quaestionem ipse fuisset. Non enim ibi ipse considerat naturam Filii relate ad Patrem; sed Filii divinitatem relate ad humanitatem, quacum se hominibus Verbum praestitit videndum. Ac ideo docet in humanitate Dei Filium (non vero Patrem) se exinanisse, a gloria immensitatis suae veluti descendentem in hunc mundum ita, ut ab hominibus conspici potuisset. Diversimode, si in tota sua immensitate Dei Verbum se exhibuisset in terris, haud potuissent homines oculos in eum intendere, nec ipsius considerare gloriam. Non Patris, dico, deitatem in duarum comparatione statuarum relate ad Filium excutit Origenes. Sed Filii divinitatem in humana carne, servique accepta forma, considerat, qua nobis Verbum ostenderet viam cognitionis divinitatis suae. Ac proinde duarum statuarum, unius majoris, alterius minoris sive parvulae, similitudo non respicit Patris et Filii Personas, nec unius ab altera discrepantiam in essentia divina, sed Verbi divini magnitudinem et immensitatem sub humanitatis forma comprehensi. In qua Sermo Dei carne indutus ac cum hominibus conversatus ac veluti circumscriptus adeo est, ut splendorem suae gloriae intueri possemus, non in tota sua gloria, sed instar splendoris statuae parvae relate ad immensam illam statuam, quae ob hanc gloriae immensitatem considerari nequivisset a nobis.

Praeterea, quanto jure uti genuina tenenda sit Ruffini interpretatio, consentanea nempe Auctoris sensui, textuique conformis ac alia penitus ab ea, quam confinxit Hieronymus ex suo codice falsato, compellare juvat, quae Origenes ipse in Libro VI. 68. Celso respondet interroganti, quomodo Deus cognosci a nobis possit, cum sit magnus et contemplatu difficilis. Ex hoc namque Origenis responso illustratur amplius quod in citata pericope notavit. Inquit enim: « Et quis alius salvam facere et ad summum Deum perducere humanam animam potest, quam Deus Verbum? Qui cum esset in principio apud Deum, propter eos, qui carni agglutinati, immo

caro sunt, factus est caro, ut capiatur ab eis, qui videre ipsum non poterant; quatenus Verbum erat, et apud Deum erat, et Deus erat. Qui voce corporea usus, et ut caro praedicans, eos ad se vocat, qui caro sunt, ut eos primum Verbo, quod caro factum est, conformes reddat, deinde attollat ad videndum ipsum etc. » Demum ut amplius sciamus, quam incongrua sit Hieronymi illatio ex citatis *Periarchon* dictis de Patris a Filio differentia ob immensitatem ac magnitudinem unius seorsim ab altero, praesto sunt, quae adversus ipsum Celsum scribit paulo post n. 69: « At nostra sententia non est, solum rerum omnium Deum ac Patrem esse magnum. Suae enim magnitudinis participem fecit Unigenitum et Primogenitum omnis creaturae; ut, qui imago est invisibilis Dei, is etiam magnitudine, Patris imaginem referret. Fieri enim non poterat, ut pulchra imago esset, et Deo invisibili responderet, quae magnitudinis imaginem non praeberet. »

Simili ratione Heracleonem Valentinianum, asserentem mundi Opificem ministrum Verbi factum esse, audire nolens Origenes, ac ideo ipsum confutans, verbaque sua invertens, tales exprimit de Verbo ipso sensus, unde recentiores offensi sunt. In eodem enim Joannis Commentario Tomo II. n. 18. disputat: « Quia vero lux simpliciter hoc in loco Servator, in ipsius vero Joannis Catholica Epistola, Deus lux esse dicitur, alius quidem existimat, etiam hinc colligi, Patrem a Filii substantia non differre: alter vero et diligentius observarit, et rectius locutus fuerit, dicet, non idem esse *lux*, quae in tenebris luceat, ab illis non apprehensa, et *lux*, in qua haud sint tenebrae. Siquidem ea lux, quae in tenebris lucet, tanquam supervenit tenebris; cumque ab ipsis tenebris patitur persecutionem, et, ut ita dicam, insidiis petitur, non comprehenditur. At lux, in qua nullae sint tenebrae, neque lucet in tenebris, neque ullo modo ab ipsis persecutionem patitur, ut, ceu vincens, declaretur, quod ab ipsis persequentibus tenebris non sit apprehensa. Tertio dicitur haec lux *lux vera*. Qua vero portione Pater veritatis Deus amplior et major est quam veritas. Et Pater cum sit Sapientiae, melior et praestantior est Sapientia, ex hoc superat esse ipsum lucem veram etc. »

Hujuscemodi porro de luce discussio parem cum praecedenti sortitur illustrationem. Ibi enim Origenes adversus Heracleonem instat, ostendens Personam Patris a Verbi distingui Persona, ab ea scilicet, quae in hunc mundum venit a Patre missa ad illam ineffabilem animarum nostrarum salutis oeconomiam, humanitate suscepta. Et per hanc susceptam humanitatem tenebras super se inducens Dei Filius, distinguebatur a luce vera Patris: ut ideo putaretur Filio praestantior Pater, et hinc Filius in hac conditione inferior. Quapropter non videtur Origenes corripiendus, naturam humanam a Verbo assumptam considerans; ac sermonem suum de eo circumscribens tantummodo, quod seipsum exinanivit, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo. Quam servi formam repraesentavit sub tenebrarum symbolo.

Nihilominus paulo post n. 21. Origenes fortasse sentiens, quosdam scandalum pati ex hujusmodi sermone, quaestionem resumit dicens: « Proinde quaeret aliquis. Si de Patre positum est, quod tenebrae nullae sint in eo, quomodo rem eximiam in hoc ipso dicemus esse, cum de Servatore quoque dicatur, quod omnino sit impeccabilis, ita ut dicamus eum esse lucem, in qua nullae sint tenebrae? Ex parte itaque differentiam in superioribus ostendimus. » Quomodo scilicet dicendum sit, tenebras fuisse in Verbo Dei; quales tenebras docet esse carnis peccati assumptionem, seu morbos et infirmitates animae nostrae, ut in harum assumptione damnaret peccatum. Et ob hoc subdit: « Nec vero quis suspicetur, nos haec dicere minus pie colentes Christum Dei. Nam qua ratione solus Pater habet immortalitatem, quia Dominus noster mortem ob amorem erga humanum genus pertulerit; hac ratione Pater solus habet, ut in ipso nullae sint tenebrae: cum Christus, ut homines beneficio afficeret, tenebras nostras in seipsum receperit, ut potentia sua mortem nostram deleret, et expelleret animarum nostrarum tenebras. »

Hanc porro amplius Origenes in Filio Dei consideravit differentiae speciem a Patre, quando Celsus ceterique haeretici Filium Dei Patre fortiorem putantes, ei praebuerunt primatum in regimine rerum. Quapropter in Libro VIII. n. 14. ajebat: « Ille est, quem dicimus esse Filium Dei, Dei

inquam, quem veneramur maxime, ut Celsi verbis utar, et Filium ejus a Patre quam maxime elatum fuisse cognoscimus. Volo autem in credentium multitudine esse quosdam, qui diversam ab aliis sententiam sequentes, temere affirment, Salvatorem esse summum Deum. At nos nihil simile, qui credimus dicenti: *Pater, qui misit me, major me est.* Quare, quem nunc vocamus Patrem, eum non, ut Celsus calumniatur, Dei Filio subjicimus. »

Ceterum de locutione Evangelistae : *Pater, qui misit me, major me est*, qua nonnulli Filium a Patre natura distinctum stolide putarunt, itemque de primatu, quem alii Filio prave supra Patrem adscripserunt ; haec omnia non nisi ab ignorantia manare ait divinae oeconomiae in incarnationis mysterio. In qua Dei Filius a Patre missus in hunc mundum, se se Patris voluntati subjecit, et usque ad mortem se humiliavit, et sic : *Pater, qui misit me, major me est.* Ex adverso vero : *propter quod Deus exaltavit illum*, *et dedit illi nomen, quod est supra omne nomen.* Et: *constituit haeredem universorum*, ut omnia traheret ad seipsum; et in hoc Filius tantummodo primatum habuit super omnes creaturas. Qui vero aliter Scripturae verba acceperunt, terminos praetergressi, in unum vel alterum offenderunt, et in errorem lapsi sunt. Hinc quoque cernito quanta perspicacia et sollertia ejusmodi Joannis testimonium exponendum erat Origeni.



CAPUT XII.

Sequuntur ex Periarchon *mutuae s. Hieronymi et Ruffini obtestationes circa Verbi et Spiritus Sancti divinitatem, et circa unius generationem a Patre et alterius processionem a. Patre et Filio.*

Postea ceteras inquisituri descendamus locutiones diversimode a Ruffino et a Hieronymo translatas; et unde Origenis fides de hoc mysterio periclitatur. Cujus generis est, quae traditur in Prologo Librorum *De Principiis*, ubi summatim descripta sunt ab Auctore, quae deinde speciali studio discutiuntur. Is enim n. 4. postquam de Christo Jesu credenda proposuit ex Apostolis, subdit de Ruffini versione: *tum deinceps honore ac dignitate Patri ac Filio sociatum tradiderunt Spiritum Sanctum*. Ex hac locutione juxta Ruffini versionem, primo intelligito simplicem, sinceram et orthodoxam fidei Origenis professionem de Spiritu Sancto, haud secus ab antecedenti de Patre et Filio, quemadmodum perspicue eruit ab apostolica doctrina. Postea vero subdit: « In hoc non jam manifeste discernitur, utrum natus an innatus, vel Filius etiam Dei ipse habendus sit, nec ne. Sed inquirenda jam ista pro viribus sunt de sacra Scriptura, et sagaci perquisitione investiganda. »

Ex qua locutione primum non nemo capit, Origenem de hac re quaestionem tantummodo indicasse; in qua expendenda, majori studio quam in praecedentibus sibi opus esse sciens, e sacris Scripturis et proprio loco pro viribus suis id gesturum spondet; sicuti revera egit in c. III. 2. ejusdem Libri I. inquiens, Spiritum Sanctum esse, plura statuere testimonia. Ex quibus delegit, quod legitur in Actis Apostolorum, per quorum manuum impositionem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo « adeo ut non aliter, nisi excellentissimae omnium Trinitatis auctoritate, idest Patris et Filii et Spiritus Sancti cognominatione compleatur; et ingenito Deo Patri, et unigenito ejus Filio nomen quoque Spiritus Sancti copuletur. » Et exactis pluribus ex veteris ac novi Foederis

testimoniis, concludit n. 7. « Ex quo manifestissime designatur, quod nulla est in Trinitate discretio; sed hoc quod donum Spiritus dicitur, manifestatur per Filium, et inoperatur per Deum Patrem: *omnia autem operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult.* His igitur de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti protestatis, redeamus etc. » Sed de his superius satis dictum.

Verumtamen non in hoc stat difficultas praecipua. Hic quaeritur, quod valde Hieronymo in Epistola ad Avitum displicuit, Origenem nimirum dixisse: *Christum Filium Dei non natum esse, sed factum*: *Filium Dei creaturam nuncupasse.* Item de Spiritu Sancto, Origenem introducit loquentem: « Tertium dignitate et honore post Patrem et Filium asserit Spiritum Sanctum. De quo quum ignorare se dicit, utrum factus sit, an infectus; in posterioribus quid de eo sentiret, expressit, nihil absque solo Deo Patre infectum esse confirmans. » In quibus verbis infidus probatur textus graecus a Hieronymo versus, et hinc infidelis ejusdem interpretatio; et talis ut Editores cum in ceteris Hieronymi versionem secuti sint, altera Ruffini abjecta, in his vero probata Ruffini interpretatione, Hieronymo exprobrarint, quod in his exponendis se decipi passus sit. Sic enim scribitur in notis Libri I. c. II. n. 6: « Quod vertit Ruffinus *nihil ingenitum, idest innatum*, id Hieronymus reddidit *nihil infectum* in Epistola ad Avitum, ubi ait: *Tertium in dignitate* etc. (siculi paulo ante ex eodem exposui). At bona Hieronymi venia dixerim, decipi se passus est ambiguae vocis ἀγένητον significatione, quae non semper rem infectam exprimit: a γεννάω *gigno* fit γεννητὸς *genitus*: a γίνομαι *sum, existo* fit γενητὸς, hoc est *habens ab aliquo ut sit.*

« Itaque ut sapienter observat Huetius Origenianorum Libro 2. quaest. 2. n. 23. si proprie loqui velimus, Deus Pater est ἀγέννητος et ἀγένητος, quia neque ab ullo genitus est, neque ab ullo habet ut existat. Item Filius est γεννητὸς genitus, nam gignitur a Patre. Est item γενητὸς, nam a Patre sic tanquam a principio habet ut sit. Spiritus vero Sanctus non est γεννητὸς sed γενητὸς. Genitorem enim non habet; sed habet a Patre et Filio ut existat. Ergo cum hoc loco ait Orige-

nes nihil absque Patre esse ἀγένητον, Patrem solum ἀγένητον esse vult, quia solus ab alio non habet ut sit; non vero quia solus infectus et increatus est. Nam et hoc ultimo sensu Filium ἀγένητον idest increatum asserit Libro VI. n. 17. contra Celsum. » Item et in Libro II. c. II. n. 1. *De Principiis*, ubi manifestius sensum suum aperit Origenes de hoc vocabulo scribit: « Hoc in loco quaerere solent quidam, utrum sicut *ingenitum* Filium generat Pater, et Spiritum Sanctum profert, non quasi qui ante non erat, sed quia origo et fons Filii vel Spiritus Sancti Pater est, et nihil in his anterius vel posterius intelligi potest. Hinc liquet a vera Origenis mente aberrasse Hieronymum cum vertit: nihil absque Patre infectum esse. Melius certe Ruffinus: nihil ingenitum idest innatum praeter solum Deum Patrem. »

Quapropter, ut pateat quanto jure a nobis inepta et falsa habenda sit vox latina *factum* vel *infectum* in hujus divini mysterii tractatu, ab ejusdem Origenis constat elocutione. Si enim vocabula non tantum uti in se et per se significant, considerentur; verum et prout ab auctoribus singillatim accipiuntur ac definiuntur, dicendum est, Ruffinum in iis vocabulis graecis, Origenis penitus mentem penetrasse; adeo ut eisdem latinas voces *ingenitum* et *genitum* probe et apte substituerit. Et hoc firmatur ex similitudinibus, quas Auctor suo interposuit argumento. Postquam enim obtestatus est summum impietatis fore, in partes dividere Deum tanquam corpus, cum incorporea sit natura divina, addit: « Magis ergo sicut voluntas procedit a mente, et neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur, aut dividitur; tali quadam specie putandus est Pater genuisse Filium, imaginem scilicet suam; ut, sicut ipse invisibilis est per naturam, ita imaginem quoque invisibilem genuerit. Verbum enim est Filius, et ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. »

Quapropter nisi Hieronymum velis, haud recto sensu vocem ἀγένητον latine exposuisse, ut inde Origenem errantem existimarit; diversimode suspicandum est, falsatum codicem, quem prae manibus habuit s. Doctor, nequaquam lectionem ἀγένητον et γενητὸν, sed alia vocabula graeca, quibus latinus

responderet sensus *facturae* sive *creaturae*. Ex quo amplius sicuti in praecedentibus, de codicis hieronymiani falsatione augeretur suspicio. Quomodocumque tandem sit, mihi satis est, quod parum idoneam ibi repererint Maurini divi Hieronymi interpretationem.

Ceterum hujusmodi graeca vocabula adhibuisse Origenem, illisque rectum sensum, et quidem dogmati catholico convenientem obsignasse, nobis luculentius suffragatur ejusdem Homilia IX. 4. *in Hieremiam;* ubi ab aeterna ac perpetua Verbi divini generatione similitudinem capit justi, qui per singula virtutis opera semper Deo nascitur, sicuti Filius Dei semper a Patre generatur : « Scimus autem, ait, quis nostrum sit Salvator, idest splendor gloriae. Splendor gloriae non semel generatus est, nec generatur; sed quanta est lux effectrix splendoris, tantus generatur splendor gloriae Dei. Salvator noster Sapientia est Dei. Est autem Sapientia splendor lucis aeternae. Eἰ οὖν ὁ σωτὴρ ἀεὶ γεννᾶται, καὶ διὰ τοῦτο λέγει πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γεννᾶ μὲ, ὀυχὶ δὲ, πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γεγέννηκε μὲ, ἀλλὰ, πρὸ πάντων βουνῶν γεννᾶ μὲ, καὶ ἀεὶ γεννᾶται ὁ σωτὴρ ὑπὸ τοῦ πατρὸς. i. e. Si ergo Salvator semper generatur, et ob hoc dicit : *ante autem colles omnes generat me;* non vero (dicit) *ante autem omnes colles generavit me*, sed *ante omnes colles generat me*. Et semper generatur Salvator a Patre : ita et tu si habere potueris spiritum adoptionis, semper generat te in scipso Deus etc. » Videas ergo quantum hic discrepantiae intercedit ab eo, quod exponi existimatur ab Origene in Libris *Periarchon*, tam in verbis quam in sensu. Haec porro Homiliae verba ipse Hieronymus legit et interpretatus est ceu apta ad Filii Dei cum Patre consubstantialitatem firmandam, et aliter penitus a vocabulis *infectum et factum*, quae transtulit ex praefatis libris.

Quanto porro studio ac pro sui ingenii acumine, hoc quamvis sublime, mentisque supra humanae intelligentiam mysterium tractaret Origenes, simul profanas et ineptas effugiens similitudines, atque e divinis Scripturis apta investigans symbola, consulas quae ipse Homilia XIII. n. 4. *in Leviticum* scripsit ex Legis mandato : *de duabus decimis sit panis unus*, mystice haec exponens de pane vero, qui dat vi-

tam mundo : « Haeretici non faciunt, inquit, de duabus decimis unum panem : negant enim creatorem Deum, Patrem Christi esse ; neque vetus et novum Testamentum unum faciunt panem ; nec unum Spiritum in utroque instrumento profitentur. Nos in Lege et Evangeliis unum atque eumdem inesse Sanctum Spiritum dicimus : et isto quoque modo ex duabus decimis unum panem propositionis offerimus. Qui ergo separant Christum a Creatore Deo Patre suo haeretici et judaei, qui solum Patrem recipiunt, et Verbum et Sapientiam ejus Christum non recipiunt, non faciunt ex duabus decimis unum panem. Nos autem mensurae quidem ipsius, idest substantiae nomen vel rationem comprehendere aut invenire non possumus. Confitentes tamen Patrem et Filium, unum facimus panem ex duabus decimis : non ut panis unus ex una decima fiat, et alius ex alia, ut sint ipsae duae decimae separatae, sed sint duae istae decimae una massa, et unus panis. Quomodo duae decimae una massa fit? quia non separo Filium a Patre, nec Patrem a Filio : *qui* enim *vidit me,* inquit, *vidit et Patrem.* Fiunt ergo panes singuli ex duabus decimis, et proponuntur duabus positionibus, idest duobus ordinibus. Si enim una positio fieret, confusus et permixtus esset sermo de Patre ac Filio. Nunc autem unus quidem est panis ; una enim voluntas est, et una substantia : sed duae sunt positiones, idest duae Personarum proprietates. Illum enim Patrem, qui non sit Filius, et hunc Filium dicimus, qui non sit Pater. Et hoc modo duas decimas in uno pane servamus, et duas positiones ante Dominum profitemur. Sed revera magni, ut ita dicam, cujusdam pistoris et docti artificis est, valde diligenter istas servare mensuras, et ita temperare de Patre et Filio sermonem, conjungere ubi oportet, et rursum ubi competit separare ; ut neque duae mensurae aliquando desint : neque unquam nisi unus panis appareat. »

Hi sensus de naturae divinae unitate, deque Personarum distinctione in Patre et Filio ex duabus decimis adeo perspicue ab Origene expositi sunt, ut, admissa differentia relate ad duarum Personarum proprietates, quodvis discrimen simul excludatur inter Patris et Filii essentiam. Ac ideo ni-

hil amplius nec in aeternitate, nec in sapientia, nec in potentia Patri concedendum sit, quod non sit Filio commune, et sic vicissim; nec aliter liceat credere de Filio Patri consubstantiali. Et ob hoc sane Origenes considerans, quibuscum decertandum sibi erat, idest cum judaeis et haereticis, qui solum Deum Patrem admittebant, Verbum ipsius et Sapientiam, Christum Dei negantes, sub duarum decimarum symbolo in unum panem sive massam spiritaliter comprehendens, apertissime alteram Trinitatis hypostasim distinxit, et coram adversariis propugnavit secundum Christi verba: *ego et Pater unum sumus*: nihil uni vel alteri detrahens ob illam ineffabilem essentiae divinae identitatem in utraque Persona.

Deinde enucleandum restat cur Origenes, in praefatione *Periarchon* n. 4. de Trinitate discurrens, postquam ex traditione apostolica credidit, docuitque, Patri ac Filio honore, dignitateque sociatum esse Spiritum Sanctum, addidit: « In hoc non jam manifeste discernitur utrum natus an innatus, vel Filius etiam Dei ipse habendus sit, nec ne. » Quae verba parum adversariis satisfecerunt. Horum ideo verborum sensum perscrutatos haud lateat, in primis Origenem catholicam ex Apostolis tradidisse et exposuisse doctrinam de Spiritu Sancto; eumdem nimirum parem haberi Patri et Filio, hisque sociari honore et dignitate, seu essentia ac natura ipsum Deum et unum cum Patre et Filio ulla absque differentia. Et in his nulla difficultas, sicuti nihil adest reprehensione dignum. Alibi enim, uti antea praefatus sum, talem manifestavit fidem Origenes: « Ipse enim (inquit in Libro VI. Commentariorum *in Epistolam ad Romanos* n. 7.) Spiritus est in Lege, ipse in Evangelio, ipse semper cum Patre et Filio est, et semper est, et erat, et erit sicut Pater et Filius. »

Tantummodo hic disquiri necesse est, cur Origenes postea adjecerit inquiens, non manifesto discerni, utrum natus an innatus, vel Filius etiam Dei ipse Spiritus Sanctus habendus sit nec ne. Quae quidem dicta, cum suae inscitiae exprimant confessionem, nulla reprehensione digna fiunt. Nihilominus ex quo ibi obiter ipsa notaverit, aliunde investigetur hujusmodi dubitationis causa, quae sane minime dogma de divina Trinitate pertingit, sed de emanationis ejusdem a

Patre et Filio ratione: num scilicet natus an innatus habendus sit. Ac interim praemittendum est, testibus Editoribus, verba in pericope citata: *vel Filius etiam Dei ipse habendus sit, nec ne,* desiderari in omnibus editionibus, quae huic precesserunt; quamvis in omnibus manuscriptis reperiantur. Attamen, si veteres Editores ea verba omiserint, non nisi ex codicum, quos consuluerunt, defectu, ea omisisse videntur.

Ceterum ob hanc Maurinorum notationem et amplius cum peregrina appareat haec Origenis elocutio, *num* scilicet *etiam Filius Dei ipse* (Spiritus) *habendus sit nec ne;* ex s. Pamphili Apologetico in c. I. instaurari, ac illustrari posse arbitror textus Origenis genuitatem; atque ostendi, citata verba non esse Origenis ejusdem foetum, sed s. Martyris expositionem, qui haec ad Auctoris mentem explanandam, de suo adjecit: quamvis in Editione Apologetici, textus Origenis extra locum fuerit translatus. Et re quidem vera post verba: *in hoc non jam manifeste discernitur utrum natus sit, an natus* subdit:

« Pamphilus: Qui de nato vel innato requirit (Origenes) sine dubio creaturae in eo nullam habet opinionem, alioquin et hoc adduxisset ad inquisitionem. *Et adjungit.*

« Origenes: Vel Filius etiam ipse Dei habendus sit nec ne. Sed inquirenda jam etc. » Veluti cuique constat, haud satis Pamphili sensus clarescit. Ac ideo aliter disponenda sunt illius verba, potissimum sublatis vocabulis, *et adjungit,* quae, eodem Editore teste, in omnibus manuscriptis non comparent, ac infra ideo transferendum Origenis nomen hoc modo:

« Pamphilus: Qui de nato vel innato requirit, sine dubio creaturae in eo nullam habet opinionem; alioquin et hoc adduxisset (Origenes) ad inquisitionem, num Filius etiam ipse (Spiritus) Dei habendus sit, nec ne » idest natus vel innatus.

« Origenes: Sed inquirenda etc. »

Ab hac itaque emendatione primum, ut vides, sermonis ordo stat, tolliturque obscuritas inde exorta ob confusionem verborum s. Pamphili cum textu origeniano. Secundo probatur, pericopem *vel Filius ipse Dei habendus sit nec ne*, ab Apologetico translatam esse in textum *Periarchon*, quam jure veteres Editores horum librorum omiserunt, quippe codi-

cibus ab ipsis consultis haud inscriptam. Tertio luculentius explanatur quare illud notavit s. Martyr, ac simul quid sibi velit Origenes in eo dubio proponendo: quandoquidem iste, dicit Pamphilus, apostolicam traditionem sectatus rectissime ac praeclarissime sensit de divinitate Verbi, ejusdemque incarnatione, nec non de Spiritus Sancti honore ac dignitate Patri et Filio pari; nisi quod adjecerit, non manifeste discerni *utrum ille Spiritus natus an innatus sit*. Quod tamen ait inquirendum esse pro viribus a sacrae Scripturae testimoniis.

Quapropter paulo post in Libro I. c. III. n. 3. speciali studio de Spiritu Sancto agens, talia loquitur, ut magis pateflat tum Hieronymi illusio, qua putavit Auctorem, Spiritum Sanctum factum esse docuisse, tum dicta verba *vel Filius ipse Dei habendus sit nec ne*, a textu s. Pamphili translata fuisse in textum Origenis contra ipsius mentem. Reapse ita ibidem ait: « Verumtamen usque ad praesens nullum sermonem in Scriptis sanctis invenire potuimus, per quem Spiritus Sanctus factura esse vel creatura diceretur, ne eo quidem modo, quo de Sapientia referre Salomonem supra docuimus, vel quae de Vita, vel Verbo, aliisque appellationibus Filii Dei intelligenda esse tractavimus. » Unde concludas, Auctorem de *nato* et *innato* requirentem, nec ignorantiam ostentare, num Spiritus Sanctus creatura sit et dicatur; neque dubitasse utrum idem Spiritus et ipse Filius Dei nuncupandus sit. Nunquam ergo, subdit Prudentius Maran, ignoravit Origenes, utrum Spiritus Sanctus esset nec ne creatura, veluti minus accurate putavit s. Hieronymus: « Nec multo minus dubitavit, quin Spiritus Sanctus una sit ex tribus divinis Personis, aequalis Patri et Filio; sed cum ejus processio non tam distincte in Scripturis exponi sibi videretur, quam generatio Filii, operam hac in re investiganda insumendam esse ducebat. »

Attamen non desunt in libris Origenis et aliae dictiones, quibus offensi sunt tum veteres tum recentiores, existimantes ipsum haud recta sensisse de divino Spiritu, ac praesertim ob ea, quae varimode, veluti incertus, scripsit in suis tractatibus. Verum in hac quaestione antea novisse juvat: uti de Filio indicatum est quoad diversos ejusdem titulos e Scri-

pluris sancitos, et quorum rationes investigans Origenes, prope divinam Verbi oeconomiam in humanitate sua, singulos suo loco, et tempori et circumstantiis accommodavit, quin tamen ipsius divina essentia imminueretur; ita de Spiritu Sancto varias in eisdem Bibliis seligens praerogativas, singularum quoque scrutatus est causas. Unde factum est, ut ipse quandoque divinum Spiritum supra Filium extolleret, aliquando Filio minorem, alias parem ipsi Filio existimaret. Et hoc, ut dixi, egit consequenter diversis ejusdem Spiritus nuncupationibus, sive muneribus ipsi a prophetis et Apostolis creditis, ut horum omnium consonas reperiret interpretationes, etsi in fide manens, et tenens trium Personarum unitatem sicuti eamdem naturam, sapientiam, aeternitatem etc. Et istud magnopere ob oculos habere juvat in his et aliis cernendis origenianorum Operum sensibus.

Ex. g. Tomo II. n. 6. *in Joannem*, verba illustrans *omnia per ipsum facta sunt*, videretur, inquit, Spiritus Sanctus etiam factus. Et hinc citat duo testimonia, unum ex Isaiae c. 48: *et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus*; et alterum ex Matthaeo: *qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem neque in hoc seculo neque in futuro*. Quae verba pro more suo subtiliter discutiens studet, parem, sinceramque tradere explanationem, adeo ne Spiritus Sanctus Filio inferior videatur, sicuti nec superior: quamvis ex allatis testibus superior tantummodo appareat. Quamobrem ita arguebat: « Habet autem dubitationem, (ex quo *omnia per ipsum facta sunt*, et consequenter Spiritus, cum sit, per Verbum extiterit) quomodo is Spiritus Christo in quibusdam Scripturis anteponatur, cum Christus ipse in Isaia quidem se non solum a Patre sed etiam a Spiritu Sancto missum esse fateatur. Ait enim: *et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus*. In Evangelio autem remissionem promittat peccato, quod in ipsum committitur: pronunciet vero de blasphemia in Sanctum Spiritum, non fore ut pateat non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro ad ejus veniam et remissionem aditus ei, qui in illum blasphemaverit. Et fortasse non propterea ei, qui in Spiritum Sanctum peccaverit non ignoscitur, quod ipse Christo sit honoratior, eique an-

teponatur; sed quod omnia, in quibus est ratio, Christo participant, quibus, cum a peccatis discedant, venia datur: eos autem, qui Sancto Spiritu digni judicati sunt, non consentaneum sit veniam consequi, cum tanto et tali instinctu, et, ut ita dicam, inspiratione in malum iterum relabentes, et consilia Spiritus Sancti, qui eis inest, respuentes. Quod si id quod est apud Isaiam scriptum, ait Servator noster, se a Patre missum esse, et ab ipsius Spiritu, respondendum est etiam hoc loco missum esse Christum a Spiritu, non quod natura differat, sed propter Filii Dei Conservatoris nostri, qui se infra eum minuit in humanitate sumenda, dispensationem. Quod siquis ex eo offenditur, quod in sumenda natura humana infra Spiritus dignitatem, Servatorem imminutum dixerim: hoc ei probandum est ex iis, quae scripta sunt in Pauli ad Hebraeos Epistola, in qua etiam angelis minorem Jesum fuisse ob mortis perpessionem pronunciat etc. »

In his porro, ut patet, consideravit Origenes qua ratione Spiritus Sanctus in Scripturis aliquando dicatur Filio excellentior. Nunc ab eisdem Scripturis ex adverso audias quomodo paulo post n. 12. de Spiritu Sancto loquatur: « Nec inexaminata relinquenda est oratio propter Spiritus Sancti reverentiam: nam quod etiam ipse Spiritus ab illo (Verbo) edoceatur, liquet ex eo, quod Paracleto et Spiritu Sancto dicitur: *de meo accipiet, et annunciabit vobis* etc. » Item Homilia XXII. *in Lucam* scribit: « Quando venit Dominus Jesus, et misit Spiritum Sanctum Vicarium suum. » In quibus apparet Spiritum Sanctum Filio inferiorem constituisse Origenem aliter ab iis, quae antea de ipso notata sunt. Verumtamen haec noluit Auctor significare, dummodo ista iis comparentur, quae docuit in Libro I. *Periarchon* c. III. n. 4: explicans quae ait Christus: « *Cum autem venerit Paraclitus Spiritus Sanctus, ille vos docebit omnia, et commonebit omnia, quae dixi vobis*. Et ita sentiendum est, quod sicut Filius, qui solus cognoscit Patrem, revelat cui vult: ita Spiritus Sanctus, qui solus scrutatur etiam alta Dei, revelat Deum, cui vult. *Spiritus enim ubi vult, spirat*. Neque enim putandum est, quod etiam Spiritus, Filio revelante, cognoscit. Si namque, revelante Filio, cognoscit Patrem Spiritus Sanctus,

ergo ex ignorantia ad scientiam venit. Quod utique et impium pariter et stultum est, Spiritum Sanctum confiteri, et ignorantiam ei adscribere. »

Cum ergo ex praemissis Origenes de Spiritu Sancto locutus, vocabulis et notionibus usus sit, quas Scriptores sacri ex eodem Spiritu Sancto afflati praetulerunt; nec videntur reprobandae, quae ex ipsis locutionibus sibi advenerunt veluti necessariae consequentiae. De reliquo, quemadmodum ex Matthaei verbis: *qui autem blasphemiam dixerit in Spiritum Sanctum etc.* praestantiam quamdam concessit eidem Spiritui supra Filium ex suo loquendi genere et ex subjecta materia petito; ita paulo post dicit, Spiritum Sanctum a Filio edoceri, cum scriptum sit: *de meo accipiet* (Spiritus Sanctus) *et annunciabit vobis*; sicuti et alibi Christi Vicarium vocat Spiritum Sanctum. Quae quidem dicendi formulae ac ceterae hujusmodi, non seorsim explanandae sunt nec judicandae, sed aliis collatae, ut mutuo earum intuitus temperetur, earumque genuina comprehendatur relatio.

Celare autem nolo, in Basilii Operibus occurrere testimonium, ubi s. Doctor reprehendit Adamantium, quasi non recta de Spiritu Sancto sentientem. Sic namque in Tractatu de eo c. 29. scribit: « Jam vero et Origenem multis in locis expositionum, quas *in Psalmos* addidit, deprehendimus cum Sancto Spiritu gloriam deferentem Deo, virum, qui neque omnino sanas habet in omnibus de Spiritu opiniones. Attamen et hic reveritus consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu. Qui quidem in Sexto, ni fallor, Libro *Enarrationum in Evangelium Joannis*, etiam adorandum Spiritum evidenter pronunciat, ita scribens ad verbum: *quoniam aquae lavacrum significat purgationem animae ab omnibus malitiae sordibus ablutae; nihilo tamen minus et per seipsum ei, qui sensum praebet divinitati adorandae Trinitatis per virtutem invocationum, gratiarum principium ac fontem habet.* Atque rursus in Commentariis, quibus exponit *Epistolam ad Romanos*, *sacrae*, inquit, *virtutes capaces sunt Unigeniti et Sancti Spiritus deitatis.* Ad hunc modum opinor, traditionis vis saepe compulit homines, etiam suis ipsorum dogmatibus contradicere. »

Ast ad has augendas Origenis secumetipso contradictiones, uti velit s. Basilius, non desunt alia hujus generis testimonia pro sua in Spiritum Sanctum pietate. In Libro I. *in Epistolam ad Romanos* n. 16. inquit: « Ut enim breviter, et omni in unum collecta definitione dicamus, adorare alium quempiam praeter Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum, impietatis est crimen. » Item in Libro I. *De Principiis* c. III: n. 1. ait: « Ex quibus omnibus dicimus tantae esse auctoritatis et dignitatis substantiam Spiritus Sancti, ut salutaris Baptismus non aliter nisi excellentissimae omnium Trinitatis auctoritate, idest Patris et Filii et Spiritus Sancti cognominatione compleatur; et ingenito Deo Patri, et unigenito ejus Filio nomen quoque Spiritus Sancti copuletur. » Et sic in ceteris pluribus supra allatis testimoniis.

Suspicandum ideo est, cum s. Basilius has antilogias in Scriptis Origenis notaverit de divina Sancti Spiritus Persona, se non ad genuinos Auctoris libros contulisse, sed ad opiniones furtive eidem adscriptas et in vulgus malitiose delatas, deinde a Theophilo et a Hieronymo *in Epistola ad Avitum*, magnopere fidelium auribus praedicatas ad Origenis detrimentum. Non enim, uti supra dixi, fieri videtur, ut tam frequentius Origenes contra se iret in dogmate, quod ab initio, fidei suae fundamentum posuit. Nec proinde s. Basilius videtur testimonia contraria dogmati catholico de Spiritu Sancto, objicere potuisse, nisi quae ab adversariis redacta fuerant sive ob interpretum imperitiam, seu ex falsatione codicum, seu ex libellis editis ab hominum perversorum invidia contra eumdem, ut ait s. Pamphilus, vulgatis per ecclesias, uti verosimillimum est. Quod patentius infra demonstrabitur.

Denique nemo nescit, cum de mysteriis, sive de supranaturalibus agitur, verba semper minus se habere, minus dicere, quam res adeo eximiae postulant. Quapropter si Origenes in similibus tractatibus, penitius studuit tam ardua proprio enucleare sermone, non est nisi temere arguendum, ipsum voluisse praeter catholicum sensum de iis disserere, quum saepe explicitam, sinceramque de Triade sacrosancta emiserit professionem, in essentia trium divinarum Personarum Patris, Filii, et Spiritus Sancti, nihil licere, nec

posse comprehendi corporeum, nec factum, nec in Patre, nec in Filio, neque in Spiritu Sancto; nullum initium praesumi, non solum in Patre, sed nec in Filio neque in Spiritu Sancto; verum aeternum tenendum esse Patrem, eique coaeternum Filium et Spiritum Sanctum, ulla absque divinitatis differentia, nec temporis, nec virtutis; sed omnes tres personas coaeternas sibi et coaequales. Proindeque sapientissime in Libro IV. *in Epistolam ad Romanos* n. 9. ex verbis: *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, propositum firmans inquit: « Nam et ipse Paulus nominat Spiritum charitatis; et Deus charitas dicitur; et Christus Filius charitatis appellatur. Quod si et Spiritus charitatis, et Filius charitatis, et Deus charitas invenitur, certum est, quod ex uno Deitatis Paternae fonte et Filius intelligendus est et Spiritus Sanctus; ex cujus abundantia etc. » Quae omnia instaurantur in Libro I. *Periarchon* c. III. n. 7. dum ait, nihil in Trinitate majus minusve dicendum esse, quum unius divinitatis fons verbo ac ratione sua teneat universa; nullamque ideo esse in Trinitate discretionem: « Sed hoc quod donum Spiritus dicitur, manifestatur per Filium et inoperatur per Deum Patrem: *omnia autem operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult.* In quibus verbis analogiam comprehendere licet formulae deinde in Ecclesia sancitae: *qui a Patre Filioque procedit.* Cum enim ibi dicit Spiritus Sancti donum manifestari per Filium et inoperari per Patrem, Evangelii concordat locutioni: *cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* etc. Quam doctrinam concludit in *Anacephalaeosi* Libri IV. n. 28: « Unum enim atque idem est Spiritus Sancti participium sumere, quod est Patris et Filii: quippe cum una et incorporea natura sit Trinitatis.

Demum siqui Spiritus Sancti processionem a Patre et Filio non animadverterint liquido ab Origene expressam, veluti sequenti aevo in Ecclesia definitum est; sciant et alios Patres de divino Spiritu disserentes, easdem tenuisse formulas, ab ipso Origene adhibitas. Et haec satisfiant.



CAPUT XIII.

Alia discutiuntur Origenis testimonia, in quibus blasphemasse praesumitur adversus Dei Filium.

Post haec rursus obtestationes pergamus investigantes, quibus invicem contenderunt Ruffinus et Hieronymus circa pericopem Libri I. *Periarchon* c. I. n. 8; quam unus corruptam falsatamque tenet, alter genuinum Origenis partum. S. Doctor adversus Joannem Hierosolymitanum n. 7. haec ex origenianis codicibus se legisse fatetur: « Sicut enim incongruum est dicere, quod possit Filius videre Patrem: ita inconveniens est opinari, quod Spiritus Sanctus possit videre Filium. » Haec eadem adversus Ruffinum in Libro II. n. 11. iterat, Origenem increpans, lingua sacrilega blasphemantem *quod Filius Patrem non videat.* Verumtamen, sicuti in praefatis, contextus sit norma principalis discussionis. Ibidem enim Origenis argumentum versatur de invisibilitate Dei, sumpto themate ex verbis Evangelistae: *Deum nemo vidit unquam,* manifeste declarantis: « omnibus qui intelligere possunt, quia nulla natura est, cui visibilis sit Deus: non quasi qui visibilis sit quidem per naturam, et velut fragilioris creaturae evadat atque excedat aspectum; sed quoniam naturaliter videri impossibile est. Quod si requiras a me quid etiam de ipso Unigenito sentiam, *si ne ipsi quidem visibilem dicam naturam Dei,* quae naturaliter invisibilis est, ne tibi statim vel impium videatur esse, vel absurdum: rationem quippe dabimus consequenter. Aliud est videre, aliud cognoscere. Videri et videre corporum res est: cognosci et cognoscere intellectualis naturae est. Quidquid ergo proprium corporum est, hoc nec de Patre est, nec de Filio sentiendum.

« Quod vero ad naturam pertinet deitatis hoc inter Patrem et Filium constat. Denique etiam ipse in Evangelio non dixit, quia nemo vidit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater, sed ait: *nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Ex quo manifeste indicatur, quod quidquid inter naturas corporeas videri et videre dicitur, hoc inter Patrem et Filium cognoscere dicitur et cognosci per

virtutem scientiae, non per fragilitatem visibilitatis. Quia igitur de incorporea natura et invisibili, nec videre proprie dicitur, nec videri, ideoque neque Pater a Filio, neque Filius a Patre videri, in Evangelio dicitur, sed cognosci. »

Et quis in hoc sermone non percipiet Origenis cautionem animique sui modestiam? Adeo enim veritus est, ne quodammodo lectores offenderentur, cum ipse primum dixerit, Dei Patris naturam invisibilem quoque esse Filio suo, proindeque ne impietatis argueretur, statim subdit, se daturum hujus locutionis rationem. Quae tam perspicua est, ut prae solis luce clarescat; et quisquis etiam infimi ingenii comprehendat, cur dixerit ipse: *Filium non videre Patrem.* Cum enim apprime distinxerit visionem a cognitione, statuens *visionem* proprie dici de natura corporea, et *cognitionem* de incorporea, omnis tollitur difficultas, ac dissipatur scandalum. Quapropter quod ex codice suo graeco transtulit Hieronymus, ex glossa cujusdam malae fidei arcessitum jure creditur in textum Origenis, qui verba: *quod si requires a me quid etiam de ipso Unigenito sentiam, si ne ipsi quidem visibilem dicam naturam Dei etc.* falsavit sic interpretatus: *sicut enim incongruum est dicere quod possit Filius videre Patrem; ita inconveniens est opinari, quod Spiritus Sanctus possit videre Filium.* Quae cum penitus e contextu abhorreant, manifeste indicant, ipsa studiose abstracta fuisse a reliquo sermonis ordine (unde genuinus hujus patet sensus) et vulgo tradita in Auctoris ignominiam.

Et profecto, hac intenta varietate in graecis codicibus Hieronymi et Ruffini, valde notatu congruum illud est, quod scribit jure Ruffinus ipse in Libro I. *Invectivarum* n. 16. 17.: « Istud caput (idest verba Origenis citata) inquit, quod isti, quod ad insidiandum mihi de Oriente transmissi sunt, non solum perversa intelligentia, verum etiam verborum adulterio conati sunt infamare... Sed nunc ausculta (loquitur ad Apronianum) quid faciunt, et flagitii eorum require, si ullum praecessit exemplum. In eo loco, ubi scriptum erat: *quod si requiris a me, quid etiam de ipso Unigenito sentiam, si ne ipsi (Unigenito) quidem invisibilem dicam naturam Dei, qui naturaliter invisibilis est, non tibi statim vel impium videatur esse,*

vel absurdum, rationem quippe dabimus consequenter: pro eo quod nos scripsimus: *rationem quippe dabimus consequenter:* illi scripserunt: *non tibi statim impium vel absurdum videatur esse, quia sicut Patrem non videt Filius, ita nec Spiritus Sanctus Filium videt.* »

In his obtestatur Ruffinus (siquidem imputabatur, talia inveniri in sua versione) illos, qui sua exemplaria ad integrum emendata servabant: « *Quia* scilicet *sicut Filius non videt Patrem, ita nec Spiritus Sanctus Filium videt*, illud est, quod ego non solum unquam non scripsi; sed e contrario, quia ille (Hieronymus) falsarit, indico: Siquis negat, quod non ita videt Filius Patrem, sicut Pater Filium; et non ita videt Spiritus Sanctus Patrem et Filium, sicut videt Pater Filium et Spiritum Sanctum, anathema sit. Memini sane (n. 18.) quod aliquis eorum, cum argueretur falsasse haec, respondit in graeco ita haberi, me autem in latino immutare voluisse. In quo omitto illud exequi, *quia nec quidem verum dicunt.* Sed tamen ponamus, quia sic est in graeco; et ego in latino hoc non scripseram..... Et paulo post: Quatuor Libri sunt isti, quos interpretatus sum: in quibus de Trinitate sparsim per singulas pene paginas disputatur. Relegantur universa, si unquam talis aliquis de Trinitate inventus fuerit in interpretatione nostra sensus, qualem in isto capite calumniantur; tunc demum credatur, etiam hoc in eo sensu, quo isti confingunt, esse prolatum. Si vero per omne librorum corpus nusquam sit illa differentia Trinitatis, nonne vesanum stultumque pariter commentum est dicere, quod uno solo capite haeresis confirmata est ab eo, qui eam mille capitibus expugnaverit? »

Ex his patentibus Ruffini obtestationibus, quibus non tam suam erga fidem catholicam de Trinitate reverentiam profitetur, sed et Origenem eamdem profiteri contendit coram suis adversariis, consequitur primum, ipsum Ruffinum nec suae versioni inseruisse verba: *sicut Filius Patrem non videt etc.* sed alium exemplaria versionis suae falsasse: Quod sane indicat, graecos *De Principiis* codices, quos prae manibus habuit, ea verba non praeferre. Et quamvis in ea quaestione alter eorum instaret, in graeco ita se habere, ut in-

de Ruffinum culparet falsationis, restitit Ruffinus dicens, *non ita se habere, nec verum ipsos dicere*. Quod jure varietatem ostendit codicibus graecis Ruffini et Hieronymi intercedentem; et insuper falsata esse manuscripta, quae Hieronymus objiciebat Ruffino; sicuti iste novissimus amplissime probat ex aperta antilogia hujus peregrini dictati, cum omnibus tractatibus, ubi de Trinitatis mysterio egit Origenes. Et si de his testem cupias, oculos converte ad Tomum XX. n. 7. *in Joannem*, ubi Christus ait: *ego quae vidi apud Patrem, loquor* etc. unde Origenes quosdam homines cum asserit, ab initio factos esse Filii Dei spectatores: « Ita Servatorem dicemus etiam ipsummet αὐτόπτην spectatorem esse eorum, quae sunt apud Patrem: et hanc etiam ob causam dictum fuisse: *nemo agnovit Patrem nisi Filius:* cum homines, quibus Filius revelat non sint *autoptae*, idest per se spectatores. Ac etiam praesens contextus: *ego quae vidi apud Patrem, loquor*, palam declarat Salvatorem *autoptam* esse eorum, quae sunt in Patre. » Praeterea si Ruffino objecta a Hieronymo, cum praecedentibus conferantur, idem contradictionis genus inde erues. Quare mutilatos, seu interpolatos fuisse calamo infido hos *De Principiis* codices, quibus ipse usus est Hieronymus, manifestum fiet, manente tamen codicum graecorum integritate, quos secum habuit Ruffinus. De quo alibi disputabitur.

Alterum de hujusmodi interpolationibus, quibus codices Hieronymi a manu prava corrupti, scatebant, et unde ecclesia occidentalis admodum offensa est, virique innoxii fama periit, ac una cum eo illorum quoque nomen, Origenis partes sectantium, exemplum nobis praebetur paulo post ex c. II. Libri I. n. 6. in quo Auctor apostolica dicta ad Colossenses *qui est imago Dei invisibilis*, explanat. Ea namque ab eo excussa sic traduntur a Ruffino: « Imago est ergo invisibilis Dei Patris Salvator noster: quantum ad nos, quibus revelat Patrem, imago est, per quam cognoscimus Patrem, quem nemo alius novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare. »

Theophilus vero et Hieronymus diversimode interpretati sunt. Iste in Epistola ad Avitum ait docere Origenem: « Filium, qui sit imago invisibilis Patris, comparatum Patri, non

esse veritatem: apud nos autem, qui Dei omnipotentis non possumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri: ut majestas ac magnitudo majoris quodammodo circumscripta sentiatur in Filio; Deum Patrem esse lumen incomprehensibile: Christum collatione Patris splendorem esse perparvum, qui apud nos pro imbecillitate nostra magnum esse videatur. » Alter vero, idest Theophilus apud Hieronymum Epistola 92. 2. vertit: *Quod Filius nobis comparatus, sit veritas, Patri conlatus, mendacium.* Rursus: *quantum differt Paulus et Petrus a Salvatore, tanto Salvator minor est Patre.*

Inspice calumniam, mirare versionis falsitatem: attendito paulisper, si unquam fieri potuerit, talia edidisse Originem. Et si revera ipse ea putaverit et dixerit, delirum existimes necesse est. Paulo ante enim prorsus contraria docuit. Et siquando eveniat, ut quis in pluribus excutiendis erret, seu varia et contraria quoque loquatur; impossibile tamen est, virum in eadem argumentatione, ac de ipso subjecto, sibi in suo sensu adversari. Prius considera, quae ex Bibliotheca Gallandiana *excerpta in Psalmum* 23. n. 10. ait: *quis est iste rex gloriae: Dominus virtutum:* « Quod hic dicitur nunc, omnipotentem ostendit Salvatorem: *sic dicit Dominus omnipotens: Pone gloriam, misit me ad te.* Cum enim omnipotens sit Pater, Υἱὸν ἀπέστειλε Παντοκράτορα Filium misit Omnipotentem. Joannes quoque in Apocalypsi ait: *haec dicit testis fidelis et verax, qui fuit, et qui est, et qui veniet, περὶ τοῦ Σωτῆρος ὁμολογουμένως εἰπών*, de Salvatore sine controversia loquens. »

Deinde in propositum reversus, considera, quomodo caveat Origenes Filium separare a Patre, cum sint in natura unus; ideoque scribit: « Observandum namque est, nequis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt, ut divinam naturam in partes vocent, et Deum Patrem quantum in se est, dividant; cum hoc de incorporea natura vel leviter suspicari, non solum extremae impietatis sit, verum etiam ultimae insipientiae; nec omnino ad intelligentiam consequens, ut incorporeae naturae substantialis divisio possit intelligi. Magis ergo sicut voluntas procedit e mente, et neque partem aliquam mentis secat,

neque ab ea separatur, aut dividitur: tali quadam specie putandus est Pater Filium genuisse imaginem scilicet suam; ut sicut ipse invisibilis est per naturam, ita imaginem quoque genuerit invisibilem. Verbum enim est Filius, et ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. Sapientia est; et in Sapientia nihil corporeum suspicandum est. Lumen est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed nihil habet commune ad solis hujus lumen. Imago ergo (concludit argumentum) invisibilis Dei Patris Salvator noster: quantum ipsum quidem Patrem, veritas; quantum autem ad nos, quibus revelat Patrem, imago est, per quam cognoscimus Patrem, quem nemo alius novit nisi Filius, *et cui voluerit Filius revelare.* Revelat autem per hoc, quod ipse intelligitur: a quo ipse enim fuerit intellectus, consequenter intelligitur et Pater secundum hoc quod ipse dixit: *qui me vidit, vidit et Patrem.* »

Hac posita declaratione, quisquis judex esto, num Origenes, quae commentati sunt Theophilus et Hieronymus excogitare potuerit, cum manifesto praecedentibus obstent. Quinimmo ibi Auctorem ideo patet eam statuisse distinctionem de Deo, ejusque imagine, ne forte aliquis ex hoc imaginis vocabulo, Filium et Patrem in essentia unum divideret in partes; Filiique consubstantialitatem cum Patre, dirimeret. Ceterum quae Hieronymus tradidit, si attente legantur, non nisi totius paragraphi succinctam continent censuram, ubi omnia confusa et falsata descripta sunt; et ubi revera *veritas imaginaria et mendacium* reperiuntur; quae ipse et Theophilus cum eo, Origeni inscripsere. Quaeque tandem non super hos quidem, sed supra falsatores librorum ejusdem mandanda sunt: et a quibus codices interpolati in incautas eorum, idest Theophili et Hieronymi manus pervenerunt.

Quod autem dicitur de codicibus *Periarchon*, quos mutilatos legit Hieronymus, dicendum est de quodam Origenis Dialogo cum Candido valentiniano: in quo ejusdem generis blasphemia apparet adversus Filii divinitatem, ac ipsi credita Origeni: quamque ideo s. Doctor objecit Ruffino in Libro II. n. 19. Sic enim scribit Hieronymus: « Habetur Dialogus apud Graecos, Origenis et Candidi valentinianae Haereseos defenso-

ris: in quo duos andabatas digladiantes inter se spectasse me fateor. Dicit Candidus Filium de Patris esse substantia, errans in eo, quod προβολὴν idest *prolationem* asserit. E regione Origenes juxta Arium et Eunomium repugnat, eum vel prolatum esse, vel natum, ne Deus Pater dividatur in partes: sed dicit sublimem et excellentissimam creaturam voluntate Patris extitisse, sicut et ceteras creaturas. »

Profecto si genuini haberentur hi sensus, Origenes jure *Arii Pater* vocaretur, ac impius una cum eo, damnatusque. Verumtamen valde de his ambigendum est. Et primo quidem notandum, Hieronymum non verba integra Origenis protulisse, sed sensum tantummodo, ac sensum quidem minime exprimentem ipsius fidem, sed haereticam pravitatem, a qua penitus abhorruit vir: ac ideo amandandam inter ceteras commentitias insimulationes contra eumdem congestas. Certe Origenes repugnavit, Filium dicere *prolationem ac natum* ne Deus divideretur in partes juxta quorumdam somnia. Non vero repugnavit, Filium dicere *prolationem* aut *natum* ex Patre ab aeterno genitum. Quinimmo ubique ac perpetuo hoc credidit, firmavitque prope catholicam doctrinam, asserens nunquam fuisse tempus, quo Filius non esset, proindeque nullimode confundendum esse cum ceteris creaturis.

Et re quidem vera, quomodo statui potest, talia blasphemasse de Filio Origenem, ut ipsum faceret Dei opus a Patre diversum sicuti ceteras creaturas, quando teste s. Pamphilo, in Libro I. c. II. *Periarchon* his sensibus adversatur, eosque confutat, qui taliter cogitant de Dei Filio? « Sempiternum, ait, vel aeternum proprie dicitur, quod neque initium, ut esset, habuit, neque cessare unquam potest esse, quod est. Hoc autem designatur apud Joannem cum dicit: *quoniam Deus lux est.* Splendor autem lucis ejus, Sapientia sua est, non solum secundum quod lux est, sed et secundum quod sempiterna lux est, ita ut aeternus et aeternitatis splendor sit Sapientia sua. Quod si integre intelligatur, manifeste declarat, quia subsistentia Filii ab ipso Patre descendit, sed non temporaliter, neque ab ullo alio initio, nisi, ut diximus, ab ipso Deo. » Et cur nam insuper talia ibi blasphemasse potuerit Origenes, inquiens, *Dei Filium sublimissimam esse*

creaturam, Patrisque voluntate extitisse veluti ceteras creaturas, quando in Libro eodem c. II. n. 2. ait: « Quomodo autem extra hujus Sapientiae generationem fuisse aliquando Deum, vel ad punctum momenti alicujus, quis potest sentire vel credere, qui tamen pium aliquid de Deo intelligere noverit, vel sentire? Aut enim non potuisse Deum dicet generare Sapientiam, antequam generaret, ut eam, quae ante non erat, postea genuerit ut esset: aut potuisse quidem et (quod dici de Deo nefas est) noluisse generare, quod utrumque et absurdum esse et impium omnibus patet. Idest, ut aut ex eo, quod non potuit Deus, proficeret ut posset; aut cum posset, dissimularet ac differret generare Sapientiam. »

Et in hoc loco mirare Diodori stoliditatem Origenem carpentis, quod Geneseos verba *fiat lux*, Filium Dei interpretatus sit: unde concludi, ait, post coelum et terram, abyssum etc. factum fuisse Verbum Dei. Quomodo vero potuerit istud de Origene somniare Diodorum nescio. Et ex adverso quomodo potuerit Origenes nisi delirans, verba *fiat lux*, exponere de Filio Dei? cum paulo ante eo ipso sermone Deum dicit in Verbo suo idest in Salvatore Jesu coelum et terram et omnia quae in eis sunt, fecisse? Quod quidem amplius contra Celsum Libro VI. 60. ex verbis: *ipse dixit et facta sunt* confirmat: « Patrem Verbi, ait, esse primum conditorem, eo quod Verbo suo Filio mandavit, ut mundum faceret: quod autem prima die lucem, secunda firmamentum creaverit etc. » Si Pater Verbo Filio suo mandavit ut faceret lucem, quomodo lux ista vocabitur Filius? Ita namque sequeretur, Patrem Filio mandasse, ut crearet coelum et terram et postea crearet seipsum. Confer Homiliam I. *in Genesim*.

Quamvis autem hucusque fieri non posse ostendimus, Origenem talia scripto mandasse; valde tamen fontem juvat investigare interpolationis; unde scilicet falsator praetextum tulerit Origenis sensum pervertendi, adeo ut ipse crederetur auctor hujus blasphemiae. Ac interim accurate sua scripta perscrutati, reperimus verba: *repugnat eum vel prolatum esse vel natum, ne Deus Pater dividatur in partes*, descripta fuisse a Libro I. *Periarchon* c. II. n. 6. ubi haec leguntur: « Observandum namque est, nequis incurrat in illas absur-

das fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt, ut divinam naturam in partes vocent, et Deum Patrem quantum in se est, dividant etc. » Quae verba aliud quidem sonant ibi apud Origenem, quam putavit quisquis ea transtulerit in hunc Dialogum. Et contextus hoc probat. Hic namque Origenes explicans cur Sapientia, idest Filius Dei vocetur imago invisibilis Dei Patris, inquit: « Si enim omnia, quae facit Pater, haec et Filius facit similiter in eo, quod omnia ita facit Filius sicut Pater, imago Patris in Filio deformatur, qui utique natus ex eo est velut quaedam voluntas ejus ex mente procedens. Et ideo ego arbitror, quod sufficere debeat voluntas Patris ad subsistendum hoc, quod vult Pater. Volens enim, non alia utitur via, nisi quae consilio voluntatis profertur. Ita ergo et Filii subsistentia generatur ab eo. Quod necesse est in primis suscipi ab his, qui nihil ingenitum, idest innatum praeter solum Deum fatentur. Observandum namque est, nequis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt, ut divinam naturam in partes vocent, et Deum Patrem quantum in se est, dividant; cum hoc de incorporea natura vel leviter suspicari, non solum extremae impietatis est, verum etiam ultimae insipientiae: nec omnino ad intelligentiam consequens, ut incorporeae naturae substantialis divisio possit intelligi. » Hinc inspice qualiter in hoc sermone distet Origenes ab eo, quod legitur in Dialogo citato, ita ut dicas, alium fuisse sensum illius, qui loquitur ibidem, ab illo, qui comprehenditur in hoc libro: et hinc deducas, alium fuisse, qui scripsit in Dialogo cum Candido, et alterum, qui docuit in *Periarchon*. Non enim Origenes repugnavit *prolationi* sive *nativitati* Filii a Patre, quam perpetuo tenuit secundum Fidei nicaenae Symbolum; sed absurdas eorum fabulas damnat, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt, ut divinam naturam in partes vocent; et Deum Patrem, quantum in se est, dividant. Quae divisio, subdit, in natura incorporea summam indicat impietatem sicuti et insipientiam. Ideoque ut antilogiam in Origene effugias, tibi necessario in Dialogo admittenda est genuini sensus falsatio.

Praeterea quod in ipso Dialogo adjicit Hieronymus ex ipsius Origenis ore asserens, *excellentissimam creaturam voluntate Patris extitisse Filium*, hoc pariter ex eodem *Periarchon* libro et capite desumptum conjicitur; uti et ipsius sensum interpolatum fuisse probatur, ut talis erueretur impia consequentia de Verbi Dei creatione et initio veluti ceterarum creaturarum. Sic namque pergens ibi Auctor in idem argumentum, explicat quid sit voluntas Patris in generatione Filii: « Magis ergo sicut voluntas procedit e mente, et neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur, aut dividitur; tali quadam specie putandus est Pater Filium genuisse, imaginem scilicet suam, ut sicut ipse invisibilis est per naturam, ita imaginem quoque invisibilem genuerit. » Quae omnia praeclarissime illustrat in Libro IV. ejusdem Operis n. 28. dicens: « Non enim dicimus, sicuti haeretici putant, partem aliquam substantiae Dei in Filium versam, aut ex nullis substantibus Filium procreatum a Patre, idest extra substantiam suam, ut fuerit aliquando quando non fuerit; sed abscisso omni sensu corporeo, ex invisibili et incorporeo Verbum et Sapientiam genitam dicimus absque ulla corporali passione, veluti, si voluntas procedat e mente. »

Similiter in iis, quae ex relatione Hieronymi inquit Candidus, *Filium nempe de Patris esse substantia, errans in eo. quod prolationem asserit.* Hoc porro ne verum quidem in omnibus est. Nam valentiniani, quos saepe confutat Origenes in Tomo I. Commentariorum *in Joannem* n. 23. existimabant Filium Dei paternam prolationem esse tanquam in syllabis positam: « Et ideo, inquit hypostasin et subsistentiam illi, si accurate ipsos interrogemus, non tribuunt; neque essentiam ejus explanant; nos nunquam dicimus talem vel talem, sed quomodocumque essentiam. » In quo testimonio potiori probatione munitur rectus Origenis sensus, falsumque probatur quod enarrat Hieronymus in praefato Dialogo. Haud errat Candidus, quod Filium dicit *prolationem*: errat negans Filii hypostasin seu subsistentiam. Quamobrem fides amplius sincera Origenis rata habetur circa Filii a Patre generationem, verum aliter ab illo, quod praetendebant valentiniani: istis in syllaba, illo in hypostasi Verbi divinam nativitatem propugnantibus.

Verum non nemo adversus nos exurgens, gratis asseri dicet, Hieronymum scilicet Dialogum consuluisse falsatum potiusquam sincerum Origenis Opus; nisi characteres interpolationis designentur, aut ni testes adducantur, reapse talem subiisse sortem Auctoris disputationem cum Candido valentiniano. Huic respondens, etsi e pluribus argumentis validisque ipsius Origenis obtestationibus pro sua orthodoxia erga Filii divinitatem putarem satis a me esse factum: tamen et in hoc suo obsequar studio. Superius actum est de Litteris, quas ideo ad amicos alexandrinos misit, potissimum questus de interpretationibus falsis, quibus sermonum suorum sensum adulterarunt nonnulli; ac ubi specialim reperitur quantum ad hostes sufficiat refellendos, qui pro ipsius damnatione contendunt.

In his sane Litteris (sicuti et aliunde) vestigia praeclara dignoscuntur, unde suspicandum sit, Dialogum in quaestione revera fuisse falsatum. Ait enim: « Quidam auctor haereseos, cum sub praesentia multorum habita inter nos fuisset disputatio, et descripta; accipiens ab his, qui descripserant codicem, quae voluit addidit, et quae voluit abstulit; et quod ei visum est, permutavit, circumferens tanquam ex nomine nostro, insultans, et ostendens ea, quae ipse conscripsit. Pro quibus indignantes fratres etc. » Cum autem adjecerit se ideo convenisse falsatorem, et hunc confessum esse, se hoc fecisse, ut magis disputationem ornaret, concludit: « Nam sicut illi (marcionitae) subverterunt Scripturarum veritatem: sic et iste, sublatis, quae vera dicta sunt, ob nostri criminationem inseruit quae falsa sunt. » Ideoque, cum ex his constet de mutilatione Dialogi, quem ipse Origenes habuit cum quodam haeretico, verosimillimum est, Dialogum hujusmodi indicari et haberi eumdem, de quo loquitur Hieronymus, impia continentem; eoque magis quod nunquam ita blasphemarit Adamantius. Centies enim is Filium λόγον Θεὸν *Verbum Deum* nominavit, natura quidem et non adoptione Filium confessus est, et Filium a Patre inseparabilem: perpetuo excludens a Filio temporaneam creationem; ipsum a creaturis omnibus sive terrestribus sive coelestibus secernens; atque in cunctis se doctrinae catholicae

consectarium praestans, cujusque generis haereticis adversatus: uti hoc significavit Libro VIII. *in Epistolam ad Romanos* n. 5. ex Salvatoris dictis: *ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.*

Ait enim: « Sunt enim nonnulli, qui annunciant quidem et praedicant de Patre et Filio et Spiritu Sancto; sed non sincere, non integre, ut sunt omnes haeretici, qui Patrem quidem et Filium et Spiritum Sanctum annunciant; sed non bene, nec fideliter annunciant. Aut enim male separant Filium a Patre, ut alterius naturae Patrem, alterius Filium dicant: aut male confundunt, ut vel ex tribus compositum Deum, vel trinae tantummodo appellationis in eo esse vocabulum putent. Qui autem bene annunciat bona, proprietates quidem Patri et Filio et Spiritui Sancto suas cuique dabit; nihil autem esse diversitatis confitebitur in substantia vel natura. » Et hinc quoque cernito, quanto jure (quo tandem nostra perducit disceptatio) admittenda sit Ruffini et ceterorum veterum sententia de Operum Origenis falsatione, aut potius de libris, aut erroribus ejusdem nomini inscriptis, a quibus penitus ipsius sincera abhorruit fides.

Ceterum quis putet talia blasphemasse Origenem adversus Verbi divinitatem et quidem non amphibologiis, obscurisque locutionibus, sed apertissimo sermone et amplius quam quae blasphemavit postea Arius? Nonne ideo patet sensus ei inscriptos, opus fuisse perfidorum, perfide exponentium libros ejusdem? quin eorum perfidiam senserint nec Epiphanius nec Theophilus nec Hieronymus? Et quomodo insuper sic blasphemare potuerit Origenes, cum Tractatu XXXV. n. 90. *in Matthaeum* alacriter et manifeste haeresim et haereticos vocat, qui Filium Dei, hominem, sive creaturam, sicuti celeras creaturas fuisse, arbitrabantur? « Et haec dicimus, ait, de Jesu, ut non arbitreris, sicuti quaedam haereses, hominem eum fuisse; sed Deum veram humani corporis suscepisse naturam; qui poterat compati infirmitatibus nostris. »

Quam obtestationem renovat in Libro VI. n. 30. adversum Celsum, qui Ophitarum somnia exprobrabat christianis: ac ideo in hunc contestabatur: « Immo hinc palam fiet, nobis christianis accuratius, quam illi (Celso) haec perspecta esse,

non ut doctrinam christianorum, sed ut doctrinam hominum penitus a salute alienorum, et qui Jesum nec Salvatorem, nec Deum, nec Doctorem, nec Filium Dei esse existimant. » Et quomodo Origenes tam aperte potuerit blasphemare, *Filium Dei sublimissimam vocans creaturam, eumque Patris extitisse voluntate sicuti celeras creaturas?* cum Homilia XV. 6. in Hieremiam, inquit: « Maledictus homo, qui spem habet in homine; propterea quod multi putarent, Salvatorem Dei Filium, merum esse hominem. Nam inter alia mala plurima humana, quae intulerunt, hoc etiam ausi sunt dicere, *Unigenitum, qui primogenitus est omnis creaturae, non esse Deum.* » Et cur Origenes, ex Hieronymi opinione, Salvatoris divinitati mentitus est, cum Homiliam XIX. *in Lucam* exorsus est, inquiens: « Quia nonnulli, qui sanctae Scripturae videntur credere, quasi in gloriam omnipotentis Dei, divinitatem Redemptoris negant, justum mihi videtur, ut ipsarum Scripturarum auctoritate doceantur, in humanum corpus quidquam venisse divinum, et non solum in humanum corpus, sed in humanam quoque animam? » Et sic, praesumptis Origenis erroribus admissis, quocumque te vertas, ipsum in antilogiis perpetuo implicatum repereris. Unde deducas quae deducenda sunt.

Postquam saepius in hoc capite facta est mentio de divina Verbi Persona distincta ab altera, Patris scilicet et Spiritus Sancti, sub vocabulo graeco ὑπόστασις *hypostasis*, neminem lateat istud vocabulum, non sicuti in communi sonat dictione sumendum esse ex Origenis ore, sed prout ipse definivit, et prope Synodi nicaenae mentem, idest non substantiam aut naturam distinctam a Patris essentia et Spiritus Sancti, sed sub latina indicatione *personae* sive *subsistentiae*, per quam a Patre (etsi unus cum eo) distinguitur: alias secum ipso pugnaret Origenes. Hoc autem praeclare eruitur a Tomo XVII. n. 14. *in Matthaeum*, ubi ait: « Qui autem mendaciter sapiunt, non sunt pro eo (Jesu), qui glorificare se putant eum, quales sunt haeretici, qui confundunt Patris et Filii ὑπόστασιν *subsistentiam*, unum dicentes esse Patrem et Filium, suspicione sola et nominibus dividentes eos, quos existimant unum: quasi magna de eo sapere proponentes, iniquitatem in excelso loquuntur etc. »

Auctor vero pro hac Personarum distinctione tam sollicitum se gessit contra adversarios, ut quodammodo Verbum Dei *secundum Deum* vocaret veluti in Libro V. n. 39. contra Celsum : « Nam Sapientiam, ait, credimus nos esse Dei Filium, testante Apostolo : *qui factus est nobis Sapientia a Deo etc.* Et quamvis illum appellemus *τὸν δεύτερον Θεὸν secundum Deum*, sciant secundi Dei nomine, nihil nos intelligere aliud, quam virtutem virtutes omnes complectentem, et *logon* rationem continentem in se quidquid rationis est in rebus, quae factae sunt etc. » Nihil porro mirum, si Origenes tunc in hujusmodi adhibendis nuncupationibus aliquando nomen *hypostasis* cum *housïa* confuderit, quin tamen orthodoxum Fidei nicaenae confuderit sensum. Et sane non solum tunc, verum et retro temporibus, (testibus Editoribus Maurinis) vox nempe *hypostasis* apud graecos et latinos *husïas substantiam* significabat : unde haud raro *husïan* et *hypostasin* pro una eademque re sumi apud veteres comperitur. Itaque s. Hieronymus in Epistola XV. n. 3. scribens ad Damasum Papam inquit : « Clamamus : siquis tres *hypostases*, ut tria *enhypostata*, hoc est tres subsistentes Personas, non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non edicimus, haeretici judicamur. Siquis autem *hypostasim husïan* intelligens, non in tribus Personis unam *hypostasim* dicit, alienus a Christo est. Et sub hac confessione vobiscum pariter cauterio unionis inurimur. »

CAPUT XIV.

Contra Theophili illusionem peculiaris instruitur argumentatio ob ea, quae in Synodo alexandrina solemni sed vana et temeraria obtestatione inclamavit adversus Origenis impietatem in doctrina de Verbo Dei.

Nec volo, nec possum de hoc mysterio, prout docuit Origenes, excursum implere, nisi alteram ejusdem sententiam proferam; qua pariter Theophilus maxime ita offensus est, ut ipse in plena Synodo una cum suis aures obturaverit, lecta Origenis blasphemia, in Libro *de Oratione* n. 15. dictata: *non debemus orare Filium, sed solum Patrem, nec Patrem cum Filio.* De quo errato eumdem pluries in suis Litteris Theophilus culpavit. Verumtamen dico ego, ea revera putavit Origenes? haec sensit? An non fortasse, seu potius nostrae obturandae sunt aures ob tantam calumniam, et contra tantum virum latam a Theophilo? Qui legit, ac sedula mente percurrit, quae ait Auctor in citato paragrapho, intelliget quorsum ejusdem vertat sermo; et quanta injuria affectus sit Adamantius a suis adversariis.

Cum enim antea docuerit, Sanctis offerendas esse obsecrationes; et amplius Christo gratias agendas, a quo tot tantaque beneficia, Patris voluntate accepimus, subdit: « Ἐὰν δὲ ἀκόυωμεν, ὅτι ποτέ ἐστὶ προσευχὴ, μήποτε ὀυδενὶ τῶν γεννητῶν προσευκτέον ἐστὶν, ὀυδὲ ἀυτῷ τῷ χριστῷ, ἀλλὰ μόνῳ τῷ Θεῷ τῶν ὅλων καὶ πατρὶ. At si intellexerimus quid sit oratio, fortasse nullus genitus orandus erit, neque ipse Christus, verum solus Deus omnium et Pater: quem ipse Salvator noster orabat, uti praediximus et quem nos orare docet. Cum enim audisset: *doce nos orare,* non seipsum docet orare, sed Patrem, dicentes: *Pater noster, qui es in coelis* etc. Si enim ut alibi probatur, alius a Patre Filius est secundum ὀυσίαν substantiam (hypostasim) et suppositum, aut orandus est Filius, et non Pater, aut uterque, aut Pater solus; Filium ergo et non Patrem orandum esse, quicumque confitebitur, id fore absurdissimum, et praeter evidentiam dicendum. Si vero u-

terque orandus esset, patet quod nos convenienter precaremur ex. g. *praebete, benefacite, largimini, servate*, vel quid simile diceremus. »

Ex his manifestum est, Origenem quaestionem sibi proponere ex anteactis circa precum varietatem; unde *fortasse* sequeretur, inquit, ut nemo ex genitis, nec Christus quidem exorandus esset. Et hoc ab Jesu dictis et exemplis in Evangelio statuit, Patri soli preces fundendas; id suadens, ex quo Pater hypostatice distinctus a Filio cum sit, si Filius obsecraretur seorsim a Patre, absurdum fore. Si autem uterque et Pater et Filius orandus esset, tunc plurali numero consequenter eisdem preces offerendae, proindeque haud dicendum: *libera nos a malo*, sed: *liberate nos a malo*: quod similiter a Scripturis tanquam impar reprobatur: « Restat ergo, concludebat, ut oretur solus Deus Pater universorum, verumtamen non sine Pontifice, qui ab ipso Patre cum jurejurando constitutus est, juxta: *juravit Dominus et non poenitebit eum, tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Cum igitur sancti in suis orationibus gratias Deo agunt, eas per Christum Jesum ipsi referunt. Sicuti porro eum, qui proprie orare vult, non decet eum orare, qui orat, sed eum, quem orationibus invocandum docuit Jesus noster Dominus, nempe Patrem; ita non est ulla oratio Patri sine ipso offerenda. Quod ostendit ipse perspicue, cum sic ait: *amen amen dico vobis, siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis etc.* » Cernito ergo quomodo instet Origenes ne Filius alter fiat in natura a Patre, nec ideo duo, sed unus orandus sit. Cum vero firme teneat, hypostatice unum ab altero distingui, Patrem scilicet a Filio, in oratione tamen ait non esse separandos; nisi quod tanquam Pontifex et Mediator habendus sit Filius, adeo ut nulla deprecatio Patri liceat offerri absque Filio: *usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite et accipietis.*

En rationem potissimam, qua Auctor dicit, solum Deum Patrem obsecrandum esse invocatione singulari juxta Ecclesiae ordinem; a qua invocatione tamen non excluditur Filius quippe Pontifex et Mediator inter Deum et homines, Patri suo petitiones nostras offerens: ad hoc enim *misit Deus*

Filium suum in mundum ut salvetur mundus per ipsum. Et sane quod hic docet Origenes de Oratione, admodum Hymnologiae ac Liturgiae ecclesiasticae consonat, cum in quotidianis supplicationibus oretur: *Deus qui etc. per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et ob hoc paulo post adjicit non esse orandum Filium, sicubi Pontifex constitutus est a Patre, et advocati apud eum munus accepit: *qui possit compati infirmitatibus nostris.* Nisi hoc esset, Verbum Dei in humanitate sua nec Pontifex nec Mediator, nec Advocatus apud Patrem haberetur. Quapropter post haec omnia concludit: « *μόνῳ γαρ̀ τῷ πατρὶ μὲτ ἐμοῦ καὶ δἲ ἐμοῦ ἀναπεμτέον ἐστὶν ὑμῖν προσευχὴν* i. e. ad solum enim Patrem mecum et per me dirigenda a vobis est oratio. » Et quis itaque jure non miretur, quod Origenis adversarii sincera ipsius dogmata falsarint, seu data opera, seu haud ipsius mentem assecuti; ac ceteri deinde inscii huic falsationi consenserint? Necesse sane fuisset eis, ne quaedam tantummodo verba notarent, neque diverse ab originali traducerent, nec scopum transigerent Auctoris, nec multo minus oculos clauderent a novissimis argumentationis suae verbis. Quare sive dolus, sive ignorantia denudatur accusatorum; ex quo limpide dicit: *ad solum Patrem mecum et per me dirigenda a vobis oratio est.* Ceterum vocabulum *μήποτε fortasse* initio locutionis insertum ab Origene, nullimode a Theophilo, nec a quovis alio transigendum erat. Talis enim omissio hanc praebuit adversariis Origenis insimulandi occasionem.

His interim sic excussis ab Origene, hujus quaestionis ipse causam dicit; precumque modum designat, inquiens: « Haec ergo dicenti Jesu attendentes, Deum per ipsum oremus, idemque dicamus omnes neque de orationis modo divisi. An non divisi erimus, si alii Patrem, alii oremus Filium? Incidunt enim per nimiam simplicitatem in stultum peccati genus, qui, rebus non expensis et examinatis, Filium orant sive cum Patre, sive sine Patre. » Verum ut ulterius unisona siculi et sincera ubique fides Origenis comprehendatur in hac re, ea adsint, quae contra Celsum Libro V. n. 4. disputans circa precum christianorum ordinem scribit: « Etsi vero angeli, quos a suo officio sic appellatos didicimus, Dii

etiam aliquando in sacris Scripturis nominantur, propterea quod divini sunt; nusquam tamen ibi praeceptum reperias, ut, qui Deo debetur cultus, eodem prosequamur eos, quorum nobis ministrandi, Deique dona offerendi negotium est. Nam omnes postulationes, precationes, orationes, gratiarum actiones ad Deum oportet dirigere per summum Sacerdotem omnibus angelis superiorem, Verbum vivum et Deum. Sane et hoc ipsum Verbum orabimus, illi feremus preces, illi gratias agemus; illi vota faciemus, si modo propriam precationis possimus ab impropria secernere notionem. » Item in Libro VIII. n. 13. addit: « Itaque unum Deum et unum Filium ejus Verbum et imaginem, quantum possumus, precibus ac supplicationibus veneramur, offerentes Deo universorum per Unigenitum ejus nostras preces. » Similiter *in Threnos* Hieremiae c. I. 9. inquit: « Necesse est igitur tolli immunditiam, quae est in pedibus animae, ut ita dicam, et orare Jesum, ut eam expurget etc. » Quapropter si in his adversariorum error manifestissime patet, quid de ceteris insimulationibus conjiciendum erit?

Sed hic non cessant Theophili illusiones, unde Origenis orthodoxum sensum pervertens, haereticum illum in Synodo denunciavit. Is namque in Epistola Synodica n. 4 de ipso scribit: « Praeterea in libris *De Principiis* et hoc persuadere conatur, quod vivens Dei sermo non assumpserit corpus humanum; et contra Apostoli sententiam vadens scripsit, quod, qui in forma Dei aequalis erat Deo, non fuerit Verbum Dei, sed anima de coeli descendens regione, et se de forma aeternae majestatis evacuans, humanum corpus assumpserit. » Item in Epistola Paschali II. n. 14. subdit: « Sed et ad illa veniamus: Apostolo enim de primogenito Filio Dei perspicue proclamante: *hoc intelligat unusquisque in nobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens etc.* ille ausus est dicere quod anima Salvatoris se evacuaverit et formam servi acceperit, ut Joannes mentitus esse videatur qui ait: *Verbum caro factum est*, similem nostrae conditioni ingerens Salvatorem, dum non est ipse, qui se evacuavit et formam servi acce-

pit, sed anima illius: et fidem, quae omnium confessione firmata est, sua impietate dissolvit .... Verum non ita est, fratres, nec anima Salvatoris, sed ipse Filius Dei, cum esset in forma Dei et aequalis Deo, se exinanivit formam servi accipiens.... Sic iste immutavit gloriam incorruptibilis Dei; in forma illius et aequalitate animam Salvatoris asserens, quae creata est; et hanc se evacuasse, et non Verbum Dei ad terram venisse etc. »

Haec ait Theophilus. Unde vero sive ex quali libro sive capite *Periarchon* repetens, ista collegerit, silet. Attamen verosimillimum est, ex Libro IV. n. 32. ea deduxisse, ubi ait Origenes: « Quidam autem volunt de ipsa anima dictum videri, cum primum de Maria corpus assumpsit, etiam illud, quod Apostolus dicit: *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens:* cum eam sine dubio in formam Dei melioribus exemplis repararet, atque in eam plenitudinem, unde se exinaniverat, revocaret etc. » Ex his, inquam, culpare Origenem studuit Theophilus, eumque ob hoc extra Ecclesiam facere. Nihilominus (et id priusquam eorum verborum sensus disquiratur) quam immerito id egerit Episcopus alexandrinus, et quanta affectus sit illusione, apparet primo ex pluribus testimoniis sparsim libris Origenis consertis, ubi dogma catholicum ab ipso perspicue adstruitur; ac sine ambagibus verba apostolica explanantur adversus illud, quod de ipso praetenderunt Theophilus ipse et omnes cum eo consentientes in iniquissima Auctoris damnatione.

Et quidem Libro V. *in Epistolam ad Romanos* n. 2. verba interpretatus *ex obedientia* (Christi) *justi constituuntur multi*, docuit per obedientiam Christi initium accepisse justificationem et vitam: « Christi, inquam, qui ad hoc opus non conditionis necessitate, sed sola miseratione permotus accessit. In forma enim Dei erat, et videns unius hominis delicto mortem regnare per populos, creaturae suae non obliviscitur; nec rapinam ducit esse se aequalem Deo: hoc est, non sibi magni aliquid deputat, quod ipse quidem aequalis Deo, et unum cum Patre est, opus vero suum depe-

scitur mors unius hominis ingressa delicto. *Exinanivit* igitur *seipsum* de aequalitate et forma Dei; et servi suscepit formam, et fit homo, ad quem tentandum auderet quidem venire ille, qui regnabat in omnibus, sed intrare non posset » Item Homilia XIV. *in Hieremiam* n. 9. hypothesi Theophili aperte contradicit: « Simul enim et assumpsit servi formam: *Verbum caro factum* (nec unquam anima) *exinanivit se*, et juxta Apostolum dicentem: *exinanivit seipsum formam servi accipiens.* »

Hoc autem firmatur ex ipsis *De Principiis* libris, ubi errasse Adamantius visus est Theophilo. In eisdem, dicam, contrariam tenuit ac professus est fidem ab ea, de qua eumdem reprehendere cogitavit ex praemisso sermone. In Libro namque II. c. VI. n. 1. docet Origenes: « His igitur tantis ac talibus de natura Filii Dei consideratis, cum summa admiratione obstupescimus, quod eminens omnium ista natura exinaniens se de statu majestatis suae, homo factus sit, et inter homines conversatus, sicut gratia labiis ejus infusa testatur; et sicut testimonium ei reddit Pater ejus coelestis etc. » Et paulo post n. 2: « Verum ex omnibus de eo miraculis et magnificentiis illud penitus admirationem humanae mentis excedit; nec invenit humanae mortalis intelligentiae fragilitas, quomodo sentire vel intelligere possit, quod tanta illa potentia divinae majestatis, *ipsum illud Verbum Patris, atque ipsa Sapientia Dei*, in qua creata sunt omnia visibilia et invisibilia, intra circumscriptionem ejus hominis, qui apparuit in Judaea, fuisse, credenda sit: *sed et ingressa esse Dei Sapientia vulvam foeminae* et nasci parvulus, et vagitum emittere ad similitudinem plorantium parvulorum. »

Somniavit itaque Theophilus et qui cum eo, putantes Christi animam, nec tamen ipsum Verbum Dei, Origenem docuisse in terram advenientem cum hominibus esse versatam. Ceterum citata a Theophilo Origenis verba in culpationis adminiculum, si quadam videantur obducta caligine: uti par est interpreti, collatis aliis, seu ex praecedentibus satis explananda veniunt; adeo ut eam effugiant interpretationem, quam iis applicuit Theophilus. Et in primis animadvertas, praefatam dictionem non ex se, non ex sensu suo edisseruis-

se Origenem, sed ex aliorum opinione. Ait enim: « quosdam, apostolica verba ad Philippenses *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est etc.* putare esse sumenda de Christi anima, cum primum de Maria corpus assumpserit. » Ideoque sive bene sive male haec esse dicta existimaveris, haud nocent Origeni. Cur autem haec ibi prodat Auctor, et qua mente ea citaverit, ex contextu patet. Scribit enim in paragrapho 31: « Volens igitur Filius Dei pro salute generis humani apparere hominibus, et inter homines conversari, suscepit non solum corpus humanum, ut quidam putant, sed et animam, nostrarum quidem similem per naturam, proposito vero et virtute similem sibi, et talem, qualis omnes voluntates et dispensationes Verbi ac Sapientiae indeclinabiliter possit implere. Quod autem habuerit animam, manifestissime in Evangeliis designat ipse Salvator, dicens: *nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam abs me etc.* »

Ex his igitur non nisi prius distinctionem apposuisse Origenem apparet inter animas quascumque corporibus insertas humanis, ab ea, quam sumpsit Jesus, quippe cum Verbo Dei foederata, sola ex omnibus animabus peccati incapax fuit. Et cum amplius una Persona cum ipso divino Verbo extiterit, *Jesus Christus* nuncupatam esse ait, proindeque in ipsa Christi anima totam absconditam esse Sapientiam, Veritatem, et Vitam. Quapropter his ab Origene de Christi anima expositis, veluti suo sermoni consentaneam, quorumdam adjecit sententiam, ideo dicentium, Apostolum de Christo Jesu locutum, eamdem comprehendisse nuncupationem: *Hoc enim sentite in verbis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.* Quasi diceret, divinae Sapientiae sive Verbo Dei associatam animam Jesu, unum praetulisse nomen super omne nomen, nempe Jesu Christi; *quia*, uti scribit ad Colossenses c. II. *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter; et in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Quorsum igitur, sive qua ratione Theophilus aliter transverterit Origenis argumentum nescio; non enim ibi nec alibi, nec unquam Origenes talia scripsit nec putavit, de quibus carpitur ab Episcopo alexandrino. Nec amplius

dubitandum superest, Ruffinum Origenis textum diversimode esse interpretatum ab originali graeco. Id enim ei repugnat, quod de sua versione professus est Ruffinus: Origenis repugnat argumenti ordini ac termino, alias inconsequens fieret sermo Auctoris; Origenis demum repugnat fidei, quam saepe et ubique suis inscripsit libris de Christo Redemptore: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

Novissime de Filii divinitate, ejusque cum Patre coaeternitate, quam ubique Origenes Operum suorum confessus est, convenit Socrates in Libro VII. c. 6. Historiae Ecclesiasticae: ubi narrat duos tunc temporis praestantes viros arianorum sectae adscitos fuisse, Timotheum et Georgium; de quibus haec scribit: « Quam ob causam mirari satis vix possum, cur isti duo viri in ariana secta perseverarent; cum alter perpetuo tereret Platonem; alter Origeni, evolvendo ejus libros, se totum dicaret. Nam neque Plato *secundam et tertiam causam* (sic eas appellare solet) principium essentiae habuisse affirmat. Et Origenes *Filium Patri coaeternum ubique fatetur*. Et quamquam in sua ipsorum permanserunt ecclesia, tamen sectae arianorum opinionem pedetentim et ex occulto correxerunt; quippe eam multis Arii blasphemiis sua doctrina perpurgarunt. »

Ob ea porro, quae de Jesu divinitate varimode tractata sunt ab Origene, perpetuo dogmati catholico inhaerente; nec istud omittendum, quod ideo sanctissimam Virginem glorioso θεοτόκος titulo decorarit. Id autem testatur Socrates in Libro VII. 32. *adversus Nestorium*, ostendens, hoc titulo jam ante illud Nestorii aevum cumulatam fuisse Mariam: « Hoc Joannis testimonio, ait, freti prisci interpretes Mariam *Deiparam* dicere non dubitarunt. Nam et Eusebius Pamphilus in tertio Libro *De Vita Constantini* ad verbum ita scribit. « Nam et Emmanuel etc. .... Sed et Origenes primo Tomo Commentariorum *in Epistolam ad Romanos* interpretatus, qua ratione dicatur θεοτόκος latissime disquisivit. » Porro cum adhuc desideretur textus graecus horum Commentariorum, cumque Ruffinus in translatione, omissa littera, sensum breviter expressum dederit illorum, hoc nomen non apparet.

Verumtamen facillimum est inde erui hoc nomen a v. 5. Capitis I. expositione, ubi Apostolus ait: *de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* τοῦ ὁρισθέντος *qui destinatus est Filius Dei in virtute etc.* « Qui ergo, scribit Origenes, semper est, destinatur ut diximus, non praedestinatur. Qui autem praedestinatur, nondum erat tunc cum praedestinaretur, sed coepit ex tempore. Necessaria ergo distinctione Apostolus utitur, eum, qui ex semine David secundum carnem est, factum dicens: eum vero, quem Filium Dei *in virtute secundum spiritum sanctificationis* nominat, destinatum. Etenim cum dixisset Filium Dei, non superfluo addidit, *in virtute*, indicans per hoc, quod substantia Filius sit secundum spiritum sanctificationis. Christus enim Dei virtus et Dei sapientia dicitur; qui et vapor virtutis Dei, et manatio gloriae omnipotentis purissima, et splendor lucis aeternae, et imago bonitatis Dei appellatur etc. » Inde progressus, ostendens Origenes, nequaquam Jesum dici posse filium Joseph, cum a Joseph nequaquam natus sit, verba Matthaei discutit: *Cum esset desponsata Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Dionysius episcopus alexandrinus Origenis discipulus in Epistola ad Paulum samosatenum, Mariam Θεοτόκον Deiparam vocat. Quo testimonio firmatur quod Socrates tradit ex Origenis scriptis.

De reliquis, quae alibi circa hoc argumentum exposuit Origenes, consulas speciatim domnum Prudentium Maran in Libro IV. De Divinitate Christi, et Georgium Bullum in Defensione Fidei nicaenae, *De Filii Consubstantialitate* c. IX. Porro circa discrepantiae causas inter Hieronymi et Ruffini versionem in praefatis *De Principiis* Libris addenda, singulari disquisitioni mandantur. Interea, veluti antea animadverti, nunc universim concludendum est: si tanquam emendatio origenianae doctrinae habenda forent, quae de divinissimo Trinitatis mysterio recte addidit, sive mutavit Ruffinus diversimode ab iis, quae uti genuina vertit Hieronymus e graecis codicibus; concludendum est, inquam, aut Ruffinum in citatis Libris, nequaquam aliqua instaurasse (siculi ipse dicit in Prologo) in iis, quae de Deo erant, de Verbo Dei, de Spi-

ritu Sancto: sed ab initio ad finem totum Origenis reformasse Opus *Periarchon*, ut aliter indicaret, quam iste voluit. Aut fatendum est Adamantium in hoc tractatu non sibi unquam constitisse. Ubicumque enim hoc pertigit argumentum, juxta Hieronymi versionem modo pie de Jesu Christo credidit; modo blasphemavit; modo negavit, quod antea affirmavit; sive e contra: quod tamen philosophi non est, sed delirantis.

Insuper, cuique hos libros percurrenti patet, Ruffini translationem, uti modo se habet, in ordine argumentationis sibi perpetuo cohaerere; ac ideo potiori jure dubitandum esse de codicis graeci genuitate, quo usus est Hieronymus, quam reprehendendus sit Ruffinus, quod codices emendarit in nonnullis dictionibus. Et ideo in hoc novissimo loco denuo, quod alibi notatum est, malim obtestationes instaurare, quas Ruffinus primo et tertio libro *De Principiis* praemisit in ordine versionis suae, ob ea, quae ei exprobravit Hieronymus circa emendationes eisdem huc illuc inlatas libris. Significavi nimirum, Ruffinum nihil ibidem emendasse, ubi de rationalibus creaturis agebatur; sed ita translulisse veluti in codice graeco legebantur; nisi quod paraphrasi quandoque usus sit alia ex aliis explanans. De Trinitate vero tantum, inquit, siquid invenisset illi contrarium, quod ab Origene in ceteris locis pie definitum est de ipso mysterio, tanquam alterius opus, aut praetermisisse, seu emendatum recto dogmati accommodasse. Hae porro Ruffini obtestationes cum jurgii vehementis germen constituissent inter se ac Hieronymum: in Libro I. *Invectivarum* n. 11. correctionis genus, quod exegit, latius explicat Ruffinus dicens: « Non enim generaliter promisi, me non prolaturum, quae essent fidei contraria; sed quae ipsa sibi essent contraria; vel quae a semetipso discrepant, non quae a me, vel ab aliquo alio discreparent. »

Ex his satis accurate perpensis verbis deducitur, Ruffinum in translatione horum librorum de erroribus ipsius Origenis (dato et non accepto ipsum errasse) parum vel nihil sollicitum fuisse, nec confutasse, neque correxisse praeter ea, quae secum ipso, vel cum subjecta materia pugnarent; quod sane speciatim in re gravi, Origeni perpetuo sibi

compoti, supervenisse vix credendum est. Ceterum quanto jure hujusmodi antilogias in themate de Trinitate sustulisset Ruffinus, quippe interpolatorum perversorum laborem, ulterius patefiet, testibus adhibitis Patribus, qui ipsius testimonia de divinissimo hoc mysterio citarunt in haereticos disputantes. Eoque magis quod Ruffinus subdat: *quidquam sibi videretur dissonum* ab argumento, mutasse, seu *aliqua verba incautius posita*. Quae quidem non indicant eas omnes blasphemias et absurda in Epistola ad Avitum, et praesertim in Litteris Synodicis et Paschalibus Theophili lecta, quorum auctor praeter omne jus fit Origenes, ac simul ideo impiorum dogmatum adsertor. Quando in hac impietatum strue potius perfida occultatur manus cujusdam haeretici catholicae veritati infensi; et eorum peculiariter qui, cum adhuc vitam degeret, experti sunt fidem, constantiam, et argumentorum vim, quibuscum eos debellavit: ex iis forte, quos Homilia XXV. *in Lucam* redarguens: « Alii vero sunt, ait, qui tractatus nostros calumniantes, ea sentire nos criminantur, quae numquam sensisse nos novimus. » Porro de creaturis rationalibus, ubi Ruffinus textum graecum prorsus secutus est, quin aliquid demutaret: et in quibus patefiet nihil inesse noxium, unde culpetur Origenes, in capite sequenti dicetur.

Novissimo relate ad ea, quae dixit ac fecit Ruffinus in his libris transferendis, ac iis speciatim divinae Trinitatis argumentum spectantibus, et ubi ait se nonnulla emendasse incautius posita; seu quae dissona ab Origenis proposito apparebant; neminem lateat quaestionis hujus momentum, humanae quidem praestans intelligentiae: qualis sane est hujus mysterii tractatus. In quo quivis accuratissimi ac subtilissimi ingenii labores aut in vocabulorum usu, aut in sermonis studio, aut in cujusque generis similitudinum investigationibus, minus semper se habent; nec unquam assequentur, ut illud convenienter satisque explanent. Humani enim conceptus illuc penetrare haud valent, nec intelligere, neque hujus abyssi comprehendere immensitatem: nec ideo sermone apte describere divinae essentiae simplicitatem, sicuti nec tres Personas in una natura pariter simplici et incorporea distinctas, neque cujusque scorsim explanare operationes.

Quapropter Origenes sciens se ab hac fuisse necessitate adstrictum in hujusmodi tractatibus, hanc in fine Libri IV. *Periarchon* n. 27. emisit declarationem; ostendens ideo non tantum verborum usum attendendum esse in hujus generis quaestionibus, quantum res in ipsis verbis significatas; ac suas impotentiam designans tam sublimia sermone enarrandi. Ait enim: « Omnis ergo, cui veritatis cura est, parum de nominibus et sermonibus curet, quia per singulas gentes diversae verborum consuëtudines habentur: et hoc magis quod significatur, quam qualibus verbis significetur, intendat; praecipue in tam magnis et tam difficilibus rebus. Sicut cum quaeritur, exempli causa, si sit aliqua substantia, in qua neque color, neque habitus, neque tactus, neque magnitudo intelligenda sit, mente sola conspicabilis, quam, prout vult quis, ita et nominat. Nam graeci ἀσώματον, idest incorpoream eam dixerunt; divinae vero Scripturae invisibilem esse pronunciarunt. Imaginem enim invisibilis Dei Paulus dicit esse Christum. Sed et rursus per Christum creata dixit esse omnia visibilia et invisibilia. Per quod declaratur esse etiam in creaturis quasdam invisibiles secundum proprietatem suam substantias. Sed hae, quamvis istae non sint corporeae, utuntur tamen corporibus, licet ipsae sint substantia corporea meliores. Illa vero substantia Trinitatis, quae principium est et causa omnium, ex qua omnia, et per quam omnia, et in qua omnia, neque corpus, neque in corpore esse credenda est, sed ex toto incorporea. Verum haec per excessum quemdam: rei tamen ipsius consequentia commonitos breviter dixisse sufficiat ad ostendendum id, quod sunt quaedam, quorum significatio proprie nullis omnino potest humanae linguae sermonibus explicari: sed simpliciori magis intellectu, quam ullis verborum proprietatibus declarantur. Ad quam regulam etiam divinarum Litterarum intelligentia retinenda est: quo scilicet ea, quae dicuntur, non pro vilitate sermonis, sed pro divinitate Sancti Spiritus, qui eas conscribi inspiravit, censeantur. »

Et si haec nobis accurate attendenda sunt, ac quovis tempore prae oculis habenda, cum veterum Patrum de hoc mysterio excutimus sensus: quanto magis ista in libris Orige-

nis percurrendis considerationе digna sunt; qui primus fere ecclesiasticorum Doctorum tam amplas susceperit discussiones. Ac praesertim cum novimus nondum in Ecclesia nec verba certa, nec proprium definitum fuisse sermonem, sicuti factum est post Pauli samosateni, Ariique haereses, qui contra hoc dogma disputarunt. Quapropter venia quadam puto donandum esse Origenem, si in nonnullis dictionibus haud satisfecerit posteris, aut haereticis fortasse praebuerit occasionem in catholicam erumpendi doctrinam: cum tamen ipsius conscientia haereticum sensum repudiarit. Et ob hoc opportune nobis suffragatur Nazianzeni obtestatio *adversus Academiam disputatorum* de Trinitatis mysterio *in Oratione* 49. *de Fide*: « Nam, inquit, professio fidei manifesta est, et Persona cum vocabulis constat; et una Divinitas assignata est. Vel si adhuc aliquid est, quod legentibus ambiguum videatur in verbis, ad sensus debent verba conferri. Quia non simplicitas verborum, sed mali intellectus obstinatio culpam olet. »

Ex quo sermone recensitis, quae Ruffinus in his *Periarchon* vertendis libris, ingenue obtestatus est, se nimirum quaedam tantummodo graeca vocabula Origenis emendasse *dissona sibi visa* a ceteris locutionibus, aut *incautius* prolata ab ipso; indubie stat argumentum nostrum, codices graecos ab eodem Ruffino latine traductos, genuinos comprehendisse ipsius Auctoris sensus et quidem orthodoxos: quamvis ob dogmatis difficultatem exponendi existimarit Interpres aliquando in sua translatione graecam dictionem obscuram, latino sermone vel temperare, vel illustrare. Ac una neminem fore arbitror, qui huic meae opinioni adversatus, putet tam nefanda potuisse Adamantium quandoque his *Periarchon* inserere libris; quae suae sincerae ac sollemni contrairent professioni fidei ab initio praemissae, ac scopo principali, quem in illis intendit contra haereticos marcionitas, valentinianos, et basilidianos, et maxime in argumento de divinae Trinitatis mysterio. Quod ab initio ad finem sine ambiguitate, pie, fideliterque exposuit. Quodque, cum undique librorum suorum centies iteravit, luculentissime conclusit, Christi ad Apostolos mandatum explanans *in Matthaeum* c. XXVIII.

baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: « Unus est, ait, qui salvat, una est salus. Unus vivens Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Unus est non ex coitione trium, sed ex unica essentia: tres vero hypostases perfectae in omnibus, et ad se invicem relatae. Secundum naturam genuit Pater; propterea que ὁμοούσιος *consubstantialis* genitus est. »

Demum in hac de sanctissima Trinitate discussione nemo non viderit inter ceteras sapientissime ab Origene exactas nuncupationes potissimum relate ad divinae incarnationis mysterium, duo eximia vocabula suis conseruisse libris, ὁμοούσιος idest *consubstantialis* et Θεοτόκος idest *Deipara*. Quae sunt duae gemmae corruscantes in Ecclesia Dei, ex apostolica doctrina lucem mutuatae. Quarum splendor Arii non solum et Nestorii perfidiam coarguunt, verum etiam recentiorum, qui in impietate veteres superarunt haereticos.

CAPUT XV.

Origenis investigatur doctrina de anima humana et de variis ejusdem nuncupationibus e suis libris redactis.

Sicuti in praeviis capitibus circa praesumptos Origenis errores, ita in sequenti, ubi ejusdem agitur de anima sententia, non defuisse videntur aut ignari, aut praecipue obtrectatores, iique videlicet, quibuscum pugnavit, haeretici, qui ipsius sensus pervertentes, librosque inaudita perfidia falsantes, orthodoxam ejus fidem obtenebrarunt. Ac ita, quae peregrina, quae haeretica, quae nefanda nescivit dogmata Origenes, quinimmo confutavit, suo nuncuparunt nomini: adeo ut Huetius in Libro II. Origenianorum Quaestione VI. veterum et recentiorum discurrens, quae circa hanc Adamantii opinionem excogitarunt, quo pedem suum firmet, nesciat, aliis alia diversa, et invicem opposita putantibus de Origene circa animarum naturam, creationem, finem etc.

Ex his sane, quae ibidem collegit Huetius, apparet, Origenem alias docuisse animam esse spiritualem a corpore sive materia segregatam, quandoque corporatam, subtilique materia constare. Item dicit, Origenem statuisse hujus animae praeexistentiam corpori; seu mentes omnes simul a Deo creatas, ob peccatum de coelo in humana corpora dejectas ad poenas peccatorum suorum luendas; et hinc varios animarum descensus et ascensus. Similiter ex aliorum opinione deduxit Huetius, Origenem putasse, animam humanam esse portionem divinitatis: alias sibi videri, ipse confudisse essentias angelicas cum anima humana; ita ut aliquando anima foret angelus et e converso. Item alios censet adscribentes Origeni animarum transmigrationem in alia corpora. Ac per traducem easdem propagari, nonnullos hanc opinionem imputasse ipsi Origeni is idem ait. Has de anima opiniones passim in vetusta aetate reperimus Origeni adscriptas; ac unde merito tamdiu famam ipsius abjectam fuisse recentiores arbitrati sunt.

Verumtamen siquis animo pacato has ponderet insimulationes, cum sint inter se tam dissitae et se se mutuo destruant; fortasse probari posset, ne dicam necessario eruendum, Origenem neque has omnes complexum esse, nec comprobasse de anima humana opiniones, eidem ab adversariis objectas. Et hoc primo adstrueretur ex s. Pamphili testimonio, qui, consideratis, quae tunc in Ecclesia adversus Origenem vulgabantur, asseveravit, quotquot de anima opiniones nomen praeferebant ejusdem, non nisi philosophorum et haereticorum commenta haberi, in quae Auctor confutandi causa animum intendebat: ac ideo, quas ipse expugnabat doctrinas, fuisse eidem ceu suae fidei tesseras, adjudicatas. Quamobrem obtrectatorum malitiam s. Martyr in c. IX. Apologetici ita corripit, qui animarum in corpora transmutationem Origeni objiciebant: « Ad quod sicut in ceteris fecimus, ipsius, qui accusatur, respondebimus verbis: illud primo pernecessario commonentes, quia accusatores ejus non intelligentes qualiter ab eo de ista quaestione tractatum sit, vel quod ratio disputationis ita se habeat, ut non semper sola velut ex persona pronunciari videantur, quae dicuntur, sed interdum etiam ea, quae e contrario dici poterunt, disputentur: et hanc esse artem disputandi non advertentes, objiciunt ei de hoc dogmate, quod quasi ipse senserit ea, quae ex adversantis persona disseruit. » Et hoc quidem obtrectatorum artificium adversus Origenem, unde simplicibus illuserunt; ac unde postea, quas supra enarravimus, dissimiles ipsius et contradictoriae emersere sententiae, eidem de anima inscriptae.

Ceterum s. Martyr, qui accurate Origenis methodum in disputando expendit, uti alibi praenotavi, ait ipsum aliorum dubia, philosophorum placita, haereticorum extravagantias suis praemittere tractatibus, ut suum deinde manifestet judicium. Et hoc sane quoad propositam quaestionem egit in Prologo librorum *Periarchon* n. 5: *De anima*, quam antea ex manifesta praedicatione Ecclesiastica dicens: *substantiam et vitam propriam habere*, deinde subdit: « Utrum ex seminis traduce ducatur ita ut ratio ipsius vel substantia inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur, an vero aliud habeat

initium : et hoc ipsum initium si genitum est aut non genitum; vel certe si extrinsecus corpori inditur, nec ne, non satis manifesta praedicatione distinguitur. » Quam obtestationem nemo non videt, talem exhibere Origenis fidem extra quamcumque erroris, sive haereseos notam: cum haec scilicet dubitanter dicat; eaque dubitatione afficiatur, ut ipse asserit, *quod de his in Ecclesia non satis manifesta praedicatio distinguatur.*

Verum quantumvis Origenes fateatur, non haberi in ecclesiastica praedicatione manifestum, quid credendum sit de anima humana; nihilominus cum ideo in fine Prologi dicat se in his et similibus, quae tractanda aggreditur, velle e sacris Scripturis, vel indagine, aut tenore recti, quid sit in vero rimari; nequaquam ab initio quaestionis, nec ab iis, quae ex aliorum mente proposuit investiganda, concludere debemus quod talia reapse senserit; sed ab earumdem discussionum termino, omnibus enodatis difficultatibus, quid ipse credidit, deducendum est. Et sic in praesenti quaestione de anima putandum exegisse Origenem; ubi tam exacte animae principium, essentiam, ceterasque dotes definivit, ut asserere audeam, ipsum hac in re dogmati ecclesiastico convenisse; aut saltem communi adhaesisse ejusdem aevi Patrum sententiae: videlicet docentem, animam nostram spiritualem omnino haberi substantiam, partibus corporeis exemptam, a Deo creatam, a Deo humano corpori in alvo materno consitam; nec corpori praeexistere; nec a corpore ad aliud quodcumque transmigrare; nec alia ideo de ea fabulosa commenta, ut praetexunt adversarii, admisisse.

Priusquam vero hoc ineamus demonstratum, admodum nostra scire interest, sub tribus vocabulis frequentissime nuncupari ab Origene animam; idest νοῦς, πνεῦμα, ψυχὴ, quae valent *mens*, *spiritus*, *anima*, quandoque promiscue adhibitis, aliquando speciali animae distinctione a mente et spiritu. Quae distinctio nobis perpetuo ob oculos erit habenda, ceu proposito accommodatissima. Ac interim circa hanc novissimam distinctionem patet, Origenem, quoties *mens* sive *spiritus* dixerit, unum et idem comprehendisse, nempe substantiam simplicem, incorpoream intelligendi et cogitandi capa-

cem. Non item vero ipse sensit de ψυχὴ *anima* multiplices significationes praeferenti: de quibus infra.

Porro relate ad νοῦς sive *mens* dictionem uti aptissimam, sanaeque philosophiae consentaneam, satis inde patefacit Auctor, se substantiam aliquam nuncupare prorsus simplicissimam, talem, quae idem sibi vult, et est, vulgoque dicitur *cogitatio*. Quod vocabulum a se abstrahit quamvis corporis sive materiae ideam, veluti a catholicae philosophiae magistris instituitur. Docent enim, subjectum cogitans non esse corporeum. Insuper Origenes aliquando mentis loco substituit πνεῦμα *spiritum* tanquam praecipui et praestantioris vocabuli νοῦς synonimum, aut illustrationem ex usu Bibliorum praesertim apostolicorum, sicubi agitur de hominis rationalis proprietatibus.

Quoad autem tertiam idest ψυχὴ nuncupationem huic spirituali substantiae inditam ab Origene, in suum de ea sensum exponendo, sedula discretione nobis opus est, ne in errorem labamur. Multiplicibus namque significationibus propter varium hujus *anima* vocabuli usum, praedita reperitur in Operibus origenianis, ita ut ejusdem definitio ex subjecta materia sit desumenda. Harum porro significationum amplitudinem Scripturae divinae testantur primum, cum ab eisdem eruitur, quodvis animatum, seu quodcumque animal *animam* nuncupari. Ac ita sane veteres hebraei animam dixerunt *nefesc*, sub hoc nomine comprehendentes omne quod vivit, sive in quo est alitus vitae. Et hinc omne animal rationale sive irrationale, homo scilicet et jumentum, reptile et volatile, animae compos vocatur in Scripturis. Ex. g. in Geneseos c. I. legitur: *ut sint vobis in cibum, et cunctis animantibus terrae, omnique volucri coeli, et universis, quae moventur in terra, et in quibus est nefesc anima vivens etc.*

Judaei autem Alexandrini, seu Septuaginta Interpretes hanc *nefesc* dictionem hebraicam in graecam ψυχὴ transtulere; et sic a Synagoga in Ecclesiam Christianam transvectum est hoc nomen hanc eamdem genericam significationem praeferens de quacumque animata et viventi substantia. Quapropter primaevi Ecclesiae Patres, Apostolorum discipuli, eorumdemque in dogmate et lingua haeredes, istud idem vo-

cabulum sermonibus suis inseruere, scriptisque mandarunt. Nisi quod, cum opus id vellet, hanc communem distinxerint nuncupationem, jumentorum, sive quarumvis irrationalium creaturarum animabus, uti hominum singillatim, quae sua erant ac propria, concedentes. Itaque Origenes, qui in omnibus apostolorum traditionibus inhaerentem se praebet, hoc *animae* nomen, tale a praedecessoribus accipiens, convenienter exposuit, quin unquam a veritate deficeret, ac potissimum de animae humanae dotibus discurrens.

Ac interim audiatur, quod ipse peculiari sermone in Libro II. *Periarchon* c. VIII. 1. scribit de anima: « Post haec jam ordo deposcit nos etiam de anima generaliter inquirere, et ab inferioribus incipientes ad superiora conscendere. Esse namque animas in singulis quibusque animalibus, etiam in his, quae in aquis degunt, a nullo arbitror dubitari. Nam et communis omnium hoc servat opinio; et confirmatio sanctae Scripturae auctoritatis accedit, cum dicitur, quia *fecit Deus cetos magnos et omnem animam animantium repentium, quae produxerunt aquae secundum genus eorum.* Ex communi vero rationis intelligentia confirmatur etiam ab his, qui definitionem animae certis determinant verbis. Definitur namque anima hoc modo, quia sit substantia φανταστικὴ et ὁρμητικὴ; quod latine licet non tam proprie explanetur, dici tamen potest *sensibilis* et *mobilis*. Quod utique convenit etiam de omnibus animalibus dici, et his, quae in aquis degunt; sed et in volucribus eadem definitio animae convenienter ostenditur..... De jumentis vero vel pecudibus, quod animantia sint, etiam apud communem opinionem nulla dubitatio est. Evidens tamen est divinae Scripturae sententia, cum dicit Deus: *Producat terra animam vivam secundum genus suum, quadrupedia et repentia et bestias terrae secundum genus.* Jam vero de homine quamvis nulli dubium sit, nec requirere aliquis possit: tamen et Scriptura divina designat, quod *Deus in faciem ejus inspiraverit spiramentum vitae, et factus est homo in animam viventem.* Superest de angelico ordine requirere, utrum et ipsi animas habeant, an animae sint, vel de ceteris divinis et coelestibus virtutibus, sed et de contrariis potestatibus etc. »

Hucusque Origenes, uti patet, communem Scripturae sermonem contulit; et quae inde hauriri potuissent, sive certa, sive dubia sibi forent, recensuit de anima. Quamvis porro tam latissime hoc nomen usurparit, ac in omnibus viventibus admiserit animam: verumtamen quoad hominis animam, sapienter invenit, statuitque, quidquam ipsi speciale privilegium inesse et exclusivum, idest spiritalitatem, rationalitatem, et immortalitatem; adeo ut in nomine tantummodo, non autem in re, conveniat animantium et hominum dictio *anima*. Quod privilegium jam a Patribus satis distinctum, illud ipsum confirmare satagebat Origenes adversus ejusdem oppositores, parum sollicitus de iis, quae putari et dici poterant de jumentorum et reptilium animabus.

Et reapse, etsi quandoque merum animae vocabulum sive de homine, sive de irrationalibus locutus adhibeat; attamen cum opus fuerit, non omisit perspicue declarare unius ab altera discrepantiam; quae illud significaret, quod antea ex ipsius ore definivi circa *νοῦν mentem* a quavis materiae idea abstractam. Istud vero discrimen notatur ab Origene specialim cum dictioni *ψυχή* attributum adjecerit *λογική*, unum sonans *anima logica* sive *rationalis*. Quod attributum (α λόγος ratio vocatum) cuique denegans animantium generi, dicit animae humanae *connaturatum* esse, corporique praestare. Quare et alio quodam peculiari titulo Origenes ipse sicuti et Clemens alexandrinus et Nyssenus hanc animae sublimissimam partem antonomastice appellarunt ἡγεμονικὸν, quippe omnium nostrorum actuum moderatricem.

Ceterum in hac animae nuncupatione, ob varias ejusdem relationes latissima, quanto jure necessariam viderit Origenes distinctionem, cum de homine loqueretur: quaerere ac recensere proderit, quos hinc inde suis libris obsignavit sensus hujus vocabuli, subtilibus quoque ac mysticis usus investigationibus. Quae ita studiose concinnatae sunt, ut statuatur, ipsum in hac quaestione sanae convenisse philosophiae, repudiatis vagis et falsis ethnicorum systematibus de animae nostrae origine et proprietatibus. Ac ideo quae videbantur aliquando dissona a praefata definitione, qua animae spiritalitatem determinavit, aequa fient discretione, consona.

In primis vero, ut diximus, patet, quoties Origenes animam consideravit synonimum mentis sive spiritus, quacumque materiae aut corporis notione superiorem constitui. Et sic in Libro I. *Periarchon* c. I. n. 7. jure eos corripit, qui aliter de anima sentiebant: « Siqui autem sunt, ait, qui mentem ipsam et animam corpus esse arbitrentur, velim mihi responderent, quomodo tantarum rerum tam difficilium, tam subtilium rationes assertionesque recipiat. Unde ei virtus memoriae? Et unde ei rerum invisibilium contemplatio? Unde certe rerum incorporalium intellectus corpori inest? Quomodo natura corporea disciplinas artium, rerum contemplationes rationesque rimatur? Unde etiam divina dogmata, quae manifeste incorporea sunt, sentire ac intelligere potest? etc. »

Quando autem hanc eamdem mentem sive spiritum consideravit Origenes membris corporeis veluti circumdatum, ac una ex eorum sensationibus agentem per quoddam temperamentum, quo tunc mens afficitur (et hoc praesertim animadversis malitiae effectibus ex protoparentum culpa derivatis in genus humanum) maluit potius ψυχή animam dicere, quam mentem: quacum defectum vel diminutionem ipsius mentis in Deum charitatis significaret, ejusque erga carnis opera, terrenaque desideria proclivitatem; aut certe propter quamdam cum ipsa carne familiaritatem. Ac propterea, ut infra dicetur, ex ipsius animae ψυχῆς sive, ex graeca etimologia, *refrigeratione, animam a divino amore frigescentem*, talem putat fuisse nuncupatam. Unde factum est, ut Adamantius aliquando animae tribueret, quod nunquam menti seu spiritui concessit, et e contra: diversis utique spectatis generis nostri conditionibus, seu in statu naturae purae, sive post peccatum, aut gratia divina in sacramentis cumulati, seu post obitum, aut in resurrectione: quae omnia doctrinae origenianae interpreti valde ponderanda sunt.

Profecto in Libro I. *Periarchon* c. I. n. 5. de Deo incomprehensibili humanae intelligentiae, ait: « Ita mens nostra cum intra carnis et sanguinis claustra concluditur, et pro talis materiae participatione hebetior et obtusior redditur, licet ad comparationem naturae corporeae longe praecellens habeatur, tamen dum ad incorporea nititur, atque

eorum rimatur intuitum, tunc scintillae alicujus aut lucernae vix obtinet locum. » Et quidem hujusmodi hebetudo et obtusitas hanc constituit, quam dicit ψυχὴ *animam*, relative minus se habentem quam mens sive spiritus. Et consequenter in Libro II. c. VIII. n. 2. addidit: « Et ideo requirimus ne forte substantia aliqua sit, quae secundum hoc, quod *anima* est, imperfecta sit. Verum utrum propterea imperfecta sit, quod a perfectione decidit, an talis a Deo facta sit, cum per ordinem singula discuti coeperint, requiremus. » Et ob hanc imperfectionem (addit Origenes) Apostolus ait: *orabo spiritu, orabo et mente*, mentem sciens magis Spiritui Sancto sociari, quam animam. Et paulo post apertius scribit n. 3: « Ex quibus omnibus illud videtur ostendi, quod mens de statu suo ac dignitate declinans, effecta vel nuncupata est *anima*. Quae si reparata fuerit et correcta, redit in hoc ut sit mens. » Similiter et ob eamdem rationem in Libro II. c. X. n. 7. ex Evangelii verbis: *pars eorum cum infidelibus deputatur*, ibi Origenes animam a spiritu consideravit separatam: « Si vero, paulo post dicit, hoc non de Dei spiritu, sed de animae ipsius natura intelligendum est, pars ejus melior illa dicetur, quae ad imaginem Dei et similitudinem facta est. Alia autem pars ea dicetur, quae postmodum per liberi arbitrii lapsum contra naturam primae conditionis et puritatis assumpta est: quae utique pars, utpote amica et chara materiae cum infidelium sorte mulctatur. »

Item in Libro III. c. IV. n. 1. *De humanis tentationibus* ait, haberi a quibusdam quaestionem solere: utrum velut duae animae in nobis dicendae sunt, una quaedam divinior et coelestis, et alia inferior: an vero ex hoc ipso, quod corporibus inhaeremus, trahimur et provocamur ad haec mala, quae corpori grata sunt. Deinde in n. 2. subdit: « Ex quibus primo illud discutiamus, quod astruere solent quidam, quia una sit bona in nobis anima et coelestis; alia vero inferior et terrestris etc. » Ac paulo post: « Ad haec ajunt etiam illud: *si caro repugnat adversum spiritum, et spiritus adversus carnem*, uti non quae volumus, illa faciamus; quae sunt de quibus dicit, *ut non quae volumus faciamus?* Certum est, ajunt, de spiritu non dici: non enim voluntas spiritus prohi-

betur. Sed neque de carne: quia si non habet animam propriam, sine dubio nec voluntatem habebit. Superest ergo, ut de hujus animae voluntate dicatur; quae habere potest propriam voluntatem, quae utique adversatur voluntati spiritus. Et si ita est, constat quod hujus animae voluntas, quaedam media est inter carnem et spiritum, uni sine dubio e duobus serviens et obtemperans, cuicumque obtemperare delegerit. Quae cum se delectationibus carnis subdiderit, carnales homines facit: cum vero se spiritui junxerit, in spiritu esse homines facit, et propter hoc spiritales nominari. » Et idcirco Homilia II. *in Hieremiam* n. 1. ex Sapientiae dictis: *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum*, sub duplicis animae speciem ob primitivorum culpam scribit: « Itaque non solum primi hominis anima, sed et universorum ad imaginem et similitudinem Dei facta est; et antiquior haec est imago, quae Dei est, imagine Zabuli, quam postea nobis induimus ob peccatum. »

Ex his ergo deducitur cur Origenes animam distinxerit a mente et spiritu, et cur aliquando duas in homine collocarit animas, unam scilicet intelligibilem et rationalem, alteram inferiorem sensationibus commixtam; quare videtur quandoque hanc animam consortem fecisse substantiae corporeae et carnis sustinentem dominationem. Quae omnia notavit Origenes, ex aliorum potius quam ex sua opinione tradens, ac intuitus potissimum genericam hujus vocabuli notionem prope Scripturae consuetudinem. Et sane nosse juvat, ceteroquin Origenem saepe distinxisse animam a spiritu et carne, quasi quid medium inter utrumque. In hac porro locutione, quin putetur ipsum existimasse corpori participem, et corpoream haberi mentem humanam; comprehenditur per eam animae mediationem inter spiritum et carnem, nequaquam νοῦν mentem aut spiritum proprie significari: sed improprie *animam* nuncupari varii generis sensationes, affectiones, commotiones modo ad bonum modo ad malum: quae frequentius in Scripturis hebraicis veniunt sub vocabulo *nefesc;* quaeque ab Apostolo dicitur appetitus sive concupiscentia; et quae aliter sibi vult quam mentem, aut spiritum, aut rationem; sed hominis voluntatem alias spiritui, alias carni parentem.

Itaque ex Libro VI. *in Epistolam ad Romanos* n. 1. inquit: « Est ergo in nobis et concupiscentia peccati, quae regnum habet in carne; est et concupiscentia spiritus, quae regnum habet in mente secundum id, quod supra diximus, *quia caro concupiscit adversus spiritum*, *spiritus autem adversus carnem*. Cum ergo concupiscimus quod non licet, vel quod non decet, vel quod non expedit, concupiscentia carnis est. Cum vero concupiscit et deficit anima nostra, quando videat salutare Dei, ista concupiscentia spiritus est. Unde apparet mediam quodammodo esse animam inter carnem et spiritum; et siquidem se carni jungit ad obediendum desideriis peccati, efficitur cum ea unum corpus: si vero junxerit se Deo, efficitur cum eo unus spiritus etc. » Antea vero in Libro I. n. 5. scripserat: « Puto quod consuetudine sua Apostolus utatur etiam in hoc loco, sciens, mediam semper esse animam inter spiritum et carnem: et aut se jungere carni, et unum effici cum carne; aut jungere se spiritui, et unum effici cum spiritu etc. » Item in n. 18. ait: « Frequenter in Scripturis invenimus, et a nobis saepe dissertum est, quod homo spiritus et corpus et anima dicatur esse. Verum cum dicitur, quia *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*, media procul dubio ponitur anima etc. »

Item Libro IX. n. 25. ab ipsius Apostoli dictis: *omnis anima potestatibus sublimioribus subjaceat*, ait, interdum in Scripturis hominem nominari per animam, interdum per carnem, interdum per spiritum. Cur autem Origenes hujusmodi distinctionem admiserit, hominem dicens spiritu constare anima et corpore; ab Apostolo edoctum id fecisse ait, ubi ad Thessalonicenses scribit in Epistola I. c. I. *Ut integrum corpus vestrum et anima et spiritus in die Domini nostri Jesu Christi servetur*. Et ob hoc de Verbo Dei incarnato inquit, spiritum assumpsisse, animam et carnem. Ideoque, posita hac distinctione, nemo velit, puto, Origenem corripere, quod ita disserens de anima, in errorem lapsus sit.

Quamvis autem in praefatis locutionibus animae notionem ab ea variam, quae vere indicet mentem sive spiritum in nobis logicum sive rationalem, comprehenderit Origenes; tamen multoties juxta communem nuncupationem, hoc nomine

usus est, ut vidimus, eodemque sensu, quo hominis mentem et spiritum accepit ac definivit. Item in hac definitione non est praetereundum, quod ipse tali animae quamdam corporis speciem coaptarit, ita ut videatur, nec simplex nec incorporea, nec spiritualis dici eadem posse. Nihilominus quomodo et cur ita dixerit, et quare nec ideo sit arguendus Origenes, audiatur.

In Libro VII. n. 5. adversus Celsum scribebat: « Praeterea si creditur non a christianis tantum et judaeis, sed etiam a multis aliis graecis et barbaris, vivere ac superesse animam humanam post suam a corpore separationem: si confirmat ratio, puram nec malitiae quasi massa plumbea oneratam, sublimem avolare ad ea loca ubi puriorum et aethereorum corporum sedes est, relictis hic deorsum crassis corporibus, eorumque sordibus; malam vero etc. » Si ex hac locutione interim eruatur, quidquam corporis concessisse Origenem animae; tamen luculenter distinxit hujus corporis qualitates, quod modo induit anima nostra, a corporibus purioribus et aethereis, ubi post obitum deget.

Sed nobis in hac re suffragatur, quod ipse docuit in Libro *De Martyrio* n. 47: « Et adhuc, inquit, homo vitam amat, cui persuasum est de substantia ψυχῆς λογικῆς animae rationalis, quod aliquam habeat cognationem cum Deo. Intelligibilia enim utraque sunt et invisibilia, et, ut invicta ratione demonstratur, incorporea. Cur etiam qui nos condidit, desiderium illud indidisset ipsum pie colendi, et cum eo communicandi, quod vel in iis, qui errant, nonnulla servat divinae voluntatis vestigia, si fieri non posset, ut quae ratione praedita sunt, id assequerentur, quod natura appetunt? Est etiam manifestum, sicut unaquaeque corporis pars ex natura habet cum aliqua re cognationem, oculi cum visibilibus, aures cum iis, quae audiri possunt: sic mentem cognationem habere cum intelligibilibus, et cum eo, qui intelligibilia superat, Deo. Quid ergo refugimus, et dubitamus, abjecto, quod nos impedit, corruptibili corpore et terreno tabernaculo, quod animam gravat, et onerat mentem sollicitam, vinculis absolvi; et carnis, et sanguinis fluctus evadere, ut cum Christo Jesu etc. » Intuere ergo, quod, licet

ex iis, quae contra Celsum dixerit, animam scilicet a corpore divisam ad sedem corporum puriorum evolare, hic relicto crasso corpore, quasi genus quoddam corporis necteret Origenes animae rationali, distinguat tamen ab eo, quod nunc gerimus, proindeque comprehendas quomodo penitus ἀσώματον incorpoream vocavit animam.

Sed de corporis subtilis notione, ut melius Auctoris nobis sensus pateat, praesto sunt, quae in Praefatione *Periarchon* n. 8. 9: notavit. Ibi namque, de Deo, de anima, ac ceteris rationalibus summatim agens, differentiam statuit corporis crassi et visibilis, ab eo, quod ex communi tunc temporis opinione dicebatur subtile ac tenue sicut aer: et ob hoc a quibusdam id vocabatur *incorporeum*. Deinde in c. I. Libri I. n. 2. explanat, unde talis derivavit corporis subtilis a crasso discrepantia, et ait: « Sed et his, qui per hoc, quod dictum est, quoniam *Deus spiritus est*, corpus esse arbitrantur Deum, hoc modo ego arbitror esse respondendum. Consuetudo est Scripturae sanctae, cum aliquid contrarium corpori huic crassiori et solidiori designare vult, spiritum nominare, sicut dicit: *littera occidit, spiritus autem vivificat*. In quo sine dubio per litteram corporalia significat, per spiritum intellectualia; quae et spiritualia dicimus. » Unde haec eadem, etsi cum de Deo loquimur, summa differentia constituenda sit, attamen proportione quadam animae nostrae logicae sive rationali (aut mens aut spiritus dicatur) aptari possunt pro communis intelligentiae usu; veluti et ipse Origenes egit, quamvis sibi persuasum foret, hunc spiritum extra quamcumque corporis ideam considerandum et habendum esse. Et ob hoc in praefato c. I. Libri I. n. 7. ajebat: « Verum qualem colorem mentis secundum hoc quod mens est, et intelligibiliter movetur, describere quis posset, aut dicere, non video. »

Haec praelibata modo sufficiant de generali animae humanae notione, ab Origene exposita. Opus deinde nostrum postulant, quae adversus eum ideo concinnatae sunt, oppositiones aut ab insciorum, seu malevolorum, sive librorum suorum falsatorum studio (unde deinceps bonae fidei viri illusi Auctorem reprobarunt) accurate investigare.

CAPUT XVI.

De mutuis s. Hieronymi et Ruffini contentionibus ex Periarchon *libris excitis circa animae essentiam et creationem, et speciatim circa animarum praeexistentiam, quam negavit Origenes.*

In primis illud locum teneat, quod legitur in Libro IV. *De Principiis* n. 36. et de quo Hieronymus scribit ad Avitum n. 14. dicens: « Ne parvam putaremus impietatem esse eorum, quae praemiserat (Origenes); in ejusdem voluminis fine conjungit, omnes rationabiles creaturas, idest Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, angelos, potestates, dominationes, ceterasque virtutes, ipsum quoque hominem secundum animae dignitatem, unius esse substantiae: « Intellectualem, inquit, rationabilemque naturam sentit Deus, et Unigenitus Filius ejus, et Spiritus Sanctus; sentiunt angeli et potestates, ceteraeque virtutes; sentit interior homo, qui ad imaginem et similitudinem Dei conditus est. Ex quo concluditur Deum, et haec, quodammodo unius esse substantiae. Unum addit verbum *quodammodo*, ut tanti sacrilegii crimen effugeret; et qui in alio loco Filium et Spiritum Sanctum non vult de Patris substantia esse, ne divinitatem in partes secare videatur, naturam omnipotentis Dei angelis et hominibus largitur. » Haec eadem notantur in Epistola Justiniani, et ab aliis ampliori declaratione adaucta.

Ab his tamen tum verbo tum sensu diversa tradidit Ruffinus in sua versione; et ob hoc ipse de omissione culpatur et varietate in hoc sermone servatis. Ita namque se habet textus Ruffini: « Puto sane operi huic nostro contrarium non videri, si etiam de immortalitate rationabilium naturarum, quam possumus breviter repetamus. Omnis, qui participat alicujus cum eo, qui ejusdem rei particeps est, sine dubio unius substantiae est, uniusque naturae. Ut puta: omnes oculi lucis participant, et ideo omnes oculi, qui de luce participant, unius naturae sunt. Sed licet omnis de luce participet oculus, tamen quoniam alius acutius, alius obtusius

videt: non omnis oculus aequaliter de luce participat. Et rursus: omnis auditus vocem vel sonum recipit, et ideo omnis auditus unius naturae est. Verum pro qualitate puri et sinceri auditus unusquisque velocius audit, vel tardius. Transeamus ergo ab his sensibilibus exemplis ad intellectualium contemplationem. Omnis mens, quae de intellectuali luce participat, cum omni mente, quae simili modo de intellectuali luce participat, unius sine dubio debet esse naturae. » Haec, inquam, arguitur Ruffinus, quod transtulerit aliter quam in graeco Origenis eloquio legebantur; et sic falsa Auctoris in vera demutarit.

Verumtamen primo loco fatendum est, hujusmodi varietatem contraire obtestationi, quam praemisit ipse Ruffinus in Prologo versionis Libri III. inquiens: « De creaturis vero rationabilibus siquid novi dixisse visus est (Origenes) quia non in hoc est summa fidei, scientiae gratia et exercitii, cum forte nobis adversum nonnullas haereses tali ordine necessario respondendum est, neque in his libellis, neque in superioribus praetermisi, nisi siqua forte jam in superioribus dicta repetere etiam in his posterioribus voluit: et brevitatis gratia aliqua ex his resecare commodum duxi. » Ideoque ni mendacii arguatur Ruffinus, dicendum est, eumdem, ubi Adamantius de rationalibus egit creaturis, nihil ab originali demutasse; proindeque in sua versione, sive vera, sive falsa, sive dubia scripserit Origenes, in his uti fidelis habendus est interpres; nec aliquid ipsum dissimulasse in translatione asserere licet.

Quapropter si sincera (quod quaero) habenda sit et prope originalem Adamantii textum versio Ruffini, siculi neque reprobandum sit, quod Auctor docet, tunc tanquam spuriam Hieronymi translationem, ac una ibi falsatam Origenis mentem statuendum est. Et ita reapse: Origenes enim ut legistis, proposita similitudine lucis, cui omnes participant plus vel minus oculi juxta majorem vel minorem eorumdem tensionem, transit a sensibilibus ad intellectualia, ostendens mentes omnes, seu in ordine spirituum coelestium sive in ordine animarum hominum, communicantes pariter luci intellectuali divinae naturae, unius debere esse substantiae; et ita

immortalitati pari ratione participare. Ideoque cum dicit Origenes: *omnis mens .... unius debet esse naturae*, non respicit Dei naturam, quasi Deus ejusdem essentiae esset cum spiritibus coelestibus et animabus hominum. Verum ait mentes hominum et angelorum, cum ejusdem sint naturae proindeque luci intellectuali divinae naturae participes, necessario pariter sicuti coelestes spiritus, ita et easdem immortales et incorruptibiles esse.

« Si ergo, subtili et apta disquisitione subdit Origenes, coelestes virtutes intellectualis lucis, idest divinae naturae (quasi diceret lucis, quae emanat a divina essentia uti paulo post melius explicat) per hoc quod sapientiae et sanctificationi participant, participium sumunt: et humanae animae ejusdem lucis et sapientiae participium sumpserunt; ita sunt unius naturae ad invicem, uniusque substantiae. Incorruptae autem sunt et immortales coelestes virtutes, immortalis sine dubio et incorrupta erit etiam animae humanae substantia. Non solum autem, sed quoniam ipsa Patris et Filii et Spiritus Sancti natura, cujus selius intellectualis lucis universa creatura participium trahit, incorrupta est et aeterna, valde consequens et necessarium est, etiam omnem substantiam, quae aeternae illius naturae participium trahit, perdurare etiam semper et incorruptibilem esse etc. » Unde constat valde differre, et aliud haberi: *esse unius substantiae coelestes et humanos spiritus cum Deo*, et aliud esse: *eosdem spiritus creatos participare divinae naturae per lucem et sapientiam*. Et hoc ultimum tantummodo sibi velle Origenem declaratur in iis verbis: « Si ergo coelestes virtutes participium sumunt intellectualis lucis, idest divinae naturae per hoc, quod sapientiae et sanctificationi participant etc.: » Ne dicamus de reliquis, ubi totus est Auctor in eo, ut ostendat impium fore asserere, mentem humanam, quae Dei capax est, substantialem recipere interitum, cum ad imaginem et similitudinem Dei factus est homo. Quae omnia, cum arcte inter se coeant, variant sane a sensu et a scopo, quem ibi Hieronymo ceterisque visum est reperire, ex quo codicibus interpolatis fidem praestiterint.

Ast ad majorem Ruffini interpretationi conferendam perspicuitatem et pondus, adeo ut Hieronymi et aliorum versio abjiciatur, et altera acceptetur; huc illud, quod de eodem argumento scribit Origenes in *Exhortatione ad Martyrium* n. 47. revocetur, ubi inquit: « Et adhuc homo vitae amans est, cui persuasum est de substantia animae rationalis, quippe habentis aliquam cum Deo cognationem. » Et paulo post « Est etiam manifestum, sicut unaquaeque nostri pars ex natura habet cum aliqua re cognationem, oculi cum visibilibus, aures cum iis, quae audiri possunt; sic mentem cognationem habere cum intelligibilibus, et cum eo, qui intelligibilia superat, Deo. » Ob intelligentiam igitur tantum, qua praeditus est homo, quamdam cum Deo affinitatem servat; et ideo in c. I. n. 7. Libri I. *De Principiis* eos arguit, animam humanam corpoream arbitratos, dicens: « Et nolunt hoc intelligi, quod propinquitas quaedam sit menti ad Deum, cujus et ipsa mens intellectualis imago sit: et per haec possit aliquid de divinitatis sentire natura, maxime si expurgatior sit et segregatior a materia corporali. »

Tandem ut cuique pateat, quo jure meritoque Ruffini translatio in citato paragrapho magis sensui Origenis concors probetur ac altera Hieronymi reprobetur, utpote impia et irreligiosa ita ut ne excogitari quidem possit talia scripsisse Auctorem, animadvertantur, quae non cursim sed ex professo contra Heracleonem haereticum (Joannis verba: *Spiritus est Deus, adorantes oportet adorare in spiritu et veritate* ratum sic declarare) in Tomo XIII. n. 25. ait: « Pro dignitate, inquit Heracleon, ejus, qui adoratur spiritaliter, non carnaliter: etenim ipsi ejusdem naturae cum Patre existentes sunt spiritus, qui secundum veritatem et non secundum errorem adorant, quemadmodum et Apostolus docet dicens *rationabilem cultum*, talem Dei cultum. » Sed contra ista stans Adamantius ait: « Sed annotabimus, an non valde sit impium dicere, quod adorantes Deum in spiritu et veritate, ejusdem sint essentiae cum ingenita illa et undequaque beata natura, quos paulo ante dixerat ipse Heracleon lapsos fuisse, cum Samaritidem diceret spiritualis existentem naturae, meretricatam fuisse. Sed haec dicentes, non vident omnino

contrariorum rem eamdem esse capacem. Quod si spiritualis natura, quae ejusdem est substantiae ac divina, fornicari potuit, profana et impia et irreligiosa de Deo consequuntur ex eorum ratione: ac ne sine periculo quidem conferri possunt haec inter se atque imaginari. » Verum de his satis, dum neminem latet quo studio prope catholicum dogma animorum et spirituum coelestium affinitatem cum Deo vindicavit Origenes; quod scilicet luce divina superfusi sint, sapientia et immortalitate; ac insuper docuit eosdem a Deo in tempore conditos esse, nec semper cum eo fuisse.

Maximi vero momenti quaestio, quae in hoc capite praecipuum locum tenet, quaeque Origenis adversariis praetextum latissimum detulit incusationibus adversus ejusdem scripta, et praesertim *Periarchon*, tanquam prava ac peregrinis fabulis contexta, versatur de animarum origine, conditione, vicibusque diversis, quibus ante earum in corpora infusionem obnoxias fuisse creditur docuisse Adamantius, et cetera hujusmodi; quae omnia interpretum ingenium satis defatigarunt. Priusquam vero, ubi haec leguntur, disquirantur, enucleanda sunt, quae scribit Auctor in paragrapho 5. Prooemii Operis praefati : « De anima autem utrum ex seminis traduce ducatur, ita ut ratio ipsius, vel substantia inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur; an vero aliud habeat initium, et hoc ipsum initium, si genitum est, aut non genitum : vel certe si extrinsecus corpori inditur, nec ne : non satis manifesta praedicatione distinguitur. »

De his interim nemo miretur, haud ignorans, Origenem lectorem monere de quaestionibus, quae deinde ordinatim tractandae sunt, tantummodo, quin inde suam exponat sententiam. Scopus enim illius, quisque videt, summatim tradendi est, quae manifestissime tunc temporis in Ecclesia indubia tradebantur juxta apostolicam praedicationem, in quibus censet, praeter alia, uti definitum : *omnem rationabilem animam esse liberi arbitrii et voluntatis*. Deinde circa ejusdem animae infusionem in corpora ait, *non satis manifesta praedicatione distingui*. Quasi diceret non esse definitum in ecclesiastica praedicatione ita ut fidelium nonnulli, diversi ab invicem, diversa de hoc sentirent; sicuti paulo ante notavit

n. 2. plures ea aetate christifideles fuisse, qui in parvis et in magnis discordabant. Et amplius paulo post subdit, Apostolos christianis evangelizantes, omnia quae necessaria forent credenda, manifeste tradidisse. De ceteris vero: subdit, dixerunt, quia sunt; quomodo autem, aut unde sint, siluerunt: profecto ut studiosiores quique ex posteris suis, qui amatores essent sapientiae, exercitium habere possent, in quo ingenii sui fructum ostenderent: hi videlicet, qui dignos se et capaces ad recipiendam sapientiam praepararent. » Et hinc est, quod ibidem Origenes tanquam quaestionum historicum tunc in Ecclesia invalescentium se se gerat; quarum deinde separatim subit uti censor, et judex, animi sui sensum proferens: uti sapientissime de ipso scribit divus Athanasius in Epistola n. 26 *De Filio Patri coaeterno*.

Ex his praemissis, unde desivimus, revertamur investigantes quid sensit ac docuit Origenes in c. VIII. n. 3. 4. Libri II. Ubi non quaerenda est tantum versionum tum Hieronymi tum Ruffini discrepantia, verum etiam (accepto et probato nihil in hac materia de exemplari graeco innovasse Ruffinum) argumenti scopus, num scilicet quidquam ibi sit falsi ac catholicae philosophiae contrarii. In citatis namque paragraphis adversarii lapsum putant Origenem in animarum praeexistentia statuenda, ceterisque huic errori affinibus.

Adamantius itaque postquam plura exposuit de animae definitione et juxta divinas Scripturas et philosophorum scholas, incidit in dicta Epistolae ad Corinthios c. XV. *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*, unde ostendit Apostolus in resurrectione nihil animale futurum: « Et ideo (subdit Origenes n. 2.) requirimus ne forte substantia aliqua sit, quae secundum hoc, quod anima est, imperfecta sit, quod a perfectione decidit; an talis a Deo facta sit, cum per ordinem singula discuti coeperint, requiremus. Si enim animalis homo non recipit, quae sunt spiritus Dei, et pro eo quod animalis est, melioris naturae idest divinae, intelligentiam recipere non potest, hac fortassis de causa evidentius nos Paulus docere volens, quid sit, per quod ea, quae sunt spiritus, idest spiritalia, intelligere possumus, mentem magis, quam

animam Spiritui Sancto conjungit ac sociat. Hoc enim puto eum ostendere, cum dicit ex I. ad Corinthios c. XIV. 15: *orabo spiritu, orabo et mente, psalmum dicam spiritu, psalmum dicam et mente.* Et non dicit, quia anima orabo, sed spiritu et mente: et non dicit, anima psallam, sed spiritu psallam et mente.

« Sed fortasse requiritur: si mens est, quae spiritu orat et psallit, et ipsa est, quae et perfectionem percipit et salutem; quomodo dicit Petrus in Epistola I. c. I. 9: *percipientes finem fidei nostrae salutem animarum nostrarum?* »

Versio Ruffini

« Si anima cum spiritu nec orat nec psallit, quomodo sperabit salutem? Aut si cum ad beatitudinem pervenerit, jam anima non dicetur? Sed videamus ne forte possit hoc modo responderi; quia sicut Salvator venit salvare quod perierat, etiam cum salvatur non est perditum, quod prius perditum dicebatur. Ita fortassis etiam hoc, quod salvatur, anima dicitur; cum autem jam salva facta fuerit, ex perfectione partis suae vocabulo nuncupabitur. Sed et illud adjici posse videtur quibusdam; quia sicut hoc, quod perditum est, erat sine dubio antequam periret, cum aliud nescio quid erat quam perditum, sicut erit utique cum jam non est perditum; ita etiam anima, quae periisse dicitur, videbitur fuisse quid aliquando, cum nondum periisset; et propter hoc anima diceretur; quae rursum ex perditione liberata, potest iterum illud esse, quod fuit antequam periret et anima diceretur. »

Versio s. Hieronymi

« Unde cum infinita cautione tractandum est, ne forte quum animae salutem fuerint consecutae, et ad beatam vitam pervenerint, animae esse desistant. Sicut enim venit Dominus atque Salvator quaerere et salvum facere quod perierat, ut perditum esse desistat; sic anima, quae perierat, et ob cujus salutem venit Dominus, quum salva facta fue-

rit anima, anima esse cessabit. Illud quoque pariter requirendum est, utrum sicut perditum aliquando non fuit perditum, et erit tempus, quando perditum non erit, sic aliquando anima fuerit non anima, et fore tempus, quando nequaquam anima perseveret. »

Utriusque et Ruffini et Hieronymi versione descripta, utriusque simul sensum sedulo perscrutemur. Et quoad Ruffini translationem, ex praefatis jure sermonis Origenis ratio desumenda est, ubi ait: « Et ideo requirimus ne forte substantia aliqua sit, quae secundum hoc, quod anima est, imperfecta sit, quod a perfectione decidit, an talis a Deo facta sit, etc. » Hinc Origenes ex more suo subtiles disquisitiones impendens in divinis Scripturis explanandis, animam a spiritu, seu animale a spiritali, haud secus ab Apostolo, distinguit, adjiciens quod spiritale est, animali praeferendum: ex quo mens, sive spiritus divinae naturae intelligentiam assequi potest; ideoque idem Apostolus inquit: *orabo spiritu, orabo et mente*. Attamen obviam sibi facere cernens objectionem ex beati Petri verbis petitam: *percipientes finem fidei nostrae, salutem animarum nostrarum*, inde quaerit: si anima cum spiritu nec orat, nec psallit, quomodo sperabit salutem? Aut, cum ad beatitudinem venerit, num anima non dicetur?

Huic oppositioni respondens resumit, quod antea de quadam animae imperfectione dixerat, statuens talem se habere animam ex eo, quod sua culpa deciderit a perfectione, et amplius eamdem tamen nec *animae* nuncupationem amittere quamvis Redemptorem invenerit. Idcirco sic Origenis verba componuntur. Quemadmodum Salvator venit ut salvaret, quod perierat; et quod perierat, non putandum ex eo perditum esse; ita existimandum est, animam quoque, licet salva facta sit per Christum ab imperfectione sua, talem nihilominus vocari *animam*, uti ait Petrus *salutem animarum nostrarum*; cum aliter juxta Pauli dicta ex primaeva sua conditione *spiritus* sive *mens* vocanda foret. Insuper inde de vocabulo *perditum* disserens, inquit, quod est perditum, jam sine dubio erat antequam periret. Ratione pari anima, quae periisse dicitur, priusquam periret, erat; ita ubi post perditionem salvata fuit, item anima nuncupatur. Quae om-

nia non nisi eorum, quae divus Petrus dixit in eo sermone: *percipientes finem fidei nostrae, salutem animarum nostrarum* respiciunt interpretationem, ut hoc nimirum Petri testimonium congruenter ceteris collocaret Origenes, quae Paulus praefatus erat: *orabo spiritu, orabo et mente.* Haec nihilominus postea majori luce clarescent.

Ac interim eorum sensus penderetur, quae Hieronymus et Auctor Epistolae ad Mennam diversimode ab eo, quod vertit Ruffinus interpretati sunt. Sed quid dicam? Qualis nimirum hujus translationis sensus? Qualis cum praecedentibus convenientia? Qualis Scripturae testimoniis analogia ab Origene descriptis in praevio sermone, quae sibi adstiterunt tanquam ratiocinii sui basis? Mihi, siquis id polleat, explanet. Vide confusionem, vide dolum (cujus tamen Auctor non extitit Hieronymus, uti infra dicetur). Ex. g. *anima fuit, et non fuit. Anima quae salutem a Domino consecuta fuerit, non erit amplius; cessabit esse anima. Erit tempus, quando anima non perseveret etc.* In quibus excutiendis cum immorari vanum et superfluum duco, judicio lectoris remitto horum consequentiam. Et potius ad reliqua, ubi de animae etymologia ac mystica ejusdem significatione ex graeco vocabulo petita, agitur ab Origene, et de quibus pariter offensi sunt tum veteres tum recentiores, animum intendamus.

Itaque ordine, quo incepimus, servato, Auctorem sequamur, ubi scribit: « Sed et ex ipsa nominis animae significatione, quam in graeco indicat, visum est et nonnullis requirentibus curiosius, posse non mediocrem suggeri intellectum.» Deinde e Scripturis probare conatur omnia, quae sancta sunt, a Deo incipiendo, incalescere: *Deus noster ignis est consumens;* et ex adverso mala omnia, a diabolo incipiendo, frigescere: « Si ergo, subdit, ea quae sancta sunt, et ignis et lumen et ferventia nominantur; quae autem contraria sunt, frigida, et charitas multorum refrigescere dicatur, requirendum est ne forte et nomen animae, quod graece dicitur ψυχὴ, a frigescendo de statu meliori ac diviniori dictum sit: et translatum inde, quod ex calore illo naturali et divino refrixisse videatur; et ideo in hoc quo nunc est, statu, et vocabulo sita sit. Denique proprie *laudabiliter* animam poni in Scri-

pluris sanctis require si facile invenias; *culpabiliter* autem frequenter occurrit, ut ab Ecclis. c. VI. 4.: *anima mala perdit eum, qui possidet eam: et anima quae peccat, ipsa morietur*. Postea enim quam dictum est: *omnes animae meae sunt, sicut anima patris, ita anima filii mea est;* utique consequens videbatur ut diceret, ex Ezech. c. XVIII. 4. *anima quae agit justitiam, ipsa salvabitur; et anima quae peccat, ipsa morietur*. Sed nunc videmus quoniam quod culpabile est, adjunxit ad animam; quod autem laude dignum erat, reticuit. » Pergit

Versio Ruffini

« Videndum ergo est, ne forte sicut diximus, ex ipso nomine declarari, ab eo quod refrixerit a fervore justorum et divini ignis participatione, ψυχὴ idest *anima* appellata sit, nec tamen amisit facultatem restituendi se in illum statum fervoris, in quo ex initio fuit. Unde et Propheta tale aliquid videtur ostendere, cum dicit: *revertere anima mea in requiem tuam*. »

Versio latina Epistolae ad Mennam

« Ex eo quod decidit et refrixit a spiritali vita, facta est anima; quae etiam in id, quod ab initio fuit, redire potest. Quod a Propheta significari arbitror, dum ait: *revertere anima mea in requiem tuam*, ut totum hoc sit mens. Mens igitur facta est anima; anima vero recte factis integrata, fit mens. »

Versio s. Hieronymi

Hieronymus porro in Epistola ad Avitum n. 6. sic transtulit paraphrastice praefatam sententiam: « Νοῦς idest mens corruens facta est anima; et rursus anima instructa virtutibus mens fiet. Quod et de Esau scrutantes possumus invenire, propter antiqua peccata eum in deteriori vita esse damnatum. Et de coelestibus requirendum est, quod non eo tem-

pore, quo factus est mundus, solis anima, vel quodcumque eam appellari oportet, esse coeperit, sed antequam lucens illud et ardens corpus intraret. De luna et stellis similiter sentiamus, quod ex causis praecedentibus, quamvis invitae compulsae sint subjici vanitati ob praemia futurorum, non suam facere, sed Creatoris voluntatem, a quo in haec officia distributae sunt. »

Ob haec et cetera hujusmodi aliunde ab hoc Opere *De Principiis* excerpta, seu falsata, sive prae inscitia non aeque comprehensa, sive aliis de causis, contra Origenem anathema sancitum est, veluti legitur in Epistola Justiniani: « Siquis, inquit, dicit, aut sentit praeexistere hominum animas, utpote quae antea mentes fuerint et sanctae virtutes, satietatemque cepisse divinae contemplationis et in deterius conversas esse, atque idcirco refrixisse a Dei charitate, et inde ψυχὰς graece idest *animas* vocatas esse, demissasque esse in corpora supplicii causa, anathema sit. »

Attamen sic versa Origenis verba, non convenire liquet inter se, nec Ruffinum cum Auctore Epistolae, nec utrumque cum interpretatione Hieronymi; et ob hanc varietatem Editores Ruffinum palam accusarunt quod *multa omiserit in sua interpretatione:* et hoc antea, et nunc dico falsum est. Ruffinus enim ipse in Prologo obtestatus est nihil, ubi agebatur *de Rationabilibus*, mutasse de graecis codicibus Origenis. Ac ideo siquid Hieronymus et Auctor Epistolae in sua versione obsignarunt erroneum et varium ab eo, quod interpretatus est Ruffinus; vel Origenis mentem non percepisse, seu codices prae manibus habuisse corruptos, unde tales sequerentur falsitates, fatendum est. Ceterum patet ex Ruffini versione nihil erui posse, quod dogmati catholico obstet; vel saltem in quo animi haec sentientis et scribentis perversitas manifestetur. Eoque magis quod Origenes bis in hac *de Anima* quaestione ait, se more tractandi et requirendi, multa discutere, non autem veluti dogmata proferendi.

His praemissis, quid sibi velit Origenes in citata pericope perscrutemur, praecipue ubi ipse ψυχῆς animae nuncupationis fontem disquirit; num scilicet ea, quae dicit, confundenda sint cum philosophorum commentis de animabus a coelo la-

psis, divina charitate saturatis, et ad earum poenas in humana corpora immissis, siculi de mutationis causa nominis *mens* in *animae* alterum, et de similibus etc. Origenes ergo ubi discrepantiam reperit ex sacris Libris inter spiritum et animam, in eadem investigatione persistens, visus est sibi ex etimologia quoque ψυχὴ tanquam *frigida* probare posse spiritus, sive mentis praestantiam super ipsam animam. Deinde rationem quaerit, num jure quodam anima hoc ditetur nomine.

Horum porro sensus et ratio verborum ab iis repetenda sunt, quae supra contexuit circa corpus animale ab altero spiritali distinctum; et ubi quaerit num anima sit nec ne imperfecta; et posito quod sit imperfecta, utrum a Deo talis facta sit. Ex quo praeclare constat, Origenem statum conditionis humanae ante peccatum et post peccatum ibi comprehendere, deque eo decernere. Quasi diceret: hominis mens in conditione diviniori creata, et in qua degebat ante peccatum, erga Deum, post peccatum ab eodem fervore friguit. Et id reapse totum est, quod ait Adamantius. Homo a Deo conditus ad imaginem et similitudinem suam, mente scilicet et spiritu compos, divinaeque lucis particeps et intelligentiae supernae, perspicue Deum et omnia quae Dei sunt, comprehendebat, in simplicitate et innocentia cordis ambulans coram eo, in paradiso Dei situs.

Postquam vero peccavit homo, Deo rebellis factus, ejus mens ab ipso fervore naturali in Deum et hinc ab eo diviniori et nobiliori statu decidens defervuit; cum caro adversus spiritum concupiscere coepit, peccati lex legi mentis repugnare, charitas imminui, homo coelestis terrestris factus. Quantumvis porro mens ab hoc sublimi statu delapsa sit, et tenebris hujus seculi obvoluta, carnalibus passionibus mancipata ejusque in Deum charitate frigescens incederet, fieri tamen, haud prorsus amissa sui arbitrii facultate, fieri tamen posse ait in illum statum restitui, unde decidit juxta Prophetam dicentem: *revertere anima mea in requiem tuam.* Cum enim ex propria libertate anima ψυχὴ talis facta est, scilicet per peccatum charitate defervens, neque sic a Deo creata; ideoque (subdit in Libro IV. n. 36.) per eamdem ar-

bitrii facultatem anima frigescens denuo in mentem fervidam evadere potest a frigiditate conversa, culpa emendata; cum in se semper habeat velut semina quaedam reparandi ac renovandi melioris intellectus.

Hujusmodi porro Origenis metaphoricus de anima sermo amplius explanatur ab Homilia VIII. *in Hieremiam* n. 1. ubi distinguit animam habitatam ab anima deserta: « Idcirco, inquit, quantum possumus laborare nitamur, ut habitata anima nostra a sapientia Dei erigatur. Cecidit quippe et de sublimi corruit, venientibus nobis in locum istum miseriarum. Cecidit habitata anima nostra, postquam peccavimus, inique fecimus, injuste egimus, impie gessimus: et post ruinam indiget erectione. Si autem non vis ista sententia adduci, communem totius orbis quaeramus ruinam, post casum ejus consequenter Deus erigens praedicatur. Quicumque est in isto orbe, ante erectionem cecidit. Si autem cecidit, consequenter erigendus fuit: nemo quippe sine casu sublevatur. Si autem erectus est, videamus quae ruina praecesserit. Omnes corruimus per peccatum in orbe terrarum. Est Dominus, qui erigit elisos: et elevavit nos jacentes. In Adam omnes morimur; atque ita corruit orbis terrarum, et indiget erectione, ut in Christo omnes vivificemur. » Et quis tam stolidus erit ut hanc Origenis expositionem proprie comprehendat de animarum nostrarum dejectione aut lapsu de sublimi aut de coelis in terram, unde denuo erecturus erat Christus? Quando perspicue ibi sermone figurato describitur totius generis humani conditio post Adami peccatum?

Igitur cum ita nec aliter se habeat Origenis elocutio, quid inde statuendum est circa animarum praeexistentiam, earumque peccatum, cujus ergo dejectae e coelo, hic tanquam in poenam peccati sui humana corpora induissent? Praeterea, si in dictionibus ab Auctore adhibitis: *mens facta est anima: anima rursus effecta est mens*, quidquam obscurius reperiatur, conferantur, quae alibi *in Epistolam ad Romanos* c. I. n. 18. verba interpretatus: *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*, inquit: « Media procul dubio ponitur anima, quae vel desideriis spiritus acquiescat, vel ad carnis concupiscentias inclinetur.

Et siquidem se junxerit carni, unum cum ea corpus efficitur in libidine et concupiscentiis ejus; si vero se sociaverit spiritui, unus cum ea spiritus erit. »

Verumtamen quod huic quaestioni admodum prodest contra ea, quae praefati scriptores exprobrarunt Origeni, traditur et explanatur a Tatiano in Oratione *adversus Graecos*, a quo plura ipse detulit Origenes. Nemini porro mirum sit, quod huc Tatiani opiniones transferam; quippe eodem ipsum, quo Origenes, errore culpari vulgo innotescat. Hoc sane me minime latet: attamen puto, suis dictis expositis, quae maximam cum altero affinitatem in usu loquendi servant, ob formulas adhibitas, quae non nisi metaphorice seu improprie animadvertendae sunt; fore puto, inquam, ea adjumento pro ipsius dignoscenda mente, qua de anima humana scripserit, ejusque vicibus, quas, stante protoparentum culpa, passa est. Et sic ex Origene et Tatiano vicissim patefiet, quo sensu eadem formula de animarum lapsu sumenda sit.

Tatianus itaque n. 12. ita spiritus, qui sunt in hominibus distinguit: « Duo spirituum, ait, discrimina novimus; quorum alter anima vocatur, alter anima praestantior, Dei imago et similitudo. Uterque primis hominibus inerat, ut partim ex materia constarent, partim materiam praestantiores essent. » Paulo post n. 13. addit: « Neque enim anima spiritum servavit, sed ab eo servata est; et lux tenebras apprehendit. Est autem Verbum divina lux; tenebrae vero imperita anima. Quapropter si degat (anima) solitaria, deorsum ad materiam vergit una cum carne moriens. Cum divino autem spiritu copulata anima non caret auxilio, sed eo ascendit, quo deducitur a spiritu. Hujus namque sedes in supernis; istius generatio in inferioribus locis. Ab initio quidem spiritus animae convictor erat; sed enim sequi nolentem, deseruit. Illa autem cum ejus virtutis quasdam veluti scintillulas retineret, sed ab eo separata, intueri res sublimiores non posset, dum quaerit Deum etc. » Item n. 15. « Jam vero oportet, ut, quod habentes amisimus, id nunc quaeramus, et animam cum Spiritu Sancto copulemus et ad conjunctionem cum Deo enitamur. Non igitur simplex est hominum anima, sed ex multis partibus constat. Est enim

composita ita ut per corpus manifesta fiat. Neque enim unquam ipsa sine corpore apparuerit; nec caro resurgit sine anima etc. »

Cum interim loqui sinam circa Auctoris hujusmodi animae definitionem, num sit nec ne tota ista discussio recto sensui universim uniformis; satis mihi est in nostra quaestione contra adversarios ostendere, nunquam statui posse, Tatianum opinatum esse, animas ob peccatum de coelo lapsas, cum ait *animam per corpus manifestari*, et *nunquam sine corpore apparere*. Nisi alterum absurdum velis, homines aliquando corpore, spirituque praeditos de coelis, ceu fabulosos Titanes, dejectos ipsum docuisse. Siquis autem ex eodem diceret hominum animos a coelo lapsos ob peccatum, quodammodo staret difficultas. Verumtamen cum hoc non dicat Tatianus, penitus fallitur adversarius. Non enim ullimode, nec primam nec secundam opinionem ostentat Tatianus, sed longissime ab his abit.

Is sane totus in his versatus discussionibus, quibuscum philosophorum ethnicorum errores et vitia vellicantur, hominis studet adstruere infirmitatem ob protoplastorum peccatum, quod in omnes de ea generatione natos pertransiit: *in quo omnes peccaverunt*, ut ait Apostolus. Ideoque prope ejusdem Apostoli sensus cc. VI. et VII. *ad Romanos*: *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato: sapiens quae carnis sunt: obediens concupiscentiis ejus*: *quod operatur in me peccatum etc.* ajebat Tatianus animam solitariam deorsum ad materiam vergere, una cum carne morientem; aut aliis verbis, materia animam voluit redigere in servitutem. Quod luculentius n. 16: « Daemones, inquit, qui hominibus imperant, non sunt hominum animae. Ii namque dum pro sua nequitia in homines debacchantur, deorsum vergentes eorum animos, variis et fallacibus machinationibus pervertunt, quominus ad viam coelorum erigi possint. » Nihilominus, etsi in hac conditione homines sint, docet eos Tatianus hortatus quaerere, quod amisere, et animum suum cum Deo sociare, et ita eo ascendere, quo a spiritu deducitur etc.

Et quis poterit inde tam falsas consequentias eruere, uti vulgo praesumitur, de animarum lapsu e coelis penes gen-

tilium philosophorum commenta? quando ipse contra haec veluti praecipuum scopum venit ac pugnat, alias asserens christianorum institutiones, quam graeci tenebant; ac super omnia gentium studia, Evangelii extollens dogmata de Deo, de angelis, et de hominibus? E quibus omnibus in praesenti quaestione illud unum sufficeret, quod ait, *daemones hominibus imperantes non esse animas humanas.*

Quamvis porro, ut infra dicetur, quandam pro suo argumento similitudinem sibi comparet Tatianus sicuti et Plato; tamen omnino unius mens in hoc ab altero variat. Dicit enim n. 20: « Atqui mundus ad se nos detrahit; et propter infirmitatem mentis materiam quaerimus. Ab initio quidem, perfecto spiritu, anima tanquam alis erigebatur: quibus amissis peccati culpa, pulli instar volavit, et humipeta evasit. Et cum e divina familiaritate decessisset, inferiorum rerum desideravit commercium. Daemones emigrarunt: ejecti sunt primi generis humani parentes: illi de coelo pulsi, hi e terra, non ab hac quidem, sed ab alia, ubi vitam degebant praestantiorem. Deinceps igitur oportet nos, impedimentis omnibus rejectis, pristinam conditionem magno desiderio repetere. »

Vide ergo similitudinem ejusque applicationem; ac una cernito angelorum et hominum culpam, et ipsorum poenam. Illi de coelo pulsi idest angeli apostatae: isti idest homines non ex coelo, sed de terra ejecti, sive de paradiso voluptatis. Atque hinc intelligito tropice dictum *animae volatum* a divino consortio, et terrenae concupiscentiae quodammodo alligatae, quin tamen penitus amitteret divinae comprehensionis scintillam. Propterea, sicuti Tatiani, ita et Origenis manifestiorem sensum percipito; quo uterque recta incedens, veraque professus, alter alterius propugnat fidem sinceram. Quinimmo Origenes haud nescius Platonis placiti de misera animae humanae conditione in hoc mundo, aliti aequiparata, quae amissis alis, in terram decidit, historiae mosaicae tamen mavult credere mysterio, Adami et Evae enarrantis a paradiso ejectionem, quam a Jovis horto, de quo fabulatur Philosophus. In Libro IV. n. 40. contra Celsum, ait: « Item quod homo et mulier e paradiso ejecti sunt, induti tunicas

pelliceas, quas illis propter eorum peccatum fecerat Deus, id mysterium quoddam continet multo praestantius, quam quod Plato tradit de anima, quae evulsis alis huc decidit, donec aliquid solidum nanciscatur, ubi consistat. » Ceterum si in usu vocabulorum ambo Tatianus et Plato conveniant; in notione tamen, eorumque idea mutuo desciscunt; veluti ex contextu patet. Quapropter et ex Origenis et Tatiani consertis testimoniis hucusque illustratis, nunquam statui potest, quod praetendunt adversarii, nec animarum corporibus praeexistentia, nec illas ob peccatum supplicii causa e coelo demissas, nec ideo corporibus fuisse inclusas.

Cetera vero ab Hieronymo huic paragrapho adjecta, et a Ruffino sicuti et in Epistola ad Mennam omissa circa animam Esau propter antiqua et praecedentia peccata damnati, et circa solis, lunae et astrorum aliorum animas (quae ob praecedentes causas fuerint vanitatis obnoxiae etc., et de quibus alibi sermo erit) acceptis et probatis antea expensis de animae et mentis distinctione juxta Origenem facta, merito conjicitur, nullum ea ibi habere locum, et ideo huc aliunde traducta ab aliena manu. Quae quidem Adamantii considerationes de varia spiritus humani sorte ob protoparentum culpam, sinistre acceptae, veluti hujus generis aliae ex his *Periarchon* libris et potissimum ex capite VII. Libri I. sententiae desumptae, quae accommodari videbantur huic assertioni, ejusdem Origenis sensum genuinum a suo scopo, et simul a veritate longe propulsarunt. Et inde factum est, ut ipse corriperetur in quo non erravit.



CAPUT XVII.

Expugnatur insimulatio contra Origenem instituta ob ipsius errores aut incertitudinem circa animae humanae initium et essentiam, intentis speciatim, quas ex philosophia graeca collegit, de hac re opinionibus.

Adversus hucusque disputata sentio aliquem adversum me stantem, objicere. Etsi non probetur ex praefatis Origenem non admisisse animarum praeexistentiam sicuti neque multo minus earum peccatum, unde e coelo delapsae forent; nihilominus manifestum est, eumdem in aliis libris, diversisque quaestionibus, haud firmiter se se gessisse circa animarum principium earumque in corpora emanationem; sed variis philosophorum opinionibus obsecutum errasse.

Quoad hanc oppositionem primo statuendum tanquam ab eo indubie acceptum et probatum circa animae spiritalitatem est, quod in Libro I. *De Principiis* c. I. n. 7. ait: « Siqui autem sunt, qui mentem ipsam animamque corpus esse arbitrentur, velim mihi responderent, quomodo tantarum rerum tam difficilium, tamque subtilium rationes assertionesque recipiat? Unde ei virtus memoriae? Et unde ei rerum invisibilium contemplatio? unde certe incorporalium intellectus rerum corpori inest? Quomodo natura corporea disciplinas artium, rerum contemplationes rationesque rimatur? Unde etiam divina dogmata, quae manifeste incorporea sunt, sentire ac intelligere potest? etc. » Item in *Exhortatione ad martyrium* n. 47. incorpoream et invisibilem statuit animae essentiam; sicuti contra Celsum Libro VI. n. 71. incorporalem animam vocat, neque igne solvendam: et cetera quae superius de hac re praemisimus.

His praemissis, sic quaestioni satisfacimus. Patet utique, ter Origenem, ni fallor, veluti syntagma compegisse opinionum omnium de anima tunc invalescentium. Id porro brevi sermone notavit in Prologo *De Principiis* n. 5. dum scribit: « De anima vero, utrum ex seminis traduce ducatur, ita ut ratio ipsius, vel substantia inserta ipsis seminibus corpora-

libus habeatur, an vero aliud habeat initium; et hoc ipsum initium si genitum est, aut non genitum: vel certe si extrinsecus corpori inditur, nec ne: non satis manifesta praedicatione distinguitur. » Verum in *Canticum Canticorum* Libro II. v. 8. latius haec eadem exponit ex Libri Sapientiae verbis: *ipsa enim mihi dedit horum, quae sunt, sapientiam veram etc.* dicens: « Inter haec ergo animae erit quaedam etiam sui agnitio; per quam scire debet, quae sit ejus substantia, utrum corporea vel incorporea, et utrum simplex, vel ex duobus aut tribus, an vero ex pluribus composita. Sed et juxta quorumdam quaestiones utrum facta, an omnino facta a nullo: et si facta sit, quomodo sit facta. Utrum, ut putant aliqui, in semine corporali etiam ipsius substantia continetur, et origo ejus pariter cum origine corporis traducitur: an perfecta extrinsecus veniens, parato jam et formato inter viscera muliebria corpore induitur.

« Et, si ita sit, utrum nuper creata veniat, et tunc primum facta, cum corpus videtur esse formatum, ut causa facturae animandi corpus necessitas extitisse credatur: an prius et olim facta, ob aliquam causam ad corpus sumendum venire existimetur: et si ex causa aliqua in hoc deduci creditur: quae illa sit causa, ut agnosci possit, scientiae opus est. Sed et illud requiritur, utrum semel tantum corpore induatur, et id postmodum depositum ultra non quaerat; an cum semel susceptum deposuerit, iterum assumat: et si secundo sumptum semper habeat, an aliquando iterum abjiciat. Et si quidem secundum auctoritatem Scripturarum consummatio immineat mundi, et corruptibilis hic status in incorruptibilem mutabitur, ambiguum non videri quod in praesentis vitae statum secundo, aut tertio in corpus venire possit. Nam si recipitur hoc, necessario sequitur, ut hujusmodi successionibus consequentibus finem nesciat mundus. Et adhuc cognitionem sui anima requirat, si est aliquis ordo, aut sunt aliqui spiritus ejusdem substantiae cum ipsa, alii vero non ejusdem, sed ab ea diversi, idest si sunt et alii spiritus rationabiles ut ipsa est, et alii carentes ratione: et si eadem est ipsius, quae et angelorum substantia, quoniam rationabile a rationabili nequaquam differre creditur . . . . . Quod

si non per singula, quae supra diximus, semetipsam cognoverit, et vigilanter exercuerit in verbo Dei et lege divina, continget ei de his singulis opiniones colligere diversorum; et sequi homines nihil egregium, nihil e Spiritu Sancto locutos. »

Quid enim totus hic variarum opinionum nexus indicat, quem ob oculos animae fidelis opponit Origenes, videt, qui consilium ejusdem in hac re percipit, eidem animae praestitum *nosse teipsam,* ac dare operam agnitioni sui per exercitia doctrinae studiaque divina, ut inter multas tunc invalescentes et diversas et vagas opiniones de animae rationalis natura, se se exerceat in verbo Dei; atque ita homines ceteros aspernata, sectetur in Spiritu Sancto locutos. Ceterum ex propositis quaestionibus, nihil inde statui potest, quid Origenes de animae statu senserit. Cum enim uti historicus similia enarret, quid haec faciunt in argumentum? Illius porro de hac re sententia inde eruenda, ubi censor subit, et judex de hujusmodi variis assertionibus. Ac ideo studium nostrum in eo navandum est, ut hinc illinc dictis, quibus suos libros inspersit Adamantius, collectis, statui possit judicium, quod ipse emiserit de anima, ejusque natura et infusione in corpora.

Et primum quidem manifestum est, Origenem docuisse unius ac ejusdem naturae esse animas humanas; et qui contrario senserint, inter haereticos numerandos esse: « Sed et illi (inquit *in Epistolam ad Titum,* ex Apologia s. Pamphili c. IX.) qui non omnes humanas animas unius ejusdemque naturae dicunt esse vel substantiae, sed diversas naturas animarum, inter eas haereses numerandi sunt, quae iniquitatem in Excelsum loquuntur; et injustitiam et iniquitatem ejus accusant. » Secundo satis constat, Origenem non obiter, sed perpetuo sibi consectarium, animam rationalem propugnasse incorpoream, incorruptibilem, invisibilem, et immortalem: unde necessario sequitur, eumdem nequaquam dicere potuisse, animas per traducem a parente in filium transmitti: tunc enim anima omnes subiret vices, quas patitur corpus. Nihilominus non deest nec defuit, qui ipsum de hac opinione redargueret, sicuti de altera quoad animarum praeą-

xistentiam corporis creationi, uti superius de anima Christi notavimus.

In his porro imputationibus contra Origenem congestis, mirum sane illud est, quod ab unis tanquam per traducem animam corpori humano communicari, ab alteris ipsam olim a Deo creatam, ac postea tempore opportuno corporibus ab ipso Deo inseri, eumdem docuisse asseratur. Quisque namque novit secundam opinionem excludere primam; ideoque aut incertum in utraque se gessit, ignorans cuinam haereret, aut unam acceptavit, altera seposita. Insuper cum incorpoream essentiam dicat esse animam; necesse sequitur, Origenem nefas reputasse, animam hanc una cum corpore gigni in sinu matris ac membrorum conformatione, et ejusdem corporeae naturae partem constituere; nisi in antilogiam lapsus putetur, nunc corpoream, modo incorpoream animam existimans.

Interea adversariorum argumenta ordinatim scrutemur, ut quandoque patefiat, Adamantium vere animam sensisse tunc primum a Deo (neque vero a parentibus) creari cum corpus ipsum (non autem olim, seu antequam corpus esset) organis instructum fuerit in alvo materno. Jam patent quae supra de anima Christi expendimus. In praesenti pro utraque quaestione investigetur quod scribit *in Joannem* Tomo XX. 2. ubi ait: *si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite,* cui testimonio conferens praefatum: *novi quod Abrahae semen estis*: « Si hic textus, inquit, corporaliter comprehendendus esset, illud omnino videretur sequi, ut hi, quibus loquebatur Jesus, essent etiam filii Abrahae; concesso quod semen sit etiam filius, et non dato juxta accuratam intelligentiam. Sed quoniam ex moribus et operibus judicantur filii Abrahae, vide ne forte designandi sint, qui sunt semen Abrahae ex rationibus quibusdam seminalibus, quae inseruntur, ut puto, quibusdam animabus. Et sicuti, quod ad corpus attinet, non omnes homines sunt semen Abrahae, sic juxta ea, quae modo explicuimus de his, *qui sunt semen Abrahae*, manifestum est, quoniam non omnes homines advenerunt ad hanc humanam vitam cum rationibus omnino seminalibus illorum animabus insertis. Quorum causam autem propter magna ju-

dicia, dictuque difficilia (ab his inspecta, qui Christi mentem perceperunt, ut videant, quae a Deo sunt ipsis donata) pauci comprehendere possunt; qui diligentius investigarunt tum ea, quae generationi praecedunt, tum ea, quae in ipsa generatione cujusque sunt etc. »

Primum ex his dignoscitur, talia Origenem haesitanter proponere ac timore. Secundo, nihil inde erui potest, eumdem ideo sententiam de anima per traducem corporibus inserta propugnare. Quinimmo cum eodem tempore animarum praeexistentiam excludat, pariter corpus ab anima (seu potius spiritu et mente) secernit juxta praefatam definitionem, unum materiale, alteram spiritalem confirmans. Perspicue enim λόγους σπερματικοὺς *rationes seminales* corpori insertas distinguit ab eodem corpore, quod ratione caret, in ordine diverso istud collocans.

Deinde si accurate hujus locutionis scopus attendatur, percipitur illum ad id verti, num scilicet fieri posset, ut aliquis fidem et opera Abrahae habeat et faciat, quamvis non sit filius ejus, seu ex generatione sua habens in se et ipse rationes seminales (intelligentiam), quibus justitiam operetur sicuti et filii Abrahae. Huic respondens quaestioni, inquit hoc fieri posse, etsi hujusmodi rationes seminales non omnibus sint communes animabus, sed tantummodo nonnullis. Ex his ergo (inferiori loco mandata hujus mysterii consideratione) ex his ergo siquis probare vellet, Origenem animae derivationem per traducem a parente in filium, neque vero a Deo, docuisse; tunc dicendum foret, non omnes per traducem anima donatos, ast solum nonnullos. Et quid inde consequeretur, cernito: nonnullae enim animae per traducem, pleraeque diversimode in hominum corpora venirent.

Verumtamen profundiori attentione explorata Origenis mente in eo paragrapho, et praesertim in verbis *rationes seminales*, abesse a veritate non videor, statuens, non proprie comprehendi et dici ibi vocabulum *semen* sive *seminale*, sed metaphorica, seu potius anagogica locutione uti Auctorem, veluti de spiritualibus cuique fas est loqui, immo necessarium; ac ideo eas seminales rationes jure ad intimum hominis sensum spectare, ut eas colat et foecundet. Quasi di-

ceret Origenes, quosdam ex speciali Dei dono, plura a Domino accepisse comprehensionis munera, quam ceteri; ex. g. filii Israel relate ad ceteras gentes: quamvis tamen ipsi degenerare potuerint non excolentes hujusmodi seminales rationes, animabus suis insertas, idest nec opera nec fidem patrum suorum servantes. Et ob hoc paulo post n. 3. semina corporalia conferens seminibus rationalibus, ista vocat *anagogica et mystica semina*, satisque prima a secundis in relatione secernit. Et sic inde de Abrahamo disserens ait. « Qui quidem justorum omnium se praecedentium, rationes seminales, quas in seipso habebat, cum excoluisset, his etiam addidit sanctam suam qualitatem; nempe eam, quae erat in proprio semine; cujus participes esse possunt, qui post ipsum vocarentur semen Abrahae. At vero Arram minimam suipsius, paternorumque in seipso seminum curam habuisse videtur. » E quibus magis aditus patet ea intelligendi, quae supra dixit Origenes.

Sed et his adjiciantur, quae in n. 5. de eodem argumento docet: « Quin etiam addemus, quod, ut in rebus corporalibus unum interdum semen operari valens, magis proficit, quam multa semina: sic cernere etiam liceat in seminibus spiritalibus. » Et paucis interjectis sequitur: « Attamen nec cum similibus iisdemque seminibus venimus omnes; nec etiam vacuus salutaribus et sanctis seminibus venit quisquam. Nisi forte hac in re quis nos refellat, praesidium a Deo proveniens ducens in medium, quod ne de pessimis quidem desperat, qui nullis seminibus optimis in vitam venerint. Et sane ex hoc dicto refellere nos quis potest: *potens est Deus ex his lapidibus suscitare filios Abrahae.* » Ob hujuscemodi autem speciales praerogativas, quibus a Deo cumulatum est semen Abrahae, idest populus Israel prae ceteris gentibus (quamvis his quoque non deesset intelligentiae semen, quo Deum scirent, eum colerent, justitiam servarent etc.) ait Origenes satis periculosum esse de his disserere: difficilia sunt enim, ac ideo in dispensatore mysteriorum Dei magnam requiri prudentiam in talibus proferendis et excutiendis coram auditoribus; de qua re alibi habebitur sermo.

Porro, hac discussa quaestione de rationalibus seminibus homini ingenitis et speciatim de usu improprio, sive mystico dictioni *semen* ab Adamantio indito, sicuti hucusque investigavimus et unde excluditur commentum, animam ex ejus opinione per traducem, et non a Deo, corporibus immitti; via inde aggerata ad ceteras objectiones diluendas, contra Origenem frustra excitas, instruitur. Et reapse: de Joanne namque Baptista locutus ex testimonio: *fuit homo missus a Deo, nomen illi Joannes*, disputat de verbis *missus a Deo*: « Accuratius (inquit Tomo II. *in Joannem* n. 24) aliquis audiens *missus*, quoniam qui mittitur, alicunde et aliquo mittitur, quaeret unde Joannes sit missus et quo. » Animadverte hic prius, Origenem non ex se, sed ex alterius ore quaestionem agere. Et sic paulo post ex ipsius mente investigantis illorum verborum sensum, dicet fortasse: « Ex quo de Adamo scriptum est, quod *emiserit eum Dominus Deus e paradiso voluptatis, ut coleret terram, e qua sumptus fuerat*: ita Joannes missus fuerit vel e coelo, vel e paradiso, vel ex alia parte, alicunde tandem, ad hunc super terram locum; et missus fuerit, ut testaretur de luce. » Hucusque clare eruitur, Origenem alterius, quam suam proferre sententiam de missione Joannis; ac ideo siquem errorem de animabus coelitus a Deo missis in terram, ibi comprehendere velis, non ipsi imputandus est Origeni; sed illi, ex cujus ore loquitur.

Et sane id constat e sequentibus ubi subit Auctor dicens: « Habet autem non contemnendam objectionem sermo hic, quoniam scriptum sit apud Isaiam: *quem mittam, et quis ibit ad populum hunc?* Et respondens Propheta, inquit: *ecce ego, mitte me.* » Dein insuper, cum multa dixerit Adamantius de missione Joannis alteri Isaiae simili, ex adversarii ore subsumens, inquit: « Adhuc ad probandum, quod alicunde ex alio loco missus sit Joannes, qui corpus assumit, causam non aliam adventus sui in vitam habens, quam *ut testaretur de luce*, majoris ponderis est quod repletus de Spiritu Sancto ex utero matris suae dicitur a Gabriele, qui nunciavit Zachariae quidem ortum Joannis, Mariae autem Servatoris nostri inter homines adventum; et illud etiam: *ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in*

gaudio infans in utero meo. Qui enim cavet ne quidquam vel injuste, vel casu, vel privata electione faciat; antiquiorem esse Joannis animam, quam corpus, admittat necesse est, et antea subsistentem missam fuisse ad ministerium testandi de luce. Ad haec haud ita contemnendum est etiam illud: *Hic est Elias, qui venturus est.* Si autem praevaleat universalis de anima opinio, tanquam non συνεσπαρμένης τῷ σώματι seminata cum corpore (idest non conserta corpori eodem tempore, quo corpus in alvo materno fingitur) sed ante ipsum existat anima, et ob varias causas carnem et sanguinem induens, particula *missus a Deo,* non videbitur amplius dicta, ceu res quaedam eximia de Joanne. Itaque omnium pessimus, homo peccati, filius perditionis dicitur apud Paulum mitti a Deo: *propter hoc enim,* inquit, *mittit illis Deus actionem erroris, ut credant mendacio etc.* »

Hinc primum, ut apparet ex orationis nexu, instat disceptator circa locutionem *missus a Deo,* quasi non de simplici Joannis legatione ad praedicandum judaeis Christi adventum instar aliorum, qui ante fuere, prophetarum; sed de diversa et distincta missione, vel de coelo, sive de paradiso, seu aliunde, ibidem indicari probare conatur ex Evangelii testimonio de ipso Joanne, qui repletus est Spiritu Sancto adhuc ex utero matris suae, et exultavit in gaudio infans in utero ejusdem. E quibus arguit necessarium esse ei, qui cavet ne quid faciat casu vel injuste, ut animam Joannis admittat corpore antiquiorem esse; et cum sic antea subsisteret, ad ministerium praedicationis missam fuisse; cui, addit, adstipulatur: *hic est Elias, qui venturus est,* ac ideo tenere universalem opinionem tanquam non cum corpore seminatam animam, sed eidem praeexistentem juxta praefatam hypothesim, animam nimirum Joannis corpori praecessisse; et tunc nihil eximium servari et concipi in verbis *missus a Deo,* cum nempe omnium animae corpori praecedant in creatione.

Quare comprehenditur, Origenem contra verba secum disceptantis, communi adversari opinioni de animarum praeexistentia, neque velle ex Joannis nativitate quidpiam conjicere, quod animarum creationi ante corpora suffragetur; cum verba *missus a Deo* aliter explanare studeat, quam de

animarum praeexistentia; uti postea dicit: « At vide, num hanc quaestionem sic solvere possimus, nempe quod 'sicuti simpliciter omnis homo, eo, quod creatus sit a Deo, homo est Dei; sed nullus homo est Dei, nisi qui Deo fuerit addictus, quemadmodum Elias, et qui in Scripturis inscribuntur homines Dei; ita dici posse, communiter omnem hominem a Deo missum esse; proprie autem non alium a Deo mitti, quam qui ad ministerium divinum, et ad obeundam humani generis salutem in vitam advenerit. » Quod deinde ab exemplis e Scriptura petitis firmat.

Praeterea attendenda est locutio *de anima corpori conseminata* collata praecedenti discussioni de ratione seminali; quam dictionem metaphorice sive anagogice ab Origene sumi probatur; nec insuper ullo modo inde institui, ita proprie seminatam animam, ut per traducem ad corpus humanum venire dicatur. Item eodem sensu accipienda sunt, quae Origenes ait in Tomo VI. n. 7. Christi sermonem de Joanne interpretatus, *si vultis accipere, ipse est Elias*, *qui venturus est*, ubi animae substantiam ab altera corporis secernens, varias de ipsa anima componit quaestiones tunc invalescentes, veluti supra notavimus. Eaque propter spondet se aliquando facturum: « Praecipue vero, atque alio tempore, ait, inquirenda est diligentius, diutiusque indaganda ratio de substantia animae, deque principio formationis ejus, atque ingressu ipsius in corpus hoc terreum. » In qua quaestione dicit, necessario proponendas esse etiam rationes illorum qui volunt secundum Scripturas, ut anima cum corpore seminetur, et quae sunt consectaria eisdem rationibus etc.

Item Tomo XIII. 49. considerandum est, quod scribit circa angelos destinatos, satis corporibus, ad inserendas eisdem animas, ac ita in unum temperamentum duo congregant, quae sunt natura contraria, deducens, idem simul initium temporis utrumque habere tam animam tam corpus, nec unam alterius existentiam praevenire; nec multo minus inde conjicere fas esse, posita hac distinctione a contrariis, animas per traducem a patre in filium transmitti. Quod porro dicit de angelorum ministerio in corporibus animas serendi, cum alibi a Deo immitti asserat, eadem ratione et sensu comprehen-

dendum est, quo in Scripturis Actuum Apostolorum c. VII. et ad Galatas c. III. 19. notatur, per angelorum ministerium Legem populo Israel datam fuisse.

Quod autem de eodem argumento Tomo XX. 7. scribit, quosdam nimirum verba Salvatoris: *omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*, convertere ad quasdam animas incorporatas, quae priusquam oriantur, edoctae fuerint apud Patrem, et ab eo audiverint etc. nullimode propriae Origenis sententiae obest. Primo namque speciale Dei donum erga animas nonnullas comprehenditur, non vero de universis assertum: secundo, quod non suam, sed alterius proponat Origenes opinionem inter ceteras interpretationes, quas ibi describit circa dominica dicta: *omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* » Tertio hoc sub nomine *incorporatae animae* totum hominem idest animam et corpus simul comprehendens, dicit, antequam nascantur, homines hujusmodi a Deo praedestinatos esse. Et sic postea has animas addit, quosdam credentes repraesentare de populo Israel. Ex quibus cunctis excluditur Origenis opinio de animarum praeexistentia.

Verum hujus generis argumentum validum, inquiunt adversarii, quo probetur Origenem, ante corpora conditas animas, et amplius tenere easdem variis hominum seu ferarum corporibus supplicii causa illigari, deducitur ex ejusdem Commentario *in Matthaeum* Tomo XIII. 17. ubi verba Evangelistae disquirit: *expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* In quibus notanda sunt, quae prius speciatim de eo dicit, qui offensioni locum dederit, cui opus erit molae suspensio collo suo et demersio in profundum maris; quasi ad curationem illius id conferat. Qui enim talem in mari poenam dederit idoneam, ubi draco ille est, quem *formavit Deus ad illudendum ei*, et prout ei utile fuerit, punitus tandem et afflictus, postea novum recipiet statum exemptus a laboribus, qui sunt in profundo maris.

Deinde in ipsa investigatione persistens subdit: « Molarum enim discrimina sunt; ita ut earum aliqua, ut ita dicam, humana sit, alia asinaria. Ac humana quidem illa est,

de qua scriptum est: *duae molentes erunt in una mole; una assumetur, et altera relinquetur*: asinaria autem, quae ei circumponetur, qui offensionem et scandalum praebuerit. Dixerit autem aliquis, an recte vel male, mihi non liquet, asinariam molam corpus esse hominis nequam, grave et deorsum tendens, quod in resurrectione assumet, ut in abyssum, quae maris profundum appellatur, ubi draco ille est, quem formavit Deus ad illudendum ei, demergatur. Alius autem offensionem uni e parvulis praebitam, ad potestates hominibus invisibiles referet. Multa enim et ab his scandala in parvulos ab ipso Jesu indicatos, derivantur. Postquam vero scandalizaverit unum e parvulis a Jesu monstratis, qui crediderint in eum, asinariam molam assumet (ipse puer) corruptibile nempe corpus animam aggravans, e collo suspensum illius, quod trahit eum ad hujus vitae negotia, ut per ea dejiciatur horum existimatio; et postquam luerint poenas, in eo fiant, quod illis utile erit molae asinariae beneficio. »

Etsi vero caligine obvolutus videatur hujus pericopae sensus, attamen eumdem arbitror longe ab eo ire, quem interpretatus est Huetius de animarum corporibus praeexistentia, et amplius ab eo, qui supponat transmigrationem animarum in aliena corpora. Duas namque tradit Origenes expositiones et quidem allegoricas in citata verba de *mola asinaria*. Prima respicit pravi hominis conditionem in vita futura post resurrectionem, cum gravatus noxis instar molae asinariae in profundum inferni demergitur; et ibi nulla difficultas. In altera porro expositione (cujus nullum vestigium in Veteri latina Interpretatione) de pusillorum scandalis agit per occultas virtutes contrarias in illis excitatis. Ac ideo postquam unus ex his parvulis in Jesum credentibus ab his virtutibus contrariis, quae sunt in carne peccati, scandalum passus fuerit, molam asinariam sumet, idest corpus corruptibile culpis gravatum gestans secum, quod illum trahit in inferiora hujus miserae vitae negotia, donec spe frustratus ob horum vanitatem; poenisque ideo datis per hujus molae gravamen, in bonum proficit. Et in hoc maxime tendit sermo Auctoris, hominis naturae ex peccato infirmitatem considerantis: in quam virtutes contrariae facile surgunt, ut

quibus sensationibus hoc merito pati a divina providentia judicatae sunt, idest ut torquerentur a daemone, vel alia ratione excitarentur. » Et sic praecedentis sermonis ordini omnia concordant.

Quae vero sequuntur etsi obscura, tamen ex contextu ejusque sensu nequeunt avelli: « Liberi, inquit, namque arbitrii semper est anima, etiam in corpore hoc, etiam cum extra corpus est: et libertas arbitrii vel ad bona semper, vel ad mala movetur: nec unquam rationabilis sensus, idest mens vel anima sine motu aliquo vel bono vel malo esse potest. » Consentanea iis, quae superius dixit Auctor, cùm ista sint, non inde consequitur, animarum praeexistentiam admisisse corporibus. Iis namque verbis: *liberi arbitrii semper est anima etiam in corpore hoc, etiam cum extra corpus est,* idest, ait, a sensibus corporeis abstracta, in quo abstractionis statu anima pariter libera est; nimirum post obitum corporis anima manet in suo arbitratu. Nequaquam vero ibi animae conditionem considerat seorsim a corpore creatae a Deo et ante ipsius constitutionem in alvo materno. Cum enim antea discutit in corpore animae statum, et postea extra corpus, excludit ipsius animae creationem ante corporis compagem; sed revera indicat, quid futurum sit animae a corpore disjunctae; in quo separationis statu, dicit animam quoque servare arbitratum suum. Cujus tamen arbitrii pro eo tempore idest in vita futura, libertas distinguitur ab ea, qua utitur anima in corpore degens.

Hanc porro distinctionem apprime notavit in Libro VI. n. 10. *in Epistolam ad Romanos*: « Manere quidem, ait, naturae rationabili liberum arbitrium semper, non negamus; sed tantum esse vim crucis Christi et mortis hujus, quam in seculorum finem suscepit, asserimus etc.... Quid autem sit, quod in futuris seculis teneat arbitrii libertatem, ne rursus corruant in peccatum, brevi nos sermone Apostolus docet dicens: *charitas nunquam cadit.* » Hoc enim in loco confutat Origenes nonnullos, asserentes, quod in futuris iterum seculis necesse sit mortem pati Christum, ut liberari quoque possint ii, quos in praesenti dispensationis ejus medicina sanare non potuit. Ideoque manere quidem statuit in natura arbitrii

virtutem in seculo venturo, verumtamen istam charitati invincibili obnoxiam pro beatis, sicuti pro damnatis aversioni a Deo, insuperabili, in qua mortui sunt.

Quamobrem ad citatam pericopem reversi, Origenis sensum assequemur statuentes, animam in ipso infantis ortu, et etiam ante ipsius ortum, dum adhuc in utero matris degit, sicuti in futurum tempus semper, boni vel mali sensationem pati, a Deo dispensari; nequaquam vero de aevo conceptioni pueri in alvo materno praecedente indicasse, quasi animae praeexistentiam in coelis putaret; quod sane non excogitavit Adamantius. Ideoque ibidem subdit: « Quos motus causas praestare meritorum verisimile est etiam priusquam in hoc mundo aliquid agant: ut pro his meritis vel causis per divinam providentiam statim a prima nativitate, immo et ante nativitatem, ut ita dicam, (nimirum dum adhuc est in sinu matris, non vero antea) vel boni aliquid vel mali perpeti dispensentur. Et haec quidem (concludit) dicta sint de his quae videntur hominibus, vel a prima nativitate statim, vel etiam antequam in hunc lucem prorumpant, evenire. »

Cum itaque ex Ruffini versione Auctoris scopus in citato argumento, et quidem dogmati catholico unisonus, perspicue pateat; discere deinde vellem quidquid occultetur in Hieronymi translatione ex iisdem verbis elaborata, cum Origenem loquentem inducit, quod lactentes malis spiritibus repleantur, et in hariolos inspirentur, ita ut etiam daemon pythonicus eos possideat: « Quos derelictos esse apud providentiam Dei, cum nihil tale patraverint, ut istius modi insaniam sustinerent, non est ejus; qui nihil vult absque Deo fieri, et omnia illius justitia gubernari. » Hoc inquam eloquio quid sibi velit Origenes, et quomodo praecedentibus conveniat, quis divinare poterit, nescio. Quomodocumque tandem sit, certum tamen est, Origenis sermonem fractum esse ab interprete, neque argumentationem ad terminum suum perductam, quo perduxit ex suo codice Ruffinus; nec ideo ulla fides Hieronymi versioni adhibenda est.

Ceterum quod ibi excutit Origenes, principale ipsius argumentum est, varios casus investigandi, quibus anima humana a propitiis et adversis virtutibus movetur ad agendum

in unoquoque vitae suae tempore; et eo usque aliquando fieri, ut etiam ex primo infantis ortu sicuti et in ventre materno diversimode agitentur homines ob causas soli Deo cognitas, alios ad probitatis actiones, alteros ad pravitatis studium; quippe quotidie *adversarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret.*

Alterum et quidem impar testimonium contra Origenem de animarum praeexistentia deducunt ex his quae scribit deinde Tomo XIV. n. 7. *in Matthaeum* ex Parabola de homine rege, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Cujus sensum mysticum perscrutatus, ait, unicuique nummos rationales a Domino dispensatos esse majore vel minore numero, prout quis capax foret eos administrandi; ut postea juxta donorum varietatem, quibus a Deo quisque plus vel minus ditatur, ab ipso Deo ratio quandoque de eisdem exigatur. Quibus subdit: « Et siquis sane animadverteret varietatem animae humanae; et admodum differentes ab invicem bonas vel malas naturae dispositiones consideraret ad plures vel pauciores virtutes, et ad istas vel ad illas; is fortasse intelligeret, quomodo unaquaeque anima venerit cum nonnullis Patrisfamilias nummis una perfectioni rationis elucescentibus etc. » Ex his itaque haud probatur animam variis talentis ditatam, neque antea neque post corpori immissam. Sed potius docet Origenes animam a Deo indi corpori in alvo materno ficto (vox enim *venit* tropice sumitur prope Evangelistae locutionem: *omnem hominem venientem in hunc mundum*) variis intelligentiae muneribus compotem; quae deinde excolit, rationis perfectionem assecuta.

Quae autem ex hoc Commentario citavi, Huetii versio suppeditavit. Vetus vero Interpretatio, quam in Prima Parte pluribus argumentis praeferendam duxi, etiam in hoc loco nostrae disquisitioni satisfacit. Sic enim praefatam Adamantii locutionem exposuit: « Et siquis consideret varietatem humanarum animarum, et ingenia hominum distantia inter se, quoniam iste quidem facit ad plures virtutes, ille autem ad pauciores, alius vero ad istas facit, ad illas autem non facit, forsitan intelligere potest, quomodo unaquaeque anima venit cum aliquibus dominicis pecuniis in hunc mundum. »

Quid haec commune habeant cum opinione de animarum praeexistentia, dicant adversarii.

Nihilominus oppositores ad suae interpretationis fulcimentum, aliunde sententiam mutuantur, tanquam e coelo animas dejectas, sive lapsas, docuisset Origenes; eaque legitur in eodem Tomo XIV. n. 17: « Ac Dominus, inquit, quidem, qui vir est, propter Ecclesiam Patrem reliquit, quem intuebatur *cum in forma Dei esset;* reliquit vero et matrem, cum supernae Hierusalem filius esset; et suae, quae hic sive in hoc mundo ceciderat, uxori adhaesit; et duo in carne una hic effecti sunt. » Et quis non viderit Auctorem ibi sub typo divini effati: *erunt duo in carne una*, de Ecclesia loqui, cujus sponsus est Christus; qui propter eam Patrem reliquit, et matrem quoque deseruit (idest coelestem Hierusalem) cum ipse esset filius ejus; et suae adhaesit uxori, nimirum Hierusalem terrestri, sive Ecclesiae generis Adami; cui, quum ob peccatum ceciderit, divinum auxilium opus erat se se a lapsu levandi causa? quod auxilium praestitit ei sponsus ejus Christus, ac universae illius generationi, quae cum eo peccaverat: « Nam propter eam, subdit, caro et ipse factus est, quando scilicet: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis etc.* »

Pariter in eadem opinione persistentes ex parabola de *operariis mercede conductis* Tomo XV. in eumdem nn. 34. 35. et speciatim ex verbis: *quid hic statis tota die otiosi*, Origenem arguunt, cum ait: « Ego vero reconditam de anima et arcanam sententiam in hac totius diei ad horam usque undecimam cessatione illorum, ac otio delitescere opinor. » Etsi enim ipsi forent animo prompto et expedito ad vineam excolendam, tamen se se excusabant confidenter dicentes: *nemo nos conduxit.* » In quibus utique verbis Auctor plura expendenda reperit, non de animabus quasi e coelo deorsum dimissis in corpora ob peccata, uti frustra visum est; sed de illis extra vineam otiosis stantibus, et qui sese vocarent, praestolatis. Quos jure arbitrabatur Origenes, etsi postrema hora diei vocatos, ut vineam adirent excolendam, dignos tamen fieri mercede eadem, qua primi donati sunt. Non enim, inquit, ex voluntate propria, seu ex animi desidia operam

in vineam renuebant exhibere, cum Domino vineae responderint: *nemo nos conduxit*. Otiosi quidem extra vineam degebant, laborem tamen non abnuentes; ideoque voluntate operabantur, qui se vocarent attendentes: quorum patientiae labor praemium quoque optabat. Eoque magis, cum tandem vocati nullimode vocationi restiterint; sed alacriter vineam adeuntes opus aggressi sunt et consummarunt. Quapropter pares ceteris, qui tota die portaverunt onus diei et aestus, mercedem laboris recepisse dicit Evangelista.

Interea cum sic parabolica verba explanare intenderet Origenes, hujus oppositores interpretationis rogat, ut aliter sermonem Domini explicent, et ita inquiens, subdit: « Nam si una cum corpore anima sata est, quomodo tota die steterunt otiosi? Vel certe dicant nobis, quid sit totus ille dies, variaeque pro variis horis operariorum vocationes etc? » Quasi ex his insisteret Adamantius, si vos nolitis huic, quam tradidi, interpretationi de otiosis tota die, corpore nempe otiosis, anima vero et mente sollicitis et ad laborem promptis obsequi; quomodo ratum habebitur, animam cum corpore conseri? Ac si diceret: si anima ex quo corpori unitur, quotidie operatur, ac nunquam otiosam se gerit, qua ratione otiose se penitus habuerint, tota die in foro stantes? Verumtamen cum anima ex quo corpori jungitur, nunquam otiosa vivit, sed operatur; cumque pariter constet animam corpori consemimari; sane admitti nequit eos in foro stantes, tanquam reapse otiosos haberi; quinimmo, eosdem quoque operari, et nisi actu, mente saltem et voluntate, sollicite expectantes, qui se in vineam vocent, ut, quae in animo habent, etiam actione perficiant.

Ast difficultas maxima ex sequentibus occurrit, ubi dicitur: « Ego quidem et loca, quae sunt extra vineam pervestigo, in quibus operarii ab eo, qui ad conducendos illos exiit, reperiuntur; et utrum locus animarum quae πρὸ ante (vel potius ἔξω extra) corpus extant, ille habeatur locus extra vineam perpendo; et an vinea non solum res hujus vitae, sed et quae extra corpus sunt, significet; ubi puto opus suum facere operarios etc. » Hinc revera quidquam argumento nostro officiens oritur, dum Origenes exquirere vi-

detur de animarum ante corpus statu, quas aequipararet operariis illis in foro stantibus otiosis et extra vineam. Attamen ex praecedentibus, ut vidimus, ac potissimum subsecutis, Amanuensium errorem ibi patefieri probatur; qui loco ἔξω τοῦ σώματος idest *extra corpus*, in textum introduxere πρὸ scilicet *ante corpus;* unde sermonis ordine et sensu eversis, deducta est contra Auctoris scopum, de animarum praeexistentia opinio.

Quisquis vero sedulo Origenis mentem in pericope scrutatus fuerit, ipsum noverit, praeter ea quae supra docuit ex parabola de otiosis in foro, ex ceteris quoque investigare, num fieri posset, addendo, ut ea loca extra vineam sumantur pro animarum statu non in hoc mundo tantum, verum etiam pro altera in futuro seculo vita; ubi animae corpore exemptae pariter operentur, et quidem sine otio vitam degant. Et ob hoc in sui adserti robur prophetas veteres citat: « Nec enim, inquiens, in otio sunt animae, separatae a corpore, operariorum, quae assumptae sunt in praedium Patrisfamilias. Certe opus faciebat, postquam corpore expeditus est, Samuel vaticinans; nec non et Hieremias pro populo orans. Magno ergo studio vires in excolenda vinea, sive in hoc corpore constituti, sive extra illud peregrinantes, contendamus, mercede olim aequa donandi. » Cum igitur e sermonis ordine et maxime ab allatis exemplis, in quibus animae defunctorum, qui jam decessere (nullimode vero praeexistentes animae, quae ante corpus fuissent) nuncupantur, patet, haud particulam πρὸ *ante*, sed potius ἔξω *extra* inscripsisse Origenem, nec aliter suspicandum est. Diversimode namque Samuelis et Hieremiae exempla extra propositum fierent, nihilque argumento prodessent.

Praeterea aliunde propositum tueri possumus. Si enim Origenes juxta adversariorum praetextum, de animarum loqueretur praeexistentia, earumque statione in coelis ante corporum indumentum; uniformiter praemissis tribus distinctis locis sive stationibus pro animabus, uno ante corpus, altero in corpore, tertio extra corpus, idest corporea substantia exutis (in quibus omnibus actus suos exerceant aut operentur) necesse foret, dummodo velit sibi esse consequens,

ut in suae discussionis illatione, nequaquam diceret: *propterea contendimus et operamur vineam sive constituti in corpore, seu exeuntes a corpore, accepturi quod fuerit justum;* verum amplius addidisset, nimirum: *propterea operamur vineam sive antequam simus in corpore, sive in hoc corpore constituti, aut eo exuti.* A qua tamen Origenes ipse abfuit consequentia quippe falsa et absurda non tantum; sed et quod dogmati principali adversetur, sibi proposito, de anima corpori conseminata, anima scilicet a Deo, et corpore a genitoribus in alvo materno, et de anima a corpore absoluta.

Nec sane aliter ab expositis sumenda sunt Origenis dicta; nec amplius dubitandum de Amanuensium errore in codice graeco transcribendo ad hoc relate: *et considera ne forte locus animarum est ante corpus, qui est extra vineam locus:* in quo sic legendum erat: *et considera ne forte locus animarum est extra corpus, qui est extra vineam locus.* Cui lectioni ita emendatae perbelle congruit sermo immediate sequens: *vinea autem non solum hic in corpore est, sed etiam extra corpus, ubi operantur operatores.* In quo solummodo consideratur vinea sive anima in corpore et extra corpus, idest in praesenti et in futuro seculo; quo reapse intendebat Origenes; hinc probare studens, etiam in vita futura operari justorum animas in salutem eorum hanc degentium vitam; quod exemplis roboravit et Samuelis, et Hieremiae defuncti pro populo orantis. Unde concludit: « *Proptereaque* (ita legitur in Veteri Interpretatione) *contendimus et operamur vineam sive constituti in corpore, sive exeuntes a corpore, accepturi quod fuerit justum;* idest anima justi sive in hac vita sive in altera post obitum corporis bonum operatur. Quae verba genuine versa a Vetere Interprete, Huetius ex codice graeco, de quo in Prima Parte actum est, non probe explanavit: « Magno ergo studio vires in excolenda vinea, sive in hoc corpore constituti sive extra illud peregrinantes contendamus, mercede olim aequa donandi. » In qua versione extra ordinem argumentationis suae traduxit Origenem, uti cuique patet.

CAPUT XVIII.

Origeniana de animae initio doctrina communi veterum Ecclesiae Patrum opinioni consentanea comprobata.

Hucusque adversariorum argumenta diluimus, ex quibusdam Origenis locutionibus redacta; unde eorum nonnullis videbatur ipse illusus circa animarum praeexistentiam, aliis vero circa earumdem initium per traducem. Modo audiatur quod Auctor doceat de anima, sumpto themate ex Geneseos oraculo: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:* et paulo post: *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae.* Quibus Auctor praeclare concordat communi Ecclesiae sententiae de origine animae; et absolute condemnat, et animae ejusdem creationem per traducem, ejusque praeexistentiam.

Ac interim animum convertamus ad Homiliam XII. *in Leviticum* n. 7. ubi scribit: « Pulchra namque a Deo creata est anima, et satis decora. Audi quomodo ipse Deus dicit: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Vide cujus decoris, cujus pulchritudinis est anima, quae imaginem habet similitudinem Dei. Hanc pulchritudinem contrariae potestates cum aspiciunt, idest diabolus et angeli ejus, concupiscunt speciem illius etc. » Unde primum adstruitur a Deo, neque vero ex traduce, anima creata. Insuper cum ait, Deum hominem creasse ad imaginem suam, tunc una cum corpore animam ejus pariter condidisse tenet, nec omnino ante ejusdem Adami aevum. Item contra Celsum Lib. III. n. 69, animas rationales asserit a Deo creatas; nec ullam earum in malo conditam; sed unusquisque ex arbitratu suo a bono deficiens, ex malitia propria animam suam pravam facit.

Ac ideo pari ratione Homilia XXIII. n. 7. *in Numeros*, allegorice explanans Azymorum festum dicit, animam de populo suo exterminari spiritu nequitiae fermentatam: *quam animam ipse Deus ad imaginem et similitudinem fecit*, idest in Adamo innoxiam et absque peccato. Quare consequitur, neque hanc animam creasse antea Deum; nec multo minus,

antequam esset in corpore, ipsam peccasse; sed tunc in Adamo conditam et quidem immaculatam, nullo malitiae fermento pollutam. Proindeque excluditur ab hoc Origenis sermone et animarum praeexistentia, earumque peccatum in coelis. Praeclarissime autem id significavit Homilia VII. n. 6. *in Ezechielem*, verba: *et aedificasti tibi domum meretriciam*, sub allegoria transferens ad animam peccatricem; quam tamen Dominus ad imaginem suam creaverat. Ait enim: « Anima humana multum speciosa est, et mirabilem habet pulchritudinem. Artifex quippe ejus, cum eam *primum* conderet, inquit: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Quid hac pulchritudine et similitudine pulchrius? » Si *primum* tunc creavit Deus animam, quando dixit *faciamus hominem* etc. excluditur aliud tempus praecedens, quo dicatur fuisse anima creata.

Praeterea circa praefata Geneseos verba de imagine et similitudine divina homini indita, valde confert quod Homilia I. n. 13. in eumdem Librum scribit Origenes: « Hunc sane hominem, quem dicit ad imaginem Dei factum, non intelligimus corporalem. Non enim corporis figmentum Dei imaginem continet: neque factus esse corporalis homo dicitur, sed plasmatus, sicut in consequentibus scriptum est. Ait enim: *plasmavit Deus hominem*. Idest, finxit eum de terrae limo. Is autem, qui ad imaginem Dei factus, et ad similitudinem, interior homo noster est, invisibilis et incorporalis et incorruptus et immortalis. In his enim talibus Dei imago rectius intelligitur. » Et quid his verbis significavit Auctor, nisi animae creationem et infusionem in Adamo, eodem tempore (neque vero antea) quo plasmavit Deus corpus suum? Cum namque dicit, hominem, qui ad imaginem Dei factus est, esse *interiorem hominem nostrum*, invisibilem, immortalem etc. idem est ac diceret, una cum corpore creasse Deum animum sive mentem, substantiam scilicet spiritalem et incorpoream.

Et jure quidem: vocabula enim *interior homo noster*, quae mutuatus est Adamantius ex *Epistola ad Romanos* c. VII. n. 22. ubi inquit Apostolus: *condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem*, hoc adstruunt. Quasi diceret, cum

in membris meis adsit, quod mihi adversatur, peccatum, tamen interior homo meus idest animus, seu mens mea condelectatur legi Dei. Igitur sic definitis Apostoli dictis *interior homo* relate ad ipsius animum et mentem, concludendum quoque est, Origenem in exponenda mosaica sententia: *et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum*, nequaquam praesumpsisse animarum seu mentium praeexistentiam, priusquam corpora conderentur; sed ex adverso credidisse, tunc animam Adami creatam, eique inditam esse, cum primum de limo terrae suum finxerit corpus Deus, ac deinde insufflarit in faciem ejus spiraculum vitae: « Nam ille interior homo, (scribit *in Epistolam ad Romanos* Libro VII. n. 4.) qui secundum Deum creatus est, et ad imaginem Dei factus, incorruptibilis est et invisibilis etc. » Si, inquam, ibi doceat Origenes, tunc factum esse *hominem interiorem* idest animum illius, quando corpus suum plasmavit, tollitur ipsius animi praeexistentia ejusque traductio per genitores ex Origenis opinione; et frustra ob hoc corripitur ab adversariis.

Istud porro roboratur amplissime ex Libro II. cc. VIII. et IX. *Periarchon*. Ubi omnes de animarum natura rimatus philosophorum opiniones, nec non Bibliorum sacrorum testimonia, nihil ostentat de earum praeexistentia: quinimmo his contraria manifestat. Ex. g. Scripturae exponens verba: *fecit Deus cetos magnos et omnem animam animantium repentium etc.*, ubi siculi definivit ipsius substantiam sensibilem et mobilem, penitusque variam ab ea, quam in hominem insufflavit, argumento insistens, ostendit Deum mandasse: *producat terra animam viventem secundum genus* etc. Deinde de hominis locutus anima, veluti a minori ad majus ait: « Jam vero de homine, quamvis nulli dubium sit, nec requirere aliquis possit: tamen et Scriptura divina designat, quod *Deus in faciem ejus inspiraverit spiramentum vitae*, *et factus est homo in animam viventem.* » E quibus deducitur, nihil ibi de animantium nec de hominum animarum praeexistentia significasse Origenem: at insuper prorsus ab eo omnimodam excludi suspicionem de hac re. Cum enim dicit: *in faciem hominis inspiravit spiraculum vitae,* illud nempe spiraculum a Deo tunc exiens ad corpus plasmatum vivificandum, tol-

litur ipsius spiraculi, idest animae praecessio seu praeexistentia ab extra, ut dicatur, nec facta antea a Deo, nec extitisse anima Adami, neque inde generis sui cujusque, nisi conformato in alvo matris foetu. Item in Libro VI. n. 63. contra Celsum ex praefatis Geneseos verbis perspicue docet, duas substantias in Adamo simul creatas fuisse eodemque tempore corpus et animam.

Ex Prologo Commentarii *in Canticum Canticorum*, similia explanavit Origenes circa animae creationem: « In principio verborum Moysi, inquit, ubi de mundi conditione conscribitur, duos invenimus homines creatos referri: primum ad imaginem et similitudinem Dei factum, secundum e limo terrae factum. Hoc Paulus Apostolus bene sciens, et ad liquidum in his eruditus, in suis Litteris apertius et evidentius binos esse et per singulos quosque, homines scripsit. Sic enim dixit: *nam si is, qui foris est, homo noster corrumpitur, sed ille, qui intus est, renovatur de die in diem.* Et iterum: *condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem*, et his similia quanta conscribit? Unde puto neminem jam debere dubitare, quod Moyses de duorum hominum factura vel figmento scripserit in principio Genesis, cum videat etc. » Cum autem dicat primum et secundum, idest interiorem hominem et exteriorem, non respicit aetatis primatum, quasi interior homo praecesserit exteriori: sed in hoc significavit dignitatis praestantiam animae relate ad corporis inferioritatem; etsi utrumque simul creaverit Deus: ac animae distinctionem ex dictis concepit, quia ad imaginem et similitudinem Dei facta est. Et ob hoc item Libro II. *in Epistolam ad Romanos* n. 13. sub eadem nuncupatione duos homines vocans, unum exteriorem dicit, interiorem alterum ex eodem Moysi testimonio.

Ceterum cum ait Origenes, duos homines creasse Deum, testimonio usus Geneseos: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:* duos homines dico creasse eodem tempore, exteriorem et interiorem, corpus et animam; et cum insuper constet, ipsum animae humanae essentiam subindicasse vocabulis scripturalibus *imago et similitudo Dei*, uti legitur praeclare ex Tomo XIII. n. 49. et XX. n. 20. in

Joannem; nullimode arguendum est eundem admisisse animarum praeexistentiam. Dicit enim, tunc, siculi cetera animantia, ita hominem exteriorem et interiorem, corpus nimirum et animam ex nihilo creasse Deum. Digito suo ex limo creavit hominem corporeum; et flatu suo creavit hominem spiritalem. Nefas est ideo dicere, Deum tunc creasse animam, quam antea creaverat. Nec Origenes potuisset ita loqui, si ut placet adversariis, aliquando putasset animas humanas creationi praeextitisse Adami et filiorum suorum. Et quod ait circa primum hominem in anima et corpore factum, similiter intelligit de ceteris e genere suo exortis, et ad imaginem et similitudinem Dei conditis, secum ex nativitate hanc duplicem substantiam corpoream et spiritalem sortitis. Itemque scito, vocabula *imago Dei, similitudo Dei, spiraculum Dei* veluti animae symbolum, ejus essentiae, ejusque proprietatum, speciale constituisse Origenis thema, ubicumque loquitur de homine rationali.

Ex *Selectis in Genesim* de eodem testimonio: *faciamus hominem ad imaginem nostram et similitudinem,* prius discutiendum est, ait, ubi consistat illud *ad imaginem*, in corpore an in anima. Paulo post subdit: « Qui vero asseret illud *ad imaginem* non in corpore consistere, sed in anima rationali, dogma statuet non contemnendum, comprehendens quae facultates sunt ipsius animae. Nam quae in homine est facultas cognoscendi, judicandi, bene merendi, faciendi quae justa sunt, fortitudinis, et ut semel dicam, omnis boni effectrix, a Deo creata est ipsi *ad imaginem.* » Deinde Homilia I. *in eumdem Librum* n. 15: Videamus autem per allegoriam, quomodo ad imaginem Dei homo factus, masculus et foemina est. Interior homo noster ex spiritu et anima constat. Masculus *spiritus* dicitur; foemina *anima* potest nuncupari. » Et quid inde erues, nisi simul corpus et animam a Deo condita esse putasse Origenem sub hac allegoria disserentem?

Similiter Homilia II. *in Lucam* distinguens Origenes, quomodo in Scripturis *absque peccato esse,* dupliciter capiatur; idest primo, *nunquam omnino peccasse:* secundo, *peccare desiisse:* ac subdens neminem sine peccato esse, explicat quid sibi velint dicta Apostoli ad Ephesios: *non habentem*

rugam, ut sit sancta et immaculata. Hoc est: « Non quod a principio immaculata fuerit: hoc enim suspicari quidem de homine non potest, quod anima ejus maculosa non fuerit; sed quod reputetur pura atque sincera, quae maculari ultra desierit. » Itaque si Origenes animarum praeexistentiam admisisset, et quidem absque peccato, antequam venirent in corpus, sed antea et seorsim a corpore creatae peccassent, et ob peccatum in corpora dejectae e coelo, nequaquam dixisset, non esse suspicandum, quod anima humana non fuerit maculosa ab ejus initio, videlicet quod non peccarit ab ipsa creatione et inspiratione in hominem (quia omnes in Adamo peccaverunt). Sed e contrario docuisset eas, ante quam corpori associarentur, a Deo conditas in quodam choro beatas, et postea a Dei charitate deferventes, ideo in corpora humana esse ad poenam intrusas. Quod tamen ibi praetermisit Adamantius, sciens singulas animas una cum corporibus singillatim a Deo creari, sicuti fuit Adam: *et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae.*

Horum autem verborum sensus (si forte quis offendatur) ab Homilia II. n. 1. *in Hieremiam* illustratur: in qua et propositum firmat de animae initio Origenes; ac ubi simul docet, quomodo haec anima pura creata in Adamo, deformata sit per peccatum Adami-ipsius, non vero antequam esset homo: verum in ipso homine idest in Adamo, et per ipsum ista anima, imago Dei, deturpata est, sicuti in suis successoribus, qui in eo peccarunt: « Et ante diximus, concludit, et nunc eadem plenius ut intelligatis, repetimus, quia Deus bonam vitem plantavit animam hominis; sed unusquisque conversus factus est divinae contrarius voluntati. »

Novissime, cunctis his praemissis, patet, Origenem, nec animarum praeexistentiam docuisse; nec multo minus eas ob peccatum immissas fuisse in corpora ad poenas erroris luendas: nec ultra admisisse quidem animas in ipsa mundi creatione fuisse a Deo creatas, singulis deinde hominibus dispertiendas. Sed tenuit Deum tantummodo in faciem Adami insufflasse spiraculum vitae, et hoc ex ipsa Scriptura dicente: *inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitae.* In qua significatur initium animae, quae antea non extitit: ac simul in-

dicatur, in solo Adamo tunc inspirasse Deum animam: nec in posteris suis, non adhuc existentibus, tale infudisse spiraculum, nec suam indidisse imaginem et similitudinem. Successive enim in Adami posteris et in alvo materno hunc spiritum infudit Deus, veluti sparsim comprehenditur in ejusdem Origenis scriptis. Et quamvis diversa philosophorum placita de anima quandoque citaverit: attamen ipsum potius recensuisse uti historicum, quam ut ea acceptaret ac probaret, dicendum est.

De reliquo, quae Adamantius putavit et scripsit de animae origine et creationis tempore, verba Geneseos interpretatus: *et insufflavit (Dominus) in faciem ejus spiraculum vitae,* nihil sane novi dixit. Istud enim in veteris synagogae et Ecclesiae Christianae traditione designatum erat. Ideoque, ut sileam veterum hebraeorum sensus de hac re, illis quae dicturi sumus, conformes, audiatur inter priscos Ecclesiae scriptores, Clemens Scholae Alexandrinae praeses, ipsiusque Origenis praeceptor. Is itaque in Libro V. *Stromatum* docebat: « Merito ergo ex terra quidem corpus dicit formari Moyses (quod dicit terrenum Plato tabernaculum): animam autem logicam sive ratione praeditam desuper inspiratam fuisse a Deo in faciem. » Tertullianus in Libro *De Anima* n. III. adversus Hermogenem: « Quia, inquit, animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus, muniti et illic divinae determinationis inobscurabili regula; *et flavit, ait, Deus flatum vitae in faciem hominis, et factus est homo in animam vivam,* utique ex Dei flatu. » Et amplius in n. XXII. subdit: « Definimus animam Dei flatu natam, immortalem etc. » Si Tertullianus animae ortum admisit in flatu Dei, profecto Adami aetati non praeexistebat anima ipsius; nec ideo ante illud tempus peccare potuit. Hic autem scito, Tertullianum Origenis instar plura philosophorum placita de animae conditione discussisse, quin tamen ea probaret, nec multo minus opinionem de earum praeexistentia ac peccatis, unde in corpora humana a coelo dejectae fuissent. Et in hac eadem opinione Scripturae oraculo suffulti, convenerunt Athenagoras et Tatianus.

Lactantius *De Origene erroris* Libro II. n. 12. Protoparentum narrata creatione, ait: « Ficto enim corpore (Deus) spiravit ei animam de vitali fonte spiritus sui, qui est perennis; ut ipsius mundi contrariis constantis elementis, similitudinem gereret. Constat enim ex anima et corpore, idest, quasi e coelo oritur a Deo; corpus e terra, cujus e limo diximus esse formatum. » Similiter in Libro *De Opificio Dei*, n. 19. hominis ortum discutiens, dicit corpus ex corporibus nasci; animam vero juxta formulam scripturalem a Deo inspirari. S. Methodius martyr *de Convivio decem Virginum*, Oratione I. c. VII: « Immortalem animi, ait, substantiam cum mortali ac fragili corpore seminari qui doceat, fidem non merebitur. Quod enim mortis seniique expers est, solus utique nobis inspirat omnipotens: solusque invisibilium et incorruptibilium creator est. *Inspiravit* enim, inquit, *in faciem ejus spiraculum vitae: et factus est homo in animam viventem.* » Item Oratione VI. c. I. « Creans (Deus) ac struens ad imaginis suae imaginem, animam fabricatus est. Quamobrem etiam ratione praedita est et immortalis. » Similiter s. Alexander Alexandrinus in Sermone *De Anima et Corpore*, ex praefatis Geneseos verbis, animam una cum corpore conditam esse dicit.

Eusebius *De Praeparatione Evangelica* c. XIV. inquiens Platonem Moysen secutum in animae immortalitate statuenda, testimonium profert Geneseos, ubi legitur homo ad imaginem Dei factus. Atque distinguens hominem in animam et corpus, subjungit: *et sufflavit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* Alibi manifeste dicit, prius factum fuisse corpus Adami, deinde creatam esse animam. De Patribus, qui successive haec ita exposuerunt mosaica verba, non est hic ut eorum verba recenseam. Consulat quisquis velit, interpretum Commentaria in hunc locum.

Haec interim satisfiant, ut amplius Origenis sensus de hac quaestione pateant; scilicet ipsum nec insuper voluisse nec credidisse, quam tunc universa docebat Ecclesia circa principium et emanationem animae in corpus Adami siculi et totius generis hominum: ut inde concludatur, Origenem ab errore de animarum praeexistentia prorsus abhorruisse. Et quantumvis tunc temporis inter philosophos inva-

lesceret opinio de animarum praeexistentia, sicuti et de traductione earumdem ex patre in filium, et aliae hujus generis sententiae, medium inter utramque tenentes locum, et ab ipso Origene citatae (nunquam vero probatae) uti vidimus; attamen ex hucusque recensitis testimoniis, eumdem de hac re a catholico dogmate non descivisse, fatendum erit. Et hoc ab initio capitis praemisi ex ejusdem ore tanquam quaestionum omnium normam; juxta quam perseveranter incessit, cum praefatum argumentum pertigerit.

In hunc vero novissimum locum revocandum est, quod scribit s. Gregorius Nyssenus *De Opificio hominis* c. XXVIII. controversias in ecclesiis notans de anima et corpore: « Nonnulli, ait, qui fuerunt ante nos, a quibus tractatus elaboratus est *Periarchon* sive *De Principiis*, asserere videntur, animas humanas quasi quemdam populum in propria republica praeexistere; eisque ibidem exempla proposita fuisse virtutis et vitii. Quae vero virtuti constanter deditae fuerint, non copulari corpori: quae vero exciderint, corporibus illigari. Alii vero contrario seriei creationi inhaerentes a Moyse descriptae, animam corpore esse posteriorem ajunt. » Deinde dicit, qui animarum praeexistentiam admittunt, a graecanicis disciplinis et quidem falsis, haud esse immunes etc. In fine concludit (c. 29.) quum unus et idem homo sit corpore et anima constans, unum esse et commune tribuendum existendi principium.

Scriptores porro recentiores ab hoc testimonio universim existimarunt, a Nysseno exprobrari Origenem, quippe Operis, quod citatur *Periarchon*, nemo nisi ille idem putetur auctor. Nihilominus licet vulgo ita credatur, limpido asseri nequit. Si vero quis ita teneat; et hunc Tractatum inscribat Origeni Nyssenus, tunc quam necessario statuendum est, ipsum s. Doctorem fuisse illusum ab identitate tituli *Periarchon;* illius scilicet elaborati ab haereticis marcionitis, et alterius ab Origene conflati adversus eosdem (ceu in Monito hujus Secundae Partis praenotavi) in quo fortasse sicuti ceteri, illusionem passus est s. Gregorius. Non enim, ut indiciis manifestissimis ex subjecta materia et a Ruffini testimonio, qui Origenis *Periarchon* sincerum codicem sincera fide latine tran-

stulerat, ullibi horum quatuor Librorum vestigia apparent de animarum praeexistentia ab eo admissa, sicuti de ceteris nefandis dogmatibus, ob quae insimulatur Adamantius. Quapropter, hac accepta opinione, mea amplius invalesceret sententia de interpolatione non solum genuini Origenis *Periarchon* Operis; sed et consertione duorum Tractatuum sub uno Origenis nomine editorum in argumenti confusionem, et Auctoris orthodoxi ignominiam.

Postremo pro Origenis orthodoxia in quaestione de animae creatione adversus cunctos hostium suorum conatus, nobis adstat ejusdem testimonium in Libro IV. n. 83. adversus Celsum et ceteros, qui in christiana dogmata pugnabant, aut nugati aspernabantur. In hoc vero testimonio declarat Adamantius quomodo brutorum anima ab humana distet, illam *ἄλογον* irrationalem, et istam *λογικὸν* rationalem nuncupans; et quomodo insuper hanc asserat non praeexistentem, nec ideo a coelis deductam, uti graecae philosophiae cultoribus placebat, verum ab initio mundi ad Dei imaginem factam: « Sed fortasse Celsus, scribit, qui Platonem in plerisque imitari amat, per haec obscura indicat, similes esse omnes animas.... *Ὅπερ κατάγοντός ἐστι τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῶν ἁψίδων τοῦ ὀυρανοῦ, ὀυκ ἐπὶ τὸ ἀνθρώπινον σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τὰ λοιπά. Τόυτοις δὲ ὀυ πείσονται χριστιανοὶ* i. e. Quod quidem deducentis est animam a coeli fornicibus non solum in humanum corpus, sed et in reliqua. His autem non assentientur christiani: qui antea didicerunt, hominis animam ad imaginem Dei factam esse; et sciunt non posse fieri, ut natura ad Dei imaginem condita, deletis ejus characteribus, alios induat bestiarum etc. » Et quis post hujuscemodi confessionem putarit aliter ab his aliquando credidisse et docuisse Origenem?

CAPUT XIX.

Excutitur quomodo accipiendum sit, quod Origenes significavit sub vocabulis animarum descensus et ascensus.

Plura adhuc manent huic discussioni affinia exsolvenda de quadam Origenis formula sub titulo *animarum ascensus et descensus*, seu *lapsus et reditus*; unde, praeter celebratos Theophilum, Hieronymum et Epiphanium, Nemesius, ac deinde recentiores praetextum repererunt Origenem errantem redarguendi. Et primum, in Libro *De Oratione* n. 29. scribit: « Nobis vero propter dubia, quae movimus de his verbis: *ne nos inducas in tentationem*, ob quae etiam Apostoli voces in medium adduximus, considerandum est, an inveniamus dignas eorum, quae repugnare videntur, solutiones. Arbitror Deum singulas rationales animas ita dispensare, ut ad sempiternam eorum vitam respiciat; habent enim illae semper liberum arbitrium, et sponte vel in melioribus sunt, et ascendunt usquequo ad bonorum apicem pervenerint, vel ob negligentiam variis descendunt modis in tantum vel tantum malitiae cumulum. Cum igitur celerior et compendiosior curatio contemptum quibusdam suorum ingenerat morborum, uti curatu facilium, quo fit, ut sanati iterum in eosdem incidant: non a ratione alienum erit, si malitiam in his (Deus) neglexerit, et contempserit crescere, et ita diffundi, ut insanabilis fiat, quo diutius immorati malo, et peccato concupito ad nauseam usque satiati, damnum tandem suum sentiant; quodque prius amplexi sunt, oderint, ac curati possint redditam animarum sanitatem firmius retinere etc. »

Ex his dictis offensi recentiores, in hoc loco, inquiunt, aperte sua somnia occinit Origenes, animas quemlibet statum adeptas, arbitrii sui libertate ad bene vel male agendum frui, ac perpetuos esse proinde a supernis ad inferiora lapsus et reditus etc. Ast undenam et quomodo hanc eruerint aut somniarint illationem, nescio. Contextus sane aliter indicat. Agitur enim quaestio de tentationibus, quibus in hac vita omnes subjiciuntur, divino tamen auxilio superandis;

ex quo ipse Deus omnes rationales animas ita dispensat, ut omnium earum saluti prospiciat, donec in hoc mundo degunt. Attamen proprio arbitrio usae, fieri potest, ut altitudinem bonorum omnium assequantur, sive malitiae extremum pertingant. Et huousque nihil de animae conditione ante ingressum ejusdem in corpus, ac ne multo minus quidem post suum a corpore exitum. Patet enim Origenem sub animae vocabulo prope Scripturae morem, hominem comprehendere spiritu et carne praeditum.

Hoc autem sibi vult Auctor, varimode considerans Dei providentiam erga creaturas rationales et praesertim in earumdem emendatione. Quae, ait, si ob reatus statim puniantur, facile resipiscunt; et, quin firmae se habeant in proposito, denuo cadant. Ideoque Deum quandoque sinere docet, quarumdam malitiam eo usque crescere ac diffundi ut insanabilis fiat, donec ipsae peccati concupiscentiis saturatae usque ad nauseam, noxam sentiant; et hinc aspernatae quod prius sectatae fuerant, animae sanitatem consequantur, eamque firmiori studio quam antea, retineant et curent. Et haec omnia probat Origenes ex hebraeorum historia; quibus, cum in deserto carnes concupiscerent, in Aegypto comesas, Deus tantas praebuit, usque dum exirent e naribus suis, ac nausea afficerentur. Et quis deinde non viderit, verba *ascendunt et descendunt* metaphorice ab Auctore usurpari? cum actuum mentis nostrae probitatem per *ascensum*, et contrario animae pravitatem per *descensum* exprimat.

Verumtamen cum adversarii tanquam adsertionis suae munimen Librum III. *De Principiis* c. IV. 3. appellarint, ea repetamus, quae ibidem ipse Origenes scribit *De humanis tentationibus*. Postquam enim plura expendit circa repugnantiam carnis adversus spiritum, profundam disputationem movet dicens: « Videamus ne forte in hoc loco tale aliquid tractari potest; quia sicut melius est animae sequi spiritum, tunc cum spiritus carnem vicerit; ita etiamsi videtur ei esse deterius sequi carnem repugnantem adversus spiritum, et ad se revocare animam volentem; tamen forte utilius videatur obtineri animam a carne, quam residere in suis propriis voluntatibus. Namque quoniam nec calida dicitur esse anima,

nec frigida, sed in medio quodam tepore perdurans, tardam et satis difficilem conversionem poterit invenire. Si vero carni adhaereat, ex his ipsis interdum malis, quae ex carnis vitiis, patitur, satiata aliquando et repleta, veluti gravissimis oneribus luxuriae ac libidinis fatigata, facilius et velocius converti a materialibus sordibus ad coelestium desiderium et spiritualem gratiam potest. Et hoc arbitrandum est dixisse Apostolum, idcirco pugnare spiritum adversus carnem etc. »

Et quid haec conferunt mentium evolutionibus de coelo in terram et vicissim, nec non earum in corpore vinculis, uti arbitrantur docuisse Origenem? Respondeant, qui accurate argumentum expenderint in loco citato. Sane enim, postquam plures Auctor exsolvit difficultates de animae natura, iis quoque respondens, animam corpoream et ex seminis traduce generatam praetendentibus, ejusdem animae (nec sane de coelo descendentis nec illuc perpetuo periodo ascendentis) expendit statum in corpore, deque suo cum eodem corpore agone. Et sic, quemadmodum supra dixi, putavit Origenes bonum fore animae, quousque fieri possit, spiritui in hoc seculo adhaerere ut efficiatur spiritalis. Si autem id fieri nequit, melius ei carnalibus vitiis saturari usque valde; unde sperandum foret eamdem denique ab iis fatigatam, ad Deum converti, quam in suis positam voluntatibus, animalis irrationalis statum continere; in quo scilicet propriae solummodo voluntati obsequatur, nec ultra cum spiritu nec carne disceptans: « Haec autem, inquit, tractavimus, volentes singularum assertionum disserere opiniones, ampliori quam voluimus usi excursu, uti ne laterè nos putarentur ea, quae moveri solent ab his, qui quaerunt, utrum sit alia anima in nobis praeter hanc coelestem et rationabilem, quae huic naturaliter adversetur, et vocetur vel caro, vel sapientia carnis, vel anima carnis. » Ceterum hinc quoque videas hujus *Periarchon* discussionis analogiam cum iis quae supra ex libro *De Oratione* pertractavit, ita ut mutuo argumenta illustrentur, et propositum firmetur.

Interea mirum sane est, quod adversarii Origenis sensum ignorantes de hoc animarum *descensu* et *ascensu*, conati sint, s. Athanasium quoque ejusdem erroris consortem re-

prehendere, illa praetexentes, quae is scribit in vita s. Antonii n. 22. inquiens, ob peccatum daemones lapsos a coelesti sapientia, in terra volutatos, gentiles decepisse; et christianis invidentes et contra eos ardentes, ne eo nos ascendamus, unde illi lapsi sunt. Quae verba cum ab Origene citatis concordent, item in sensu conveniunt, quin in utroque appareat mendum: immo alter ab altero de rei veritate firmatur. Quanto autem jure Athanasii sensus ita sumendus sit, e sequentibus intelligitur n. 74. ubi gentilium philosophiae illudit, asserentium e coelorum fornice lapsas esse animas in corpora, non solum hominum verum in quadrupedes, in reptiles etc: « Quomodo igitur audetis nos irridere, qui Christum dicimus hominem factum apparuisse: cum vos ex coelorum fornice dicitis animam delapsam esse in corpus? Atque utinam in humanum dumtaxat, et non in quadrupedes quoque, et in serpentes transiret, decideretque. »

Porro de hujusmodi loquendi formulis quoad animarum descensum et ascensum in significatione penitus variis ab eo, quod commenti sunt praefati scriptores contra Origenis sensum, nobis offertur perspicuum testimonium ex Tomo XI. n. 4. *in Joannem*, ubi promiscue verbis *descensus et ascensus* modo de animabus, modo de hominibus utitur. De semine namque Abrahae anagogice disserens: « Interpretamur, ait, autem haec omnia, referentes quae dicuntur, non ad corpora, nec ad homines, sed ad quaedam intelligibilia et ad rationes plures, vel pauciores, quas participant diversimode descendentes, vel venientes in ortum; et fortasse quodammodo etiam ascendentes. Inspicies etiam num ad talia semina, atque etiam ad semina eorum, qui in seipsos ea accipiebant, quae sua nominabantur, illud referri possit: *euntes ibant et flebant mittentes semina sua*. Consideret enim qui potest, quarumdam animarum iter, venientium in ortum cum fletu, et semina ferentium seu plurium justorum, vel pauciorum, atque injustorum similiter. » Cum ergo ibi *ascendentes et descendentes* nuncupet tum homines tum animas, necessario excluditur hinc error de animarum e coelo lapsu, earumque reditu. Aliter dicendum foret non solum animas, sed et homines cum corpore simul, ejus descensionis et ascensionis ca

paces esse, docuisse Origenem; quod, utique ipsum talia sensisse absurda et excogitasse, vetat sensus logicus.

Praeterea quidquid ait Auctor ex Psalmista *euntes ibant et flebant mittentes semina sua,* renovat Tomo XIII. *in Joannem* n. 43. eamdem eodemque intuitu conferens interpretationem, quam praemisimus. Item in Tomo XIX. 5. pari ratione veniunt quae scribit: « Quin etiam si animae propter malitiam et prava dogmata, intelligibilem notaveris descensum, et intelligibilem ipsius ascensum, non parvam invenies differentiam: latius enim considerabis intelligibiliter descendentes. » Item Tomo XII. n. 37. *in Matthaeum*, eadem phrasi eodemque sensu usus, ad Deum eos ascendere ait, qui non secundum carnem vivunt. Qui enim ita vivit, idest in carne, deorsum degere in ejus concupiscentiis mavult. Similiter in Tomo XIII. n. 3. ex verbis: *descendente Jesu de monte*, dicit homines propter morbos detinentes animam, non posse nisi a Deo adjutos ascendere. Denique contra Celsum Libro V. 53. eadem phrasi utitur, significatione vero pro argumento nostro manifestiori, Isaiae vaticinium interpretatus: *magni consilii Angelus*: « Nunciavit, inquit, enim hominibus magnum de illis Dei et omnium parentis consilium; nempe ut, qui in pura religione vitam degerent, ii per insignia facta ad Deum veluti ascenderent. Qui vero sic vivere recusarent, ii longe descenderent a Deo; et incredulitate sua sibi viam ad exitium facerent. »

Patet ergo, ut summatim dicam, Origenem de animae descensu et ascensu loqui, prout ipsa corpori juncta, hominem constituit, cum eo et in eo agit; neque seorsim a corpore sive ab humanitate eam unquam contemplatur in citatis testimoniis. Et ideo, uti vidimus, aliquando vocabulo *animae* aliud substituit *hominis,* cum de vario hujuscemodi ascensionum genere locutus est. Quod maxime indicavit in Libro I. c. III. 8. *Periarchon* de fidelium agens profectibus in scientia et charitate Dei; ubi haec notanda sunt, valdeque argumenti perspicuitati proficientia contra adversariorum praejudicia: « Ita ergo, ait, indesinenti erga nos opere Patris et Filii et Spiritus Sancti per singulos quosque profectuum gradus instaurato, vix, si forte aliquando intueri possumus san-

ctam et beatam vitam, in qua, cum post agones multos in eam perveniri potuerit, ita perdurare debemus, ut nulla unquam nos boni illius satietas capiat; sed quanto magis in nobis vel dilatetur ejus desiderium vel augeatur, dum semper ardentius et capacius Patrem et Filium, et Spiritum Sanctum, vel capimus, vel tenemus. Si autem aliquando satietas capit aliquem ex his, qui in summo perfectoque constiterint gradu, non arbitror quod ad subitum quis evacuetur ac decidat: sed paulatim, et per partes defluere eum necesse est, ita ut fieri possit interdum, ut, si brevis aliquis lapsus acciderit, et cito resipiscat, atque in se revertatur, non penitus ruere, sed revocare pedem, et redire ad statum suum; et rursus statuere possit id, quod per negligentiam fuerat lapsum. »

In his autem vide, quae ait de intuitione sanctae et beatae vitae sicuti de illius beatitudinis perceptione, nec animarum vitam in coelestibus priusquam corpori inserantur, spectare, neque seculum futurum. Vitam enim ibi beatam et sanctam illam dicit Origenes, in scientia et perfectione charitatis erga Deum, consistentem: ubi anima absorpta in Deo, nihil quaerit, nihil agit, quod non ipsi divinitati sit consonum. Qua beatitudine aliquando, ait, fruuntur homines probi in hac vita, dum perfectionem, quoad fieri potest, assecuti, in Deo manent, et Deus in eis. De qua tamen, subdit, decidere possunt, arbitratu usi, cum sint adhuc in carne. Quae spiritui adversata, a coelestium meditatione et desiderio nos trahit ad terrenas concupiscentias; uti in capite sequenti patentius exponit.

Ceterum, nequid novi putet quis in his et similibus dictionibus praesumpsisse Origenem ac multo minus a veritate absonum, sciat eumdem a Bibliorum sacrorum usu has mutuatum esse dicendi formulas sive de anima sive de ipsius ascensu et descensu aut similibus. Nemo enim, puto, ignorat primum, tum ex veteris tum novi Foederis Scripturis sub *animae* vocabulo ejusque motuum, frequentissime exprimi homines suasque actiones simul cum ipsa anima exactas. Seu, ut melius inquam, sub ea voce repraesentari pronomen personale *ego*, *tu ille* etc, ac una necessario proprios substantiis

rationalibus motus varios; adeo ut ex. g. ibidem dicatur *anima mea vivit, cogitat, meditatur, contristatur, facit, vadit, loquitur*, etc. quod idem est ac *ego vivo, cogito, meditor, contristor, facio, vado, loquor* etc. Et hinc consequenter ex. g. *dat animam suam; ponit animam suam; in te confidit anima mea; concupivit anima mea;* aut veluti Thessalonicensibus ajebat Apostolus: *volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed et animas nostras;* ac Petrus similiter: *animas vestras castificantes in obedientia charitatis* etc.

Item prope eorumdem divinorum Scriptorum consuetudinem, sub his vocabulis *cadere, labi, decidere, resurgere, vivere* etc. aliquando improprie dictis, significatur mentis nostrae actus, seu mutatio ejusdem de bono in malum aut vicissim. Pari insuper intuitu venit sermo *spiritum levare, cor, animum* etc. seu contra *cor, animum, spiritum humiliare, dejicere* etc. Non enim in his locutionibus quidquam proprie de transitione a loco ad locum comprehendere licet. Et hinc jure factum est, ut Origenes in Libro IV. n. 12. contra Celsum, has formulas, *descendere et ascendere*, de Deo in sensu proprio accipiendas esse putantem, dixerit: « Prophetae Deum quasi descendentem repraesentant; hunc tamen descensum figurate accipimus. Descendit enim Deus e propria sua magnitudine et altitudine, cum se ad hominum et praecipue malorum curandas res, dimittit. Et quemadmodum loquendi consuetudo suscepit ut diceretur, magistros ad parvulorum, sapientes, aut qui profecerunt, ad adolescentum recens ad philosophiam adductorum captum descendere, nec tamen hic descensus de corpore accipitur: ita sicubi in divinis Scripturis dicitur Deus *descendere*, haec vox ut et *ascendere* ex vulgari sermonis consuetudine intelligenda est. »

Quapropter Origenes Scripturarum vestigia sectatus, quippe principale ipsius studium, de humana conditione locutus et quidem spiritali, cum velit istius indicare proprietates ex suo arbitratu ortas, dicit hominem *cadere* et *surgere; mori* et *vivere; descendere* et *ascendere; accidere* et *decidere*; et hujusmodi juxta Proverbiorum dictum: *septies cadet justus et resurget*: aut secundum Apostolum: *qui stat, videat ne cadat*: seu illud Ecclesiastici: *ante hominem vita et mors* etc.

ctam et beatam vitam, in qua, ...antur in Libro VIII. Com-
eam perveniri potuerit, ita pe...omanos nn. 9. 10. 11. ex verbis:
quam nos boni illius sati... caderent?
nobis vel dilatetur eju... sit, hi qui de schola Valentini et
per ardentius et cap... ita a Paulo dicta non audientes, pu-
ctum, vel capim... animarum, quae semper salva sit, et nun-
tas capit aliq... aliam, quae semper pereat, et nunquam
terint grad... aperte Paulus dicat fractos esse ramos bo-
ac decid... propter incredulitatem.... Sed illis quidem per
cesse... responsum sit. Nihilominus autem etiam nobis,
lar... esse naturam omnium hominum, immo omnium
r... rationabilium, dicimus et ad salutem aequaliter habilem et
ad perditionem, si negligat, occurri potest et dici etc.....
Dicendum ergo est ad haec: sicut omnis materia corporalis, cum sine dubio omnis naturae sit, per accidentes sibi qualitates, diversas species profert vel corporum, vel arborum, vel herbarum: ita et cum omnium rationabilium una natura sit, arbitrii proprii aequaliter libertate donata, uniuscujusque proprii motus ex arbitrii potestate prolati, vel ad virtutem, vel ad libidinem subjectam sibi animam perducentes, vel in bonae eam, vel in malae arboris speciem formant: ut aut bona arbor dicatur si per arbitrii libertatem elegerit bona; aut mala dicatur, si elegerit mala etc. »

In qua expositione, ubi de arbitrii usu, quo ditatus est homo, loquitur Origenes, vide ipsum alias dicere *naturam animarum*, alias *hominum naturam*, alias *rationabilium omnium naturam*, alias simpliciter asserere *homines*; ut inde deducas, idem esse *animas* dicere ac *homines*, aut naturas rationales corporeas in suo jure positas, quas ab exemplo Scripturarum diversis nominibus nuncupavit, eamdem licet significationem praeferentibus; adeo ut animae lapsus intelligatur hominis defectus a divina charitate, ac sub terrenae concupiscentiae dominatione facti; et ex adverso in animae surrectione comprehendas hominis fervorem in charitate erga Deum super mundi hujus cupiditates elevati.

Hoc item paulo post ex eisdem Apostoli sensibus instaurat, inquiens: « Quod si haec bene intellexisti, transeamus nunc ab exemplis corporeae qualitatis (idest arborum et a-

'antium) ad naturae rationabilis (idest hominis) quali-
': et vide quomodo aliae (idest gentes Christi fideles)
' in qualitatibus beatitudinis secula multa perdurant:
(nempe gens judaica) in qualitate malitiae nihilo-
'ıla multa consumunt. Aliae ex his parvo tempore,
.ıtibus, vel in malitiis manent: aliae perexiguo;
.ımodum brevi. » Quae novissima verba cum speciali
.uic argumento prosint de indifferenti animae et hominis nuncupatione in libris Origenis, mentem amplius illius illustrant, suosque oppositores condemnant.

Item Tomo XVII. n. 22. *in Matthaeum*, indicaturus Origenes vocatos ad nuptias, ex Israel electos viros, ait: « Puto, autem, ingenuarum aliquarum animarum et israeliticarum primam hanc vocationem fuisse ad nuptias. » Similiter paulo post n. 31. sensum spiritalem disquirens de muliere et duobus fratribus, quorum primus quidem habuit uxorem etc.: « Mulier, dicit, sermonis illius, est omnis anima, vel synagoga, quae prius fuit sub Lege: qualis fuit anima Pauli, vel Petri, ceterorumque ex populo illo. Omnis autem anima recta, quae fuit amatrix sermonis illius etc..... Anima autem, quae non servat Legis mandatum etc.... Et tales sunt omnes animae haereticorum: quibus sermo quidem Legis antiquae mortuus est etc. »

Quapropter cum ita se habeant exempla hucusque citata de animae significatione in libris origenianis, eruitur ipsum in nuncupatione *animae, mentis, animi* aut similium, per *synecdochem* hominem indicare corporeum ac spiritalem. Et hinc ab eo per formulas *anima accidens*, et *decidens*, seu *descendens et ascendens*, seu *proficiens et deficiens*, vel *lapsa et resurgens*, aut *aversa et reversa* etc. non nisi humanae naturae arbitratum praeferri, quo usa in unam vel in alteram partem flectit, sive in bonum, aut in malum. Proindeque in Libro I. *Periarchon* c. VIII. n. 3. postquam divinam naturam ostenderat Origenes substantialiter sanctam, adjecit: « Siqua autem alia natura sancta est, ex assumptione, vel inspiratione Spiritus Sancti hoc habet ut sanctificetur: non ex sua natura hoc habens, sed accidens sibi; propter quod et decidere potest, quod accidit. Ita et accidentem justitiam

quis habere potest, unde et decidere eam possibile est. » Ex his tandem alterum cernito iniquissimum criminationis genus, quo fidelis Origenis sensus supplantatus est.

De reliquo ejusmodi dicendi formulas de anima, ejusque profectibus de malo in bonum aut e contra, vel de ejusdem descensu ac ascensu non seorsim a corpore sed in corpore versatae ac una agentis, nemo peregrinas reliquis scriptoribus ecclesiasticis istas putet; quinimmo obvias eisdem factas, apteque indicandi causa humanae naturae conditionem in hoc mundo, concinnatas, et haud ab eis dissimiles, quas tradidit Origenes.

S. Gregorius Nyssenus, qui *De hominis Opificio* et in Libro *De Anima* (si tamen auctor hujus libri ipse habeatur, quod negat Bellarminus *De Scriptoribus Ecclesiasticis*) videtur Origenis corripere doctrinam de animarum praeexistentia, earumque descensu et ascensu; si genuina ipsius scripta legisset, comprehendisset sane de hoc argumento, Origenem eadem admisisse, quae ipse probe propugnavit.

Revera, sicut sub metaphora docet Origenes animam humanam ob culpam a divina charitate frigescentem, in hujus vitae miserias delapsam fuisse, eadem, eodemque sensu dixit et consideravit ipse s. Gregorius in Sermone IV. *De Oratione Dominica;* statuens omnem naturam rationalem in duplicem vitam esse divisam, unam supernam et incorpoream, alteram terrestrem sive in terra per carnem occupatam: « Sed superna quidem vita penitus a nequitia et vitiositate pura est; ac nihil quidquam ex iis, quae ex contrario intelliguntur, cum illa vita conversatur atque communionem habet. Sed omnis vitiosus et perturbatus motus et affectus, quibus rebus genus humanum obnoxium est per infernam vitam vagatur et oberrat.... Si igitur superna quidem vita, ab affectibus et vitiis vacua, integra est et incorrupta, variis autem affectibus et aerumnis demersa est in hujus terrenae vitae miseriam: manifestum est, quod superna quidem vita utpote ab omni malo pura, per bonam Dei voluntatem prospere exigatur atque regatur. Ubi enim malum non est, bonum prorsus esse necesse est. Nostra autem vita cum a communione et usu bonorum exciderit, simul etiam excidit di-

vina voluntate etc. » Item pari sermone, eodemque sensu, animae humanae conditionem post lapsum repraesentavit Origenes.

Ita *in Titulos Psalmorum* c. VI. ait Divus: « Tempus fuit, quo unus erat chorus creaturae rationalis, in unum chori coryphaeum intentus, seseque explicans et revolvens ad illam, quae inde subministrabatur victoriae per praeceptum relatae, harmoniam et consonantiam. Postquam autem ortus peccati divinum illum chori concentum dissolvit; pedibusque primorum parentum, qui inter angelicas potestates degebant, lubrica deceptionis ratione substrata, ruinam effecit, unde homo ab illa cum angelis societate avulsus est, lapsu connexionem dissolvente, multis sudoribus et laboribus lapso homini opus est, ut eum, qui sibi jam prostrato incumbit, debellet et avertat, etc. » Itaque si nemo ob hos allegoricos sensus, quibus naturae humanae ex Adami culpa pravatae, conditionem expressit Nyssenus, hunc audeat reprobare; neque, puto, Origeni exprobrabit, qui sub eadem allegoria similia docuit.

Cassianus similiter in Libro XII. *De spiritu superbiae* c. 22. ex Proverbiorum sententia: *immundus est omnis apud Deum, qui exaltat cor suum*, ait: « Quibus manifeste probatur, omnem animam, quae superbiae fuerit tumore possessa, intellectualibus Syris, idest nequitiis spiritualibus tradi; eamque passionibus carnis involvi, ut saltem vitiis humiliata terrenis, immundam se carnaliter, pollutamque cognoscat: quae, tepore mentis erecta, immundam in conspectu Dei per elationem cordis effectam se se intelligere ante non potuit. Quo vel sic humiliatus qui a pristino tepore discedat, et ignominia carnalium passionum dejectus atque confusus, ad spiritalem fervorem deinceps semetipsum ardentius conferre festinet. »

Ac interim scito, Alardum Gazaeum coenobitam, Libros Cassiani interpretatum, s. Benedicti Abbatis scalam duodecim graduum ascendentem designasse; qua pedetentim ad culmen charitatis, ubi religionis consistit perfectio, pervenitur; et ex adverso s. Bernardum alteram delineasse descendentium scalam, idest eorum a divina charitate torpentium usque

dum in gravissima mala descendant, cujus primus gradus superbia: per quam primus homo decidit. Et in his praeclarum tibi exhibetur exemplum et expositio omnium, quae docuit Origenes de animarum descensu et ascensu et similibus, adversus illud, quod de ipso haud jure commenti sunt veteres ac recentiores circa animarum e coelis dejectarum fabulosas narrationes, quas omnimode reprobavit.

Denique de ejusmodi notione graduum ascendentium et descendentium, quos designarunt ss. Benedictus et Bernardus relate ad varios in hac vita status animae humanae erga Deum, considera quae scripsit Origenes *in Psalmum* 29. n. 2: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me.* In eo enim aliquando dicit homines, quandoque animam labi et resurgere, exaltari et demergi: « Ex persona Christi dici hunc Psalmum, ex his manifestum est: *et eduxisti ab inferno animam meam.* Possunt etiam ex persona sancti viri haec dici, cum tropice sanctus quilibet, quo tempore in peccato erat, ceu in inferno fuerit; et inde a Deo eductus sit, quando Verbi, quod secutus est, auxilio perfectus evasit. Neque enim potest exaltare Dominum, nisi ab ipso Domino suscipiatur. Nam quando exaltati sumus a terra in altum sublati per crucem Christi dicentis: *cum exaltatus fuero, omnes traham ad me ipsum*, exaltamus Dominum, qui et ipse exaltavit Patrem; et quantum in se fuit, altissimam de Patre notionem credentibus praebuit. Docet autem quosdam esse invisibiles animae humanae hostes, qui salutem a Deo traditam, illi invideant, illi insidientur: et deinde observent, num quis ei error, lapsus aut casus accidat; quorum siquid contigerit, protinus ceu malis laetos illam irridere; e contra graviter ferre, si eam viderint divinis progressibus illustratam. Gratias igitur Deo agit, quod non permiserit inimicos malis ejus delectari, sed ipsum gratia sua a lapsu erexerit. Is vero Dominum exaltat, qui praeclare et sublimiter de illo sentit; ac Deo dignam apud se doctrinam servat. Item quicumque animam suam omnibus virtutibus, prudentique ac sapienti vita erigit, is simul exaltat eum, qui in ipsa inhabitat etc. » Ista considerato; deinde mecum transi ad sequentia.



CAPUT XX.

Relate ad praemissa expenditur Apostoli testimonium ad Ephesios c. I. 4. Sicut elegit nos in ipso ante mundi καταβολὴν constitutionem.

Supersunt alia de animabus diluenda, et quidem eis affinia de quibus hucusque disputatum est, et de quibus pariter offensi sunt christiani scriptores. Et ea speciatim leguntur in c. V. n. 4. Libri III. *De Principiis.* Cum autem a duobus interpretibus Ruffino et Hieronymo varie translata sunt, utriusque versionem tradimus, et ut Auctoris mens pateﬁat, et ut quisque deinde judicet de asserti veritate vel falsitate. Scribit enim Origenes de mundi creatione: « Illud sane, inquit, otiose non arbitror praetereundum, quod Scripturae sanctae conditionem mundi novo quodam et proprio nomine nuncupaverunt, dicentes καταβολὴν *dejectionem*, sicut in Evangelio Joannis dicit Salvator: *et erit tribulatio in illis diebus, qualis non fuit a constitutione vel dejectione mundi:* Sed et Apostolus in Epistola ad Ephesios eodem sermone usus est, cum ait: *qui elegit nos ante mundi constitutionem sive dejectionem.* Dignum igitur videtur inquirere quid est, quod hoc novo nomine indicetur.

Versio Ruffini

« Et arbitror quoniam quidem finis et consummatio sanctorum erit in his, quae non videntur, et aeterna sunt; ex ipsius finis contemplatione, sicut in superioribus frequenter ostendimus, simile etiam initium rationabiles creaturas habuisse censendum est. Et si tale initium habuerint, qualem finem sperant; fuerunt sine dubio jam ab initio in his, quae non videntur et aeterna sunt. Quod si est, de superioribus ad inferiora descensum est non solum ab his animabus, quae id motuum suorum varietate meruerunt; verum et ab his, quae ad totius mundi ministerium ex illis superioribus et invisibilibus ad haec inferiora et visibilia deductae sunt, licet

non volentes; *vanitati quippe creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit in spe*, qua vel sol vel luna, vel stellae, vel angeli explerent obsequium mundo, et his animabus, quae ob nimios defectus mentis, crassioribus istis et solidioribus indiguere corporibus; et propter eos, quibus hoc erat necessarium, mundus iste etiam visibilis institutus est. Ex hoc ergo communiter omnium per hanc significantiam, idest per καταβολὴν *catavolin* a superioribus ad inferiora videtur indicari *deductio*. Spem sane libertatis universa creatura gerit, ut a servitutis corruptione liberetur, cum filii Dei, qui vel prolapsi vel dispersi sunt, in unum fuerint congregati; vel cum cetera officia expleverint in hoc mundo: quae solus cognoscit omnium artifex Deus. Talem vero ac tantum putandum est, factum esse mundum, qui vel omnes eas animas, quae in hoc mundo statutae sunt exerceri, caperet, vel omnes eas virtutes, quae adesse eis et dispensare eas, ac juvare paratae sunt. Unius namque naturae esse omnes rationabiles creaturas, ex multis assertionibus comprobatur: per quod solum Dei justitia in omnibus earum dispensationibus defendi potest, dum unaquaeque in semetipsa habet causas, quod in illo vel in illo ordine vitae posita sit. Hanc ergo dispositionem Dei, quam postea ordinavit, jam tunc ab origine mundi, rationibus causisque perspectis eorum, qui vel pro defectu mentis venire in corpora merebantur; vel eorum, qui visibilium cupiditate raptabantur, sed et illorum, qui vel volentes, vel inviti praestare officia quaedam his, qui in hunc statum deciderant, compellebantur ab eo, qui in spe subjiciebat, non intelligentes quidam, nec advertentes quod ex praecedentibus liberi arbitrii causis instituta fuisset a Deo dispositionis ista varietas, arbitrati sunt, vel fortuitis motibus, seu fatali necessitate agi omnia, quae in hoc mundo fiunt, nec esse aliquid in nostro arbitrio. Unde nec Dei providentiam inculpabilem assignare potuerunt. »

Versio s. Hieronymi ex Epistola ad Avitum n. 9.

Habitaculum divinitatis et veram requiem apud superos existimo intelligi, in qua creaturae rationabiles commoran-

tes, antequam ad inferiora loca descenderent, et de invisibilibus ad visibilia commigrarent, ruentesque ad terram crassis corporibus indigerent, antiqua beatitudine fruebantur. Unde conditor Deus fecit eis congrua humilibus locis corpora, et mundum istum visibilem fabricatus est; ministrosque ob salutem et correptionem eorum, qui ceciderunt, misit in mundum; ex quibus alii certa obtinerent loca, et mundi necessitatibus obedirent; alii injuncta sibi officia singulis quibusque temporibus, quae novit artifex Deus, sedula mente tractarent. Et ex his sublimiora mundi loca, sol et luna et stellae, quae ab Apostolo *creatura* dicuntur, acceperunt. Quae creatura vanitati subjecta est eo quod crassis corporibus circumdata et aspectui pateat; et tamen non sponte subjecta est vanitati, sed propter voluntatem ejus, qui eam subjecit in spe. *Et iterum:* alii vero in singulis locis atque temporibus, quae solus artifex novit, mundi gubernaculis serviunt, quos angelos ejus esse credimus. *Et post paululum*: Quem rerum ordinem totius mundi regit providentia, dum aliae virtutes de sublimioribus corruunt, aliae paulatim labuntur in terras: istae voluntariae descendunt, aliae praecipitantur invitae: hae sponte suscipiunt ministeria, ut ruentibus manus porrigant: illae coguntur ingratae, ut tanto tempore in suscepto officio perseverent. *Et iterum*: Ex quo sequitur, ut ob varios motus varii creentur et mundi; et post hunc, quem incolimus, alius multo dissimilis mundus fiat. Nullusque alius diversis casibus et profectibus et vel virtutum praemiis, vel vitiorum suppliciis, et in praesenti, et in futuro, atque in omnibus et retro et postea temporibus potest merita dispensare, et ad unum rursus finem cuncta pertrahere, nisi solus conditor omnium Deus, qui scit causas, propter quas alios permittat sua perfrui voluntate, et de majoribus ad ultima paulatim delabi, alios incipiat visitare, et gradatim quasi manu data ad pristinum retrahere statum et in sublimibus collocare. »

Ex hac sane discussione tum veteres tum recentiores, alii Origenis sensum illuc transtulere, quasi propter ruinam et lapsum de coelo animarum compulsus fuerit Deus fabricare corpora. Alii diversimode interpretati, inde conjecere,

invisibiles creaturas, in quibus animas ob quasdam causas soli Deo notas, dejectas fuisse in istam lacrymarum vallem. Attamen fatendum est, hoc non voluisse nec docuisse Origenem; et quamvis hujusmodi subtiles discussiones adamussim non accommodentur dogmati catholico; mens tamen Auctoris penitus ab ea variat, quam exposuit praefatus Hieronymus. Interim autem in enucleando sincero hujus paragraphi sensu, in primis novisse juvat, quandoque Origenem sub ψυχῆς *animae* vocabulo non comprehendere tantummodo hominem, sed et omnes rationales creaturas idest homines, angelos et daemones, sicuti improprie cuncta animantium genera.

Hanc porro definitionem praemisit Auctor in hujus Tractatus Libro II. c. VIII. n. 2. ubi ex professo de anima agit: « Et ideo, inquit, non mihi videtur absurdum etiam de sanctis angelis, ceterisque coelestibus virtutibus tale aliquid dicere, vel sentire. Siquidem definitio illa *animae* etiam in ipsos videtur incurrere. Quis enim rationabiliter sensibiles eos esse vel mobiles poterit denegare? Quod si recta ista videtur esse definitio, quod substantia rationabiliter φανταστικὴ et ὁρμητικὴ sensibilis et mobilis *anima* dicatur, videtur et haec eadem definitio etiam ad angelos pertinere. Quid enim aliud in illis, quam sensus rationabilis et motus est? Quorum autem una definitionis ratio est, horum sine dubio et eadem substantia est. »

Hac praemissa *animae* lata definitione, et ubi omnes continentur rationales creaturae, facilis evadit hujus pericopae interpretatio. In qua angelorum et daemonum praecipue, et oblique deinde hominum exponitur conditio sub hoc *animae* vocabulo ab Origene, cuique tamen quae sua sunt, recto ordine distributis. Cum enim de mundi initio, ejusque successive vicibus ac reparatione suum ipse intendat sermonem, ac omnia de hac re pro more suo Scripturae loca subtili discurrat investigatione, ibi et illa animadvertit in Evangelio et Epistolis Apostolorum dicta: *ante mundi constitutionem* ex graeco vocabulo καταβολὴ *dejectio* sive *deductio* ab uno ad alterum locum. In quo vocabulo sibi visum est reperiri mysterium illius, quod in mundi creatione, ac postea superventurum fuisset relate ad animas, sive creaturas coelestes,

quae arbitratu praeditae ab ordine statuto aliae defecissent in malum delapsae, aliae in bono perseverassent.

Verum, ut summatim dicam, Auctor in eo vocabulo *καταβολή* et quidem ex Apostoli sensu: *qui elegit nos ante mundi constitutionem* sive *dejectionem* sive *deductionem*, repraesentari putat mundum invisibilem, ubi degebant rationabiles creaturae, idest angeli, ante hujus mundi visibilis constitutionem, in quem deinde demissae sunt, vario ordine dispositae secundum earum cujusque meritum. Hae porro invisibiles et rationales creaturae sive animae, de quibus hic loquitur Origenes, nullimode confundendae sunt cum animabus, quae postea in hoc mundo visibili et corporeo a Deo creatae, Adamo suisque posteris successive inditae sunt: *ad imaginem et similitudinem suam fecit eos.*

Et in hoc mihi valde errasse videntur interpretes, Origenis sensum longe ab eo, quem comprehenderat, transferentes, veluti inter alios accidit Hieronymo, a cujus sane versione recedendum est, quippe potius glossa quam versio dici potest, sicuti alibi disputabitur. Non ita tamen de Ruffino suspicari licet, qui in tractatu de rationabilibus professus est, nihil demutasse ab originali graeco. Nihil penitus, inquam, ibidem Origenes indicavit de spiritu, seu de anima hominis; verum tantummodo de mentibus sive spiritibus angelicis, invisibilibus, et in mundo invisibili et aeterno creatis. Quae creaturae rationabiles utpote sui juris ac liberae ex ipso arbitratu manere in bono, ac ab eo deficere potuissent, cum nondum beatificae fuerant visioni admissae. Quod saepius docuit ac firmavit juxta catholicum dogma, veluti antea a me amplissime patefactum est tam relate ad spiritus coelestes, tam de diabolo et angelis ejus.

Post haec, quaestione resumpta de rationabilium lapsu juxta mysticam *καταβολή dejectio* significationem, perstat Origenes dicens, de ceteris creaturis, de angelis coelestibus nempe, sicuti de sole quoque, luna et stellis similem dejectionem sive deductionem probari posse, quasi ipsae, licet invitae, dejectae fuissent in hunc mundum visibilem, ut scilicet obsequium praestarent mundo, et his animabus idest diabolo et omnibus potestatibus contrariis, quae ob defectio-

nem dejectae sunt e coelo, et his corporibus irrationalibus illigatae ad supplicia, sicuti et angeli boni in hoc mundo destinati propter homines in eorumdem regimen et custodiam; donec aliquando hae creaturae vanitati quidem subjectae *non volentes* ut ait Apostolus, ac spem libertatis gerentes, a subjectionis servitute evaderent, cum filii Dei fuerint in unum congregati. Denique concludit, talem mundum visibilem conditum esse; *qui vel omnes eas animas,* idest Adamum ac universum ejusdem genus hic situm exercendi causa caperet, tum angelicos spiritus ad ministerium humani generis e coelo mittendos, tum potestates contrarias, Deoque rebelles.

Volens porro rationem reddere de hujusmodi rationalium creaturarum statu in hoc mundo, nimirum de angelis, de daemonibus ac de hominibus (quorum omnium spiritum unius esse putat naturae), hoc divinae justitiae oeconomiae mandat, quod istae singulae in hoc vel illo vitae ordine collocatae sint. Vide interim nihil inde statui posse, quod placuit adversariis, de mentibus sive spiritibus, ob defectionem coelo demissis, ac corporibus humanis illigatis ea animandi causa, seu de aliis hujuscemodi commentis nusquam ab Origene excogitatis.

Verumtamen ut latius pateat hujus pericopae sensus, cetera conferantur, quae de hoc argumento alibi scripsit. Et primum quae dicit de hac scripturali voce καταβολὴ *dejectio, in Joannem* Tomo XIX. n. 5. ubi praeclare mundum intelligibilem ab hoc sensibili distinguit: « Sed, ait, praeter hunc visibilem et sensibilem mundum constantem e coelo et terra, sive e coelis et terra, est etiam alius quidam mundus, in quo sunt quae non videntur: et hoc totum est mundus inaspectabilis, mundus qui non videtur, mundus intelligibilis: cujus visione et pulchritudine fruentur, qui puro sunt corde, quo, hujus mundi intelligibilis visione antea bene parati, penetrant, vel ad ipsum Deum videndum, quatenus videri natura potest Deus..... Alioquin quomodo mundus iste habere aliquid superne potest, cujus conditio est dejectio? Neque enim oscitanter legendum est illud: *ante dejectionem mundi*, cum Sancti convenienter et studiose nomen hoc τῆς καταβολῆς *dejectionis* propter talem intelligentiam

finxerint. Alioquin dicere poterant πρὸ κτίσεως *ante conditionem mundi*, nec uti *dejectionis* vocabulo. Totus itaque mundus, et quae in ipso sunt, in dejectione sunt; at vere extra dejectionem totius mundi sunt germani Jesu discipuli etc. »

Ex hoc perspicito quomodo comprehendenda sint, quae ait in praefato sermone sub typo nominis *dejectio* quoad mundum invisibilem et intelligibilem et quoad creaturas rationabiles ibi degentes, diversum ab altero visibili et sensibili, qui a Deo conditus est in poenam spirituum immundorum, in periculum et probationem spirituum humanorum, et pro ministerio spirituum angelorum sanctorum. Praeterea cum scribit Origenes rationales creaturas ab eo invisibili descendentes in hunc mundum visibilem, nonnullas, spiritus scilicet apostatas, sive daemones crassis corporibus obligatas fuisse, et alias, idest angelos bonos, ad ministerium mundi destinatas, ab his excipit humanos spiritus; non enim id principale argumentum postulabat, nisi oblique.

Quod autem ibi notavit de creaturis hujusmodi sive animabus ad hunc mundum inferiorem dejectis, ac ibidem corpori crassiori illigatis et tanquam visibilium cupiditate correptis, non nisi de daemonibus comprehenditur, quos Apostolus ad Ephesios c. VI. 12. vocat *principes et potestates, mundi rectores tenebrarum harum, spiritualia nequitiae*, et veluti Christus dixit *mundi principes*. Et re quidem vera, conferantur quae alibi Auctor de his docet. In Libro III. 35. contra Celsum de falsis diis inquit: « Quippe qui mali daemones sunt, qui idcirco in terra sibi loca elegerunt, quia priores attingere non possunt diviniores que sedes, quo nihil crassum e terra et de malis quae in ea sunt, innumeris, pertingit. »

Manifestius Libro VII. n. 35. in eumdem dicentem: *deos humana forma conspici non fallaces sed revera*: « Nam scimus, ait, daemones illos esse, adipe, sanguine, nidoreque victimarum saturatos; eosque sic in carceribus retineri, quos sibi sua cupiditate construxerunt. Hos carceres graeci templa deorum esse putant, sed nobis fraudulentorum daemonum habitacula esse patet. » In Exhortatione ad Martyrium n. 45. sed quoniam, inquit, nonnulli non perspecta daemo-

rum natura, ignorantesque eos, ut in denso hoc aere, qui terram ambit, commorentur, suffitum indigere alimento etc. » *In Joannem* Tomo I. 17. diabolum *draco* nuncupatum, cum antea materia corporea careret, e vita pura excidentem, corpori ac materiae alligatum fuisse putat. Ex his ergo et similibus testimoniis obviam cuique venientibus in Operibus Origenis, patefit, quales et qua mente doceat, creaturas rationales sive mentes ob defectionem a bono, de mundo invisibili in hunc mundum dejectas, crassiori corpori obligandas fuisse; spiritus nimirum ibi indicans Deo rebelles, angelos apostaticos; quin ideo eorum opinioni communicet, qui animas hominum in iis dictis comprehendi suspicati sunt.

Item facile conceptu est, quod ibi ait de ceteris creaturis rationalibus (quae sub sanctorum angelorum nomine vocantur) quibus mundi regimen commissum est, et hominum custodia et adjutorium; quod saepius alibi firmat explanatque, et praecipue in *Canticum Canticorum* Libro II. ex verbis: *similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoad usque rex sit in accubitu suo*: « Et nunc ergo, inquit, videntur haec amici vel sodales sponsi ad sponsam locuti, qui secundum intelligentiam mysticam, et, ut supra jam diximus, aut angeli, vel etiam prophetae, aut patriarchae intelligi possunt. Non enim tunc solum, cum post baptismum Joannis in deserto tentatus est a diabolo Dominus, recesserunt angeli et ministraverunt ei; sed ante adventum praesentiae corporalis ministraverunt semper. Nam et Lex disposita in manu per angelos dicitur mediatores. Et ad Hebraeos scribens Apostolus dicit: *si enim qui per angelos habitus est sermo, factus est firmus.* Ipsi ergo erant velut actores et procuratores appositi parvulae sponsae cum paedagogo Lege, donec plenitudo temporum veniret ...... Antequam ergo tempus horum adesset, in multis angelorum ministerio excolebatur sponsa; qui apparebant tunc hominibus, et loquebantur ea, quae res poscebat et tempus .... Nunc autem nobis propositum est ostendere, quomodo sancti angeli, qui ante Christi adventum velut parvulae adhuc sponsae tutelam procurabant, ipsi sunt amici et sodales sponsi, qui ad eam dicere videantur: *faciemus tibi* etc. » In his por-

ro, quae Origenes notat de varia daemonum et angelorum sanctorum sorte in hoc mundo visibili, primaevorum Patrum sensum complectitur. Ideoque aut nemo, aut omnes simul cum eo corripiendi sunt.

Verumtamen quod valde proficit quaestioni nostrae ejusque illustrationi, legitur in Libro II. *De Principiis* c. IX. 7. ubi ab Adamantio pariter causae praecedentes exquiruntur varietatis creaturarum rationabilium ex propriae libertatis usu, in qua condidit eas Deus; quas causas cum praevidisset, hunc mundum creavit. Nequid autem, cum ita ageret Deus, injustitiae in ipso appareret, exemplum proponit de Esau et Jacobo; de quibus priusquam nascerentur dictum fuerat: *major serviet minori,* et unus alterum supplantabit, quin tamen ibi ulla reperiatur iniquitas: « Ita etiam a pari, sequitur, de coelestibus creaturis, si advertamus quia ista diversitas non creaturae principium, sed ex praecedentibus causis pro meriti dignitate diversum singulis a conditore ministerii paratum officium, ex eo profecto, quod unusquisque in eo, quod mens a Deo creatus est, vel rationabilis spiritus pro motibus mentis et sensibus animorum, vel plus vel minus sibi meriti paraverit, vel amabilis Deo, vel etiam odibilis extiterit. Cum tamen aliqui ex his, qui melioribus meritis sunt, ad exornandum mundi statum, compati reliquis, et officium praebere inferioribus ordinentur; quo per hoc et ipsi participes existant patientiae Creatoris, secundum quod Apostolus ipse dicit: *vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecerit in spem.* Observantes igitur istam sententiam, quam Apostolus de nativitate Esau et Jacob exponens dixit: *nunquid injustitia est apud Deum? Absit*: etiam in omnibus creaturis rectum arbitror hanc eamdem debere sententiam custodiri: quoniam sicut superius diximus, justitia debet Creatoris in omnibus apparere. »

Cum autem dicit Origenes, *unius naturae esse omnes creaturas rationales,* idest angelos, daemones et homines, harum essentiam spiritalem, intelligibilem et liberam animadvertit, uti ipsae se habuere, a Deo in creatione sui juris conditae. Propter quod Deus ex arbitratu cujusque, quo praeditae fue-

re, harum in bono persistentiam praevidens, aliarum ab ipso lapsum, ita mundi dispositionem ordinavit, ut omnes hae naturae rationales fini suo satisfacerent, tam illae, quae in bono perseverarunt idest angeli; tam quae ab eo deciderunt, idest daemones; tam istae idest homines, qui in hoc mundo exercendi erant. Et ob hoc addit, nonnullos, haud sane considerantes harum creaturarum rationabilium varietatem in hoc mundo, sapienter a Deo excogitatam ob eorum praevidentiam, quae his animabus contigissent ex proprio arbitratu, nonnullos existimasse, omnia nempe quae in hoc mundo fiunt, fortuito, sive fatali necessitate evenire; unde nec Dei providentiam inculpabilem eos potuisse assignare dicit.

In his omnibus itaque intelligito, quomodo Origenes aeque ibi secernat animas, sive creaturas rationales sive spiritus angelorum sanctorum, a spiritibus nequitiae sive immundis, et hos a spiritibus seu animabus hominum, unicuique committens quae sua sunt: nec ideo confuderit animas daemonum cum animabus hominum, nec unas cum alteris associarit, nec primas pro secundis indistincte usurparit. Et quamvis actio unius idest spiritus nequam invalescere possit contra spiritum hominum, ac suae potestati subducere etc. nunquam tamen dixit Adamantius spiritus diabolicos conversos fuisse, seu converti in animas hominum, adeo ut natura animae humanae non sit amplius quam natura diabolici spiritus; sive non extiterit unquam diversa a spiritu daemonum. Quae somnia, inquam, neque hic nec alibi docuit, nec docuisse potuit.

Post haec, omissis, quae deinde scribit, satis traditae interpretationi uniformia, quisquis, sedulo perpensis quae notavimus, judex et Ruffini et Hieronymi translationis subire voluerit; profecto Ruffini versionem secutus (in qua nihil a textu graeco mutasse fatetur) sibi consectarium repererit Origenem tum scilicet contextui, tum his, quae alibi dictavit. Et si in omnibus Auctorem adamussim dogmati catholico haud concordem probaveris; certo tamen ista minime aequiparanda sunt iis, quae transtulit Hieronymus admodum explicatu difficilia; ubi confusus apparet locutionis ordo, vocabulorum sensus corruptus; et unde necessario illud exiit

commentum omnino a veritate dissitum, proindeque ab ejusdem Origenis scopo, quem ibi intenderat discutiendum.

Attamen quidquam manet notandum de iis, quae idem Hieronymus in Commentario Epistolae ad Ephesios putavit Auctori exprobrare ex verbis: *sicuti elegit nos in ipso ante mundi* καταβολὴν *constitutionem*. Quamvis autem hucusque desideretur textus Commentarii Origenis in praefatam Epistolam, ac non nisi hujus breviarium supersit apud ipsum Hieronymum, nihilominus ex translatione s. Doctoris abunde suspicio, ipsum non comprehendisse sinceram Origenis expositionem in citatum Apostoli testimonium.

Haec autem omnia excutit Hieronymus in Libro I. contra Ruffinum n. 22. inquiens: « Ita: *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, interpretati sumus, ut electionem non, juxta Origenem, eorum diceremus, qui prius fuerant; sed ad Dei praescientiam referremus. » Ac nonnullis interpositis addit: « Alius vero (Origenes) qui Deum justum conatur ostendere, quod non ex praejudicio scientiae suae, sed ex merito electorum unumquemque eligit, dicit, ante visibiles creaturas coelum et terram, maria et omnia quae in eis sunt, fuisse alias invisibiles creaturas, in quibus et animas; quae ob causas soli Deo cognitas, dejectae sunt deorsum in vallem istam lacrymarum, in locum afflictionis et peregrinationis nostrae: in quo Sanctus constitutus orabat, ut ad sedem pristinam reverteretur, dicens: *heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; habitavi cum habitantibus Cedar: multum peregrinata est anima mea*. Et Apostolus: *miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et: *melius esse reverti et esse cum Christo*. Et alibi: *antequam humiliarer ego deliqui;* et cetera his similia, quae longum est scribere. » Et post pauca concludit s. Doctor: « Posui ergo omnia, licet brevius, quae in graeco reperi, ut nihil haberent discipuli ejus novi, quod latinorum auribus ingererent. »

Reapse paulo ante et alibi dicit se Commentariorum Origenis sensum aperuisse, alia adiecisse, alia breviasse, plura emendasse. Et hinc est quod, uti superius significavi, vereor ne ipsum latuerit Interpretis mens, eamque invitus perverterit. Quamobrem denuo Origenis interpretationem in

re, harum in bono persistentiam pr /*sive dejectionem*, ubi-
lapsum, ita mundi dispositionem e avat. Num scilicet ex eo
turae rationales fini suo satisfa harum praeexistentiam, ea-
no perseverarunt idest angel quare fuerint inde in terram,
idest daemones; tam istae dem dejectae prope ethnicorum
exercendi erant. Et ob
siderantes harum cr rate Scripturae testimonia ex Orige-
hoc mundo, sapien citata considerentur, amplissime dedu-
tiam, quae his rum significari animarum statum in hac vi-
nonnullos exi tam culpam; et ideo animam humanam di-
fortuito, s *lacrymarum* vallem dejectam, non proprie idest
videntia *terram* hanc depulsam. Sed improprie, sive me-
l hunc descensum lamentatur anima ob quietem ac
qu amissum, quo in Adamo olim ipsa condita frue-
uti sapientissime ait Apostolus: *miser ego homo, quis liberabit de corpore mortis hujus?* Et hinc cum addit Origenes ex Psalmista: *antequam humiliarer, ego deliqui*, haud indicat se de coelis dejectum esse in hunc mundum ob peccatum suum; sed in persona Adami peccantis humiliationem suam luget tanquam a Domino peregrinus.

Verum ut amplius vocabuli *chataboli dejectio* symbolica comprehendatur significatio, qua pro more suo utitur Origenes, ut mundi hujus et omnium, quae in eo sunt miseram conditionem exprimat, atque ab ea distinguat, in qua ante peccatum erat homo, revocentur, quae ipse ex Tomo XIX. 5. *in Joannem* praemisit hujus vocis discussioni: unde in hanc descenderat expositionem; cujus thema istud erat: *et dicebat illis: vos ex infernis estis, ego e supernis sum; vos ex hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo.* Excutiens itaque Origenes horum verborum differentiam, hanc reperit in humanae naturae statu ante et post peccatum: quo homo noster cum esset e supernis, ad inferiora lapsus est, coelestium oblitus, terrena concupiscens, et a coelestibus devius, carnalia desideria sectatus; donec venit Servator quaerere et salvare quod perierat: « Venit eos translaturus ad superna, qui inferne erant, et adscripti cives inter eos, qui erant in infimis partibus terrae.... Quod si cupis a Scriptura discere, quis sit ex infernis, itemque quis sit e supernis, audi: *quoniam*

rit *uniuscujusque thesaurus, illic erit et cor.* Siquis recondiderit in terra, ex ipso, quod recondidit the- 'erra, ex infernis efficitur; sin vero thesauros re- coelis, nascitur e supernis, et assumit imaginem etc. » Quorum omnium, inquam ego, typum excogitavit in vocabulo *dejectio*, quin tamen putaret translationem de coelis in terram ..igandarum ob peccata in coelestibus patrata.

..eterea ut peregrina habeatur interpretatio, quam ..ronymus fingit Origeni circa animarum hominum descensum aut dejectionem proprie sumptam ex Apostolo: *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, conferantur quoque quae de hujusmodi testimonio alibi exposuit Auctor. In Libro *de Oratione* n. 5. ubi propugnat hominis arbitrium, inquit, nihil contra hoc agere divinam praescientiam de futuris circa nostram electionem ante mundi constitutionem. Quibus recte expositis, prorsus silet de animarum humanarum creatione in mundo invisibili, ac inde in hunc mundum visibilem dejectarum ob peccatum in illo admissum. Similiter *in Canticum Canticorum* Libro II. eadem verba eodemque sensu interpretatur, inquiens a constitutione mundi fundatam esse Ecclesiam, quinimmo ante mundi constitutionem: cum ex praescientia nempe sua Deus viderit in Ecclesiam suam congregandos fideles, sanctos et immaculatos; quin ultra putet de animabus a coelo in hunc dejiciendis mundum ad praevaricationum suarum poenam, quas in coelestibus locis admisissent, ea esse divina referenda verba.

Quamvis porro Origenes, ut dixi, sub *animae* vocabulo omnes intelligibiles et rationales creaturas comprehenderit; attamen has opportune distinguit ex propriis earum qualitatibus, dotibus et ministerio, ac deinde ex praemiis et poenis, docens, non animas nostras sed angelos et daemones ab illo invisibili mundo, istos idest daemones ob suam a Domino defectionem, aut rebellionem in hunc visibilem deductos ac damnatos ad luendas poenas, alios idest angelos probos de coelis huc missos in nostram custodiam et famulatum. Quam tamen sententiam, quomodocumque de ea sentiendum sit, quippe coaevis scriptoribus accceptam, sicui non placeat, i-

psi sicuti et ceteris Patribus condonandam esse puto. Ceterum mihi modo, Auctorem a fabulosis commentis de animarum descensu, sive emigratione ab eo mundo invisibili in hunc mundum visibilem, abhorruisse, demonstrasse satis est.

Hujus generis porro omnes de terrestribus aut coelestibus locutiones relate ad animae mansiones, non nisi mystice sive sensu spiritali comprehendi patet ab eodem, veluti et ipse Christus discipulis suis significavit, inquiens: *vos ex mundo estis: ego non sum ex hoc mundo:* « Vide enim, optime dicit Origenes, an municeps corporum aliquo pacto sit ex hoc mundo, non tamen ex infernis localiter: verumtamen ipse etiam ex infernis est, comparatione rerum, quae mente percipiantur. Etenim omnis municeps eorum, quae videntur, quaeque pertranseunt, et quae sunt temporalia, ex infernis est, etiam si ex comparatione locorum sit ex supernis. Licet tamen cuicumque, qui ex infernis, et ex hoc mundo et e terra fuerit, immutari et fieri e supernis, nec amplius ex hoc mundo esse. Alteri etiam licet, ex hoc seculo cum sit, fieri e coelo, dicente discipulis Salvatore: *ex mundo eratis, et ego vos e mundo elegi, nec amplius ex mundo estis.* » Et hic fuit et est ecclesiasticorum Patrum sermo et sensus, a quo nunquam recessit Origenes, ubicumque detestatus ethnicorum commenta de animae humanae origine et conditione.

Denique quoad hujusmodi de anima humana Origenis investigationes, repetenda sunt ab ipso praemissa tum de discussionis difficultate, tum de opinionum varietate in graeca et christiana philosophia tunc invalescentium: adeo ut, si in omnibus Origenes dogmati catholico non satisfecerit adamussim, in his non ut errans aut haereticus, sed potius ut ignarus corripiendus sit. Ac ideo interim opportune nobis obveniunt, quae scribit de hoc argumento s. Augustinus in Libro VI. et VII. *De Genesi ad litteram*, asserens, multos mortales in hac quaestione diutine laborasse; et etiam posteris in quo laborarent, plurimum reliquisse. Neminem adhuc dicit repertum, qui tam dilucide de anima scripserit, ut nihil amplius sit quaerendum. Ac deinde illud nobis praesertim haud est omittendum, quod de eo scribit s. Pamphilus in cc. VII. et IX. Apologetici, inquiens, Origenem etsi *Magi-*

strum Ecclesiae, non esse ausum librum scribere *de Anima,* et hoc indicare, nihil tunc posse de hac re, manifesto dogmate confirmari. Ac itaque *in Epistolam Pauli* ad Titum (ubi Origenes haereticum describit) haec ejusdem verba refert: «Sunt vero et alia quaedam dogmata, quae in apostolicis traditionibus non habentur; de quibus requires, si oportet eos, qui quodlibet de his sentiunt, vel pertractant, haereticos putandos; ut puta v. g. dixerim, siquis rationem humanae animae inquirat; cum de ea, neque ex seminis traduce ducatur, neque quod honorabilior et antiquior corporum compage sit, tradiderit ecclesiastica regula. Propter quod multi nec comprehendere potuerunt, qualiter sentiri oporteret de animae ratione. Sed et qui aliquid sentire, vel disserere nisi sunt, a nonnullis in suspicione habentur, velut novi aliquid introducentes. »

Cunctis ab Origenis libris erutis et expositis sententiis de anima humana, cernito quantum absint ab insimulationibus, quas adversus ipsum contexerunt obtrectatores. Vide in quantas ideo illusiones prolapsi sunt s. Epiphanius, Theophilus, s. Hieronymus, Antipater, et Auctor Epistolae Justiniani ad Mennam, fidem libellis exhibentes, pravo calamo elaboratis; sive scripta sub falso Origenis nomine edita suscipientes, ubi tam impia dogmata et absurda continebantur. Cum neque explicite, nec implicite erui ex ejusdem genuinis Operibus posse ostendimus, quod praefatorum virorum satisfaciat opinioni contra orthodoxum Auctoris sensum. Immerito ergo integram Origenis fidem exagitarunt veteres et recentiores, absurda ei confingentes de animabus hominum: idest ipsas, antea cum essent angeli in coelis, inde ob peccatum directas fuisse in hunc mundum, poenas luituras antiquorum peccatorum; vel aliter ψυχᾶς nuncupatas quia calorem pristinum amiserunt, et hinc de coelestibus ad inferiora venisse. Quae sane cum jure nugae et deliramenta ab his vocentur, nequaquam ideo ab eisdem Origenes nugax aut delirus vocandus erat; quippe ab his absurdis penitus alienus, non solum perpetuo abhorruit; sed et plenissime confutavit.

CAPUT XXI.

Quaeritur num ex Origenis libris argui possit, ipsum sive recta, sive oblique admisisse materiae aeternitatem.

Postquam sedulo studio tot percurrimus Origenis scripta, ejusque dogmata investigavimus ab adversariis cujusque aetatis propulsata tanquam falsa, atque catholicae fidei injuriosa, quae tamen num talia habenda sint nec ne, seu, ut satius inquam, utrum haec senserit ac docuerit Auctor, lector benevolus viderit; quaedam explorandae manent locutiones, in quibus pariter offensi sunt ecclesiastici viri; et in quibus consequenter discutiendis opus impendere existimo; si forte quidquam pro tanti viri excusatione invenire potuero; eoque magis quod, hoc errore admisso, videatur Origenes contra se ire, modo affirmans, modo negans, quidquid antea firmaverat. Et interea rem ineuntes, quoad primam partem, materiam Deo coaeternam statuisse ajunt Adamantium, variis innixi testimoniis ex *Periarchon* speciatim desumptis; quibus attamen praeire puto, sententias ab eo citatas, veritatique catholicae concordes explanans.

Profecto quemadmodum in praefatis quaestionibus, pro nobis ac praecipuo quidem loco, stat fidei professio, quam ipse emisit in Prologo citati Operis *De Principiis*, ubi ait n. 7: « Est praeterea in ecclesiastica praedicatione, quod mundus iste factus sit, et a certo tempore coeperit, et sit pro ipsa sui corruptione solvendus. » Quam obtestationem denuo renovat in c. V. n. 1. Libri III: « Post haec, inquit, jam quoniam quidem de ecclesiasticis definitionibus unum habetur praecipue secundum historiae nostrae fidem, quod mundus hic factus sit, et ex certo tempore coeperit etc. » Hanc insuper definitionem in c. III. n. 1. ejusdem Libri I. roborat ex omnium consensu: « Qui quoquomodo providentiam esse sentiunt, Deum esse ingenitum, qui universa creavit atque disposuit, confitentur; eumque parentem universitatis agnoscunt. » Ex his distinctionem inspice inter creationem et dispositionem: creatio enim ex non existenti existentiam dicit:

ex nihilo creavit ea Deus, ait Scriptura Machabaeorum. Dispositio vero rerum conditarum ordinem sibi vult, quem omnibus indidit; uti perspicue in n. 3. sequenti scribit: « Quod autem a Deo omnia creata sint, nec sit ulla creatura, quae non ab eo hoc ipsum ut esset, acceperit, ex multis Scripturae assertionibus comprobatur, repudiatis atque depulsis, quae a quibusdam falso perhibentur, vel de materia Deo coaeterna, vel de ingenitis animabus, quibus non tam subsistendi naturam, quam aequalitatem atque ordinem a Deo insitum volunt. Nam et in eo libello, qui Pastoris dicitur Angeli poenitentiae, quem Hermas conscripsit, ita refertur. Primo omnium crede, quia unus est Deus, qui omnia creavit, atque composuit: qui, cum nihil esset prius, esse fecit omnia: qui est omnia capiens, ipse vero a nemine capitur. »

Insuper in Libro II. c. I. n. 4. eadem tradit, incredulos haereticosque confutans huic dogmati resistentes, et inquiens: « Hanc ergo ὕλην materiam, quae tanta et talis est, ut sufficere ad omnia mundi corpora, quae esse, Deus voluit, queat, et conditori ad quascumque formas velit et species, famularetur in omnibus et serviret, recipiens in se, qualitates quas ipse voluisset imponere: nescio quomodo tanti et tales viri ingenitam, id est non ab ipso Deo factam, conditore omnium, putaverunt; sed fortuitam quamdam ejus naturam virtutemque dixerunt. Et miror quomodo isti culpent eos, qui vel opificem Deum, vel providentiam hujus universitatis negant; et impie eos sentire arguunt, quod tantum mundi opus arbitrentur sine opifice, vel provisore constare: cum ipsi quoque similem culpam impietatis incurrant, ingenitam dicentes esse materiam, Deoque ingenito coaeternam. » Quae omnia in totius Operis *Anacephaleosi* n. 33. Libri IV. pro rei veritate instaurando obsignavit. Verumtamen hoc idem argumentum perbelle pertractavit in Commentario Geneseos et speciatim in Homilia XIV. n. 3. ejusdem libri: « Multi inquit, philosophorum unum esse Deum, qui cuncta creaverit, scribunt. In hoc consentiunt legi Dei. Aliquanti etiam hoc addiderunt, quod Deus cuncta per Verbum suum et fecerit et regat; et Verbum Dei sit quo cuncta moderentur. In hoc non solum Legi, sed etiam Evangeliis consona scribunt.

Moralis vero et Physica, quae dicitur philosophia, pene omnia, quae nostra sunt, sentiunt. Dissident vero a nobis, cum Deo dicunt esse materiam coaeternam; dissident, cum negant Deum curare mortalia etc. »

His resumptis manifestissimis testimoniis tam studiose ab Origene enucleatis, tam firmiter constitutis, et quibuscum tam alacriter in haereticos, ethnicosque philosophos propugnavit mundi ac materiae initium et ex nihilo creationem, cur quis suspicari poterit, ipsum deinde tot obtestationibus mentitum, mundi hujus sive materiae cum Deo aeternitatem docuisse? et quidem in eodem tractatu, ubi paulo ante, seu paulo post his contraria scripserat? Ideoque ni insanientem velis Origenem, haec fieri non potuisse fatendum erit. Proindeque si adversarii quaedam reperiri putarint in ejusdem libris errori de materiae aeternitate affinia, satis verosimillimum est, ipsos latuisse genuinam Scriptoris mentem.

Reapse, ex paragrapho 10. c. II. Libri I. ipsi potissimum instant, Adamantium sic sermonem instituisse, ut inde eruatur *de materiae aeternitate fabulatum esse*. Quorum verborum sensus ut aeque pateat, quae praeveniunt his, quaeque sequuntur ob oculos ponantur lectoris. Inquit enim: « Videamus etiam de eo quod dictum est, quoniam *aporrhoea est purissima gloria omnipotentis*: et prius quidem consideremus, quid est gloria omnipotentis Dei, deinde etiam quid sit ejus *aporrhoea* sentiemus. Quemadmodum pater non potest esse quis, si filius non sit, neque Dominus quis esse potest sine possessione, sine servo: *ita ne omnipotens quidem Deus dici potest, si non sint, in quos exerceat potentatum; et ideo, ut omnipotens ostendatur Deus, omnia subsistere necesse est.* Siquis enim est, qui velit vel secula aliqua, vel spatia transiisse, vel quodcumque aliud vult nominare, cum nondum facta essent, quae facta sunt: sine dubio hoc ostendet, quod in illis seculis vel spatiis omnipotens non erat Deus, et postmodum omnipotens factus est, ex quo habere coepit, in quos ageret potentatum; et per hoc videbitur profectum quemdam accepisse, et ex inferioribus ad meliora venisse: siquidem melius esse non dubitatur, esse eum omnipotentem quam non esse.

« Et quomodo non videbitur absurdum, ut cum non haberet aliquid ex his Deus, quae eum habere dignum erat, postmodum per profectum quemdam in hoc venerit ut haberet? Quod si nunquam est, quando non omnipotens fuerit, necessario subsistere oportet etiam ea, per quae omnipotens dicitur, et semper habuerit, in quibus exercuerit potentatum; et quae fuerint ab ipso rel rege, vel principe moderata: de quibus plenius in locis propriis, in quibus de creaturis ejus disceptandum fuerit, disseremus etc. »

Verumtamen praecipua quaestio versatur in verbis: *ita ne omnipotens quidem Deus dici potest, si non sint in quos exerceat potentatum; et ideo ut omnipotens ostendatur Deus, omnia subsistere necesse est;* unde offensi sunt Origenis hostes. Et interim primo loco tanquam oppositionis nucleus, investigetur quid sibi velint, et cui referantur dictiones *in quos;* an scilicet res creatas sive rationales, seu irrationales ibi comprehendat Auctor, an potius divinae Sapientiae attributa; quae paulo ante de Scriptura Salomonis excerpsit; quaeque in Filio Dei utpote proprietates suas designavit nunquam ab eo separandas; et sine quibus non esset Dei Sapientia*: vapor est quidam*, de ea dicit Auctor Sapientiae c. VII. 25. 26. *virtutis Dei et aporrhoea omnipotentis gloriae purissima, et splendor lucis aeternae, et speculum immaculatum inoperationis, sive virtutis Dei, et imago bonitatis illius.* Et profecto ex his vocabulis *in quos* realiter, simpliciter, ac seorsim a quovis intuitu concludit Origenes omnia et singula Dei Patris attributa; quibus etiam Filius quippe Sapientia Patris et unus cum eo, communicat, et necessario communicare debet; virtutem dico, gloriam, lucem aeternam, inoperationem, bonitatem, ceterasque perfectiones. Quibus consequenter *gloriam omnipotentis* jungit; in qua tam speciales considerationes componit, de quibus infra.

Quapropter quivis alius dictionis *in quos,* sensus sive relatio ad materiam mundi tanquam Deo coaeternam (uti frustra existimarunt interpretes) admitti nequit. Non enim, inquam, hoc ibi animadvertit Origenes; eoque magis si graecam sequamur horum vocabulorum formam et significationem, paulo post in ipso sermone accersitam, uniformiter et

patentius argumentationis ordini adaequatam. Adhuc namque graeci textus fragmentum superest, ubi eadem verba *in quos* exerceat potentatum, ita explanantur: *Ἐπὶ δὲ οὐκ ἔστιν ὅτε παντοκράτωρ οὐκ ἦν, ἀεὶ εἶναι δεῖ ταῦτα δι' ἃ παντοκράτωρ ἐστὶ, καὶ ἀεὶ ἦν ὑπ' αὐτοῦ κρατούμενα, ἄρχοντι αὐτῷ χρώμενα.* Quae ad litteram versa hujusmodi sonant: Ex quo vero non est, cum omnipotens non fuerit (Deus) semper (in ipso) esse oportet ea, propter quae omnipotens est, et semper fuerunt ab eo possessa, idest in sua potestate et ab eo principe exercitata. » Perinde ac si diceret: Sapientia Dei, Verbum Dei omnipotens esse nequit, nisi simul habeat et possideat, quae necessaria sunt ei, ut exerceat omnipotentiam sive potentatum; idest nisi eadem habeat attributa Filius, quae habet et in quibus pollet Pater.

Et amplius siquis haec postrema verba: *semper ea omnia ab ipso possessa et ab ipso tanquam principe exercitata,* accurate perpendat, cum ad universi materiam ab aeterno conditam ista referre voluerit, vix explicare poterit quid sit *materia possessa a Deo, et ab ipso principe exercitata.* Et insuper explicatu difficilius, quod paulo ante dixit, absurdum fore si Deus non possideret, nec haberet ipsam materiam, quippe dignam Dei possessione, quemadmodum dicendum esset, accepta adversariorum interpretatione.

Si autem Origenis mentem in ea pericope aliter comprehenderis, ac dixeris omnes divinas perfectiones a Sapientia Dei ab aeterno possessas fuisse, eique perpetuo adstitisse, ac semper ab eo exercitatas, et ob hoc divinam Sapientiam dici *gloriam sinceram omnipotentis Dei,* tunc plane sermonis ordo coalescit; nec inde amplius materiam Deo coaeternam suspicandum est admisisse Origenem. Haec porro illustrantur ab antecedentibus n. 9. ubi virtutis Dei vaporem vocat Sapientiam: « Intelligenda est ergo virtus Dei, qua viget, qua omnia visibilia et invisibilia vel instituit, vel continet, vel gubernat; quae ad omnia sufficiens est, quorum providentiam gerit, quibus velut uni, ita omnibus adest. » Et paulo post addit n. 10: « Per Sapientiam enim, quae est Christus, tenet Deus omnium potentatum, non solum dominantis auctoritate, verum etiam subjectorum spontaneo famulatu..... Hoc

modo namque verum erit illud, quod ipse dicit ad Patrem, quia *omnia mea tua sunt, et tua mea, et glorificatus sum in eis.* Si vero omnia, quae Patris sunt, Christi sunt, inter omnia vero, quae sunt, Pater est etiam omnipotens, sine dubio etiam unigenitus Filius debet esse omnipotens, *ut omnia quae habet Pater, etiam Filius habeat.* »

Quapropter, horum verborum sensus: *si non sint per quae exerceat potentatum* (sive virtute, sive actu) *omnipotens Deus dici nequit;* et *deinceps ut omnipotens ostendatur Deus, omnia subsistere necesse est,* ita exponendus est: Deum in sua Sapientia *omnia* esse necesse est; seu oportet *omnia* in suae omnipotentiae proprietate esse: ac ad suipsius omnipotentiae gloriam subsistere divinam Sapientiam, *omnia* habeat opus est attributa, quae habet Pater, et cum eo substantialiter communicet, idest vitam, perpetuitatem, virtutem, bonitatem, veritatem, justitiam, inoperationem, intelligentiam, providentiam, immensitatem; ut summatim dicam, sit *omnia in omnibus cum Patre;* quibuscum revera *gloria manifestatur omnipotentiae suae.* Et hoc est, quod dicit Origenes, ut omnipotens ostendatur Deus, omnia subsistere necesse est. Ea porro illustrantur Tomo XIX. n. 5. *in Joannem,* ubi de Sapientia multiformi locutus: « Eo enim, inquit, quod sint in Sapientia omnes rei cujuscumque rationes, juxta quas facta sunt omnia, quae facta fuere a Deo, ut inquit Propheta: *omnia in Sapientia fecisti;* in ipso etiam mundus fuerit tanto picturatior, ornatior atque etiam praestantior mundo sensibili, quanto ratio mundi nuda ab omni materia, praestat huic mundo materiato, non propter materiam, sed ex participatione λόγου Verbi, et participatione Sapientiae, adornantium materiam eorum, quae ordinata fuerint. »

Postea vero quam haec adstruit Adamantius de gloria divinae omnipotentiae, ex oppositoris ore, nec suo, subdit: « Nam siquis est, qui velit vel secula aliqua, vel spatia transisse, vel quodcumque aliud nominare vult, cum nondum facta essent, quae facta sunt. » Idest, siquis velit contra ea quae hucusque docui de Sapientia tanquam gloria perpetua omnipotentis Dei, dicens aliqua secula transiisse, cum nondum condita, quae facta deinde sunt, sine dubio ostendet ad-

versarius, in iis intervallis omnipotentem non fuisse Deum, nec ideo gloriam divinae omnipotentiae tunc praetulisse; postmodum vero factum esse omnipotentem, ex quo habere coepit ea, per quae potentatum exerceret, divinas nimirum perfectiones (perpetuo tamen secum subsistentes uti suam proprietatem). Si ita foret, non fuisse semper omnipotentem Deum, sed paulatim talem evasisse (respondet adversario Origenes) videretur tunc profectum quemdam obtinuisse Deus; atque ab inferioribus, seu ab infirmitate sive ab impotentia, ad meliora idest ad omnipotentiam devenisse (potius enim est, non dubitatur, quod omnipotens sit Deus quam non sit); quomodo (instat in hunc Origenes) non erit absurdum, haec cogitare, talia dicere, nempe Deum per progressum consecutum fuisse perfectiones, quarum possessione dignus erat? Nihil ergo, uti placuit Photio, Huetio ceterisque ex praefata locutione: *ut omnipotens ostendatur Deus, omnia subsistere necesse est etc.* eruitur de materia Deo coaeterna, nisi quod ipsi verborum Origenis sensum perverterint, eidem impietatem inurentes, quam nunquam somniavit, quinimmo fortiter propulsavit.

Novissimo, si adhuc dubia in ipsis, vel quovis alio maneant circa illius dictionis scopum, mecum adeat discussa n. 2. hujus capitis; ubi extra omne, quod dici, vel intelligi potest initium, statuit, generatam esse Sapientiam: « In hac ergo, addit, ipsa Sapientiae subsistentia, quiá omnis virtus ac deformatio futurae inerat creaturae, vel eorum, quae principaliter existunt, vel eorum, quae accidunt consequenter, virtute praescientiae praeformata, atque disposita pro his ipsis, quae in ipsa Sapientia velut descriptae ac praefiguratae fuerant, creaturis, seipsam per Salomonem creatam esse dicit Sapientia *initium viarum Dei:* continens scilicet in semetipsa, creaturae vel initia, vel formas, vel species. » Quod idem et explanavit Tomo I. *in Joannem* n. 22. ex Psalmi verbis: *omnia enim in Sapientia fecit:* « Opinor enim, sicut domus et navis fabricatur, vel aedificatur juxta figuras et formas mentibus eorum, qui structurae praesident, conceptas, domo navique principium sumentibus ab his figuris, et rationibus, quae sunt in artifice: sic universa facta fuisse juxta

rerum futurarum rationes jam antea a Deo manifestatas in Sapientia: *omnia enim in Sapientia fecit*: dicendumque est Deum, cum animatam Sapientiam, ut ita loquar, creasset, illius curae permisisse ut ex figuris et speciebus, quas ipsa habebat (opinor) subsistentiam et plasmationem et formas praeberet entibus et materiae. » Et id uniformiter dictis Apostoli ad Colossenses c. I. 17. *Et ipse* (Filius) *est ante omnia, et omnia in ipso constitere.* »



CAPUT XXII.

De pluralitate mundorum ex Origenis mente disputatur adversus suos accusatores.

Post haec eadem via incedentes, alteri occurrimus incusationi de pluralitate mundorum, qua impetitur Origenes aeque ac de aeternitate materiae; ubi, ni fallor, videntur argumenta supra citata quodammodo solutioni hujus quoque secundae quaestioni satisfacere posse, seu saltem iter ad optatum terminum delineare; speciatim cum prae oculis habeatur quod scribit Adamantius ipse de divinae Sapientiae omnipotentiae gloria; quae omni tempore ab aeternitate cum Deo Verboque suo inseparabiliter, virtute praescientiae praeformata manens usque in perpetuum perseverabit. Loca interim, de quibus disputatur ab adversariis, et ubi Auctorem errantem repererunt, inscribuntur Libro II. c. III. et Libro III. c. V. *De Principiis;* unde discussionis initium aggredimur, quippe, uti dixi, nuper praefatis consonant. Ibi namque sermonem instituens Adamantius de mundi creatione ex tempore, objectioni praeit, n. 3. inquiens: « Sed solent nobis objicere dicentes: Si coepit mundus ex tempore, quid ante faciebat Deus quam mundus inciperet? Otiosam enim et immobilem dicere naturam Dei, impium est, simul et absurdum vel putare quod bonitas aliquando bene non fecerit; et omnipotentia aliquando non egerit potentatum. Hoc nobis objicere solent dicentibus mundum hunc ex certo tempore coepisse; et secundum Scripturae fidem annos quoque aetatis ipsius numerantibus. Ad quas propositiones non arbitror aliquem haereticorum secundum rationem dogmatis sui posse facile respondere. *Pergit*

Versio Ruffini

« Nos vero consequenter respondebimus observantes regulam pietatis et dicentes, quoniam non tunc primum cum visibilem istum mundum fecit Deus, coepit operari; sed sicut

post corruptionem hujus erit alius mundus; ita et antequam hic esset, fuisse alios credimus. Quod utrumque divinae Scripturae auctoritate firmabitur. Nam quod erit post hunc alius mundus, Esaias docet, dicens: *erit coelum novum et terra nova, quae ego faciam permanere in conspectu meo, dicit Dominus.* Quod autem ante hunc mundum fuerint alii, Ecclesiastes ostendit dicens: *quid est quod factum est? idipsum quod futurum est. Et quid est quod creatum est? Hoc ipsum, quod creandum, et nihil est omnino recens sub sole. Sed quis loquetur et dicet, ecce hoc novum est? Jam fuit in seculis quae fuerunt ante nos.* Quibus testimoniis utrumque simul probatur, quod et ante fuerint secula et futura sint postmodum. Non tamen putandum est, plures mundos simul esse, sed post hunc, initium aliorum futurum: de quibus superius etc. »

Versio s. Hieronymi

« Nobis autem placet ante hunc mundum alium fuisse mundum: et post istum alium futurum. Vis discere quod post corruptionem hujus mundi alius sit futurus? Audi Isaiam loquentem: *erit coelum novum et terra nova, quae ego permanere facio in conspectu meo.* Vis nosse quod ante fabricam istius mundi, alii mundi in praeterito fuerint? Ausculta Ecclesiasten: *quid est quod fuit? Ipsum quod erit. Et quid est quod factum est? Ipsum, quod futurum est. Et non est omne novum sub sole. Sed quis loquetur et dicet: ecce hoc novum est? Jam enim fuit in seculis pristinis, quae fuerunt ante nos.* Quod testimonium, concludit Hieronymus, non solum fuisse, sed futuros mundos esse testatur, non quod simul, et pariter omnes fiant, sed alius post alium. »

Veluti pluries notavimus, Ruffinus in hac elaboranda versione, cum de creaturis universim ageretur, nihil de textu graeco se emendasse obtestatus est in Prologo, sed omnia ait servasse originali uniformia prope Auctoris mentem. Ideoque verborum sensus, quem prodit, graeco consentaneus, tanquam genuinus tenendus est, sicuti et cetera, quae de hoc argumento interpretatus est. Quapropter, si Hieronymi translatio in quibusdam variet ab ea, quam compegit Ruffinus;

de Hieronymi potius dubitandum est versione, quam de altera Ruffini. Quamvis autem varietas minoris momenti fortasse cuipiam videatur, utramque conferenti versionem: nihilominus accurate perspecta, quidpiam gravitatis profert. Ruffinus namque in sua versione notavit *visibilem istum mundum fecisse Deum*; quod vocabulum *visibilem* ab Hieronymo omissum, valde interest pro eo, quod vult Origenes, visibilem mundum ab invisibili secernens. Paulo post, quod Ruffinus dixit *secula*, Hieronymus scripsit *mundos*. Insuper verba quae Ruffinus vertit *plures mundos simul esse*, Hieronymus transtulit *plures mundos pariter fieri*.

His expositis, primo statuendum est, ex his mundis, quos saepe vocat *secula*, unum tantummodo nuncupasse visibilem (et hic est quem colimus) a Deo conditum in tempore, et ob hoc saepissime Deum dicit mundi opificem; cujus initium sicuti et finem definivit Origenes juxta catholicam fidem. Et quando in Scripturis sicuti apud ethnicos, visibilem mundum hunc plurali numero, idest plures mundos, ait aliquando designari; varias tunc ejusdem partes docet ab eisdem distingui, sive coelum a terra seorsim, seu planetas ab aliis seorsim, sive varia terrae climata separatim. Quae tamen cum partes sint totius eodem tempore simul existentes, nec ullo modo successive, sub *Universi* nomine apud eosdem veniunt; quemadmodum ipse ex Clemente scribit in c. VIII. Ezechielis n. 3: « Sunt enim etiam alii in terra mundi ut et mathematicae ostendunt disciplinae. Dicit quoque Clemens: *Oceanus impermeabilis hominibus; et qui post eum mundi tantis Domini ordinationibus gubernantur*.

Ideoque cum hujus mundi naturam visibilem vocaverit eumque insuper insigniverit creatione ex nihilo, atque rerum ordine adornatum visibilium: necesse ibi ipse comprehenderit invisibiles mundos, quales huic visibili praecessere atque sequentur; eoque magis cum subdit, hujusmodi mundos simul esse non posse; sed successive dumtaxat admittendos. Proindeque non de aliquo mundo visibili et instar praesentis, loquitur Adamantius; quinimmo de variis aevi intervallis, quae creaturae conditioni praecesserunt, quaeque subsequentur; seu ut satius inquam, non mundos sen-

sibiles, corporeos, corruptibiles eo vocabulo *mundos* nuncupavit; ast tantum aevi perpetuitatem illius, quod initium nescivit, nec finem assequetur; quodque cum Deo est, fuit, et erit. Et hoc non tam e dictione graeca κόσμος definiendum est quantum ex hebraica *kolam* et altera pariter graeca αἰών, quibuscum aut res in tempore creatae indicantur, vel temporis spatium dicitur simpliciter, quo res existunt, uti scribit Paulus ad Ephesios c. II, 2. *consummatio* τῶν αἰῶνος *seculi vel mundi hujus*: aut aevum illud cum ipso Deo manens principii et finis nescium.

Et propterea in hoc paragrapho ajebat: « Sed veluti post corruptionem hujus mundi, erit alius mundus; ita et antequam hic esset mundus, fuisse alios credimus. » Quasi diceret, sicut post corruptionem hujus seculi, erit aliud seculum, ita priusquam esset hoc seculum, alia secula fuisse credimus; nisi quod praesens seculum *visibilis* titulo designarit. Et id comprehendisse Auctorem probatur, dum aliquando hunc dicit *mundum*, quem postea vocat *seculum* utrique vocabulo significationem indens, non de rebus creatis sed proprie de tempore, quod in diversa spatia distinxit ac definivit, mundis vel seculis nuncupatis; in quibus ipse Deus vivens bonitatem gerebat, et omnipotentia dominabatur. Et hoc sane est, quod contra adversarios propugnat objicientes: *quid ante faciebat Deus, quam mundus inciperet?* quasi ante hunc mundum otiosa, et immóbilis foret natura Dei dicenda, ex quo has virtutes non exerceret; ostendens Origenes, Deum quovis tempore potentatum suum exercere sive in hoc seculo visibili, sive antea, sive postea ad aevum sempiternum bonitate et potentia praeditum iri; atque in iis sive intus, sive ab extra perpetuo glorificari.

Ad hanc vero interpretationem verba proficiunt, quibus usus est Origenes de visibili mundo locutus, inquiens hunc fecisse Deum: cum revera Scriptura testetur, coelum et terram et omnia, quae in eis sunt, Deum operatum esse. De ceteris vero mundis, sive seculis huic visibili prioribus et sequioribus tanquam inaspectabilibus et intelligibilibus mundis, juxta Psalmistam: *annos aeternos in mente habui*, nihil de creatione et dispositione eorumdem indicavit, nisi solummodo eo-

rum existentiam cum Deo permanentem. Et ob hoc in versione Hieronymi mendum statuendum est, cum loco *sint*, uti jure transtulit ex graeco Ruffinus, versum sit *fiant;* quod absonum est a mente Auctoris.

Usque modo explanatis, quae Origenes de hujus mundi initio ac de pluralitate mundorum opinatus est ex Libro III. ad idem argumentum redeamus in Libro II. c. I. pertractatum; ut ibi pariter dignoscatur, quantus sit ejusdem error, et quantum a veritate defecerit. Inquisitionibus sane rerum profundis in hoc *De Principiis* tractatu, humanae sapientiae excellentium, saepe operam navare professus est Origenes, adeo ut cum omni metu dicat, haec arcana perscrutatum sibi accedendum esse, Spiritu Sancto ideo invocato, siquid in tam reconditis rebus reperiri poterit claritatis. Quamobrem non videretur ipse exprobrandus, si quandoque nolens in rebus tam arduis scopum non attigerit.

Ab initio itaque c. I. n. 1. Libri II. ait Origénes se praeter ea, quae in Libro I. disserta fuerant de mundo « pauca de ejus initio repetere ac fine vel his, quae inter initium ac finem ejus per divinam providentiam dispensantur, seu de his, quae ante mundum facta, vel post mundum facienda putantur. » Sicubi vero plura de mundi varietatibus dixit, deque ineffabili divina providentia in ipsius ordinatione quoad substantias in eo creatas, varias deinde gerit quaestiones:

Versio Ruffini

« Superest, ait in c. III. ut post haec requiramus, utrum ante hunc mundum, qui nunc est, mundus alius fuerit: et si fuit, utrum talis fuerit qualis iste, qui nunc est, an paulo differentior vel inferior: aut omnino non fuerit mundus, sed tale aliquid fuerit, qualem illum intelligimus post omnium finem futurum; cum tradetur regnum Deo et Patri. Qui nihilominus alterius mundi fuerit finis, illius scilicet, post quem hic mundus coepit, et lapsus varius intellectualium naturarum provocaverit Deum ad istam variam diversamque conditionem mundi.

« Sed et illud similiter requirendum puto, utrum post hunc mundum curatio aliqua et emendatio erit, asperior quidem et doloris plena erga eos, qui Verbo Dei obedire noluerunt: per eruditionem vero rationabilemque institutionem, per quam possent ad locupletiorem proficere veritatis intellectum hi, qui in praesenti vita iu haec se studia dediderunt, ac mentibus purgatiores effecti, capaces jam hinc divinae sapientiae perrexerunt: et post haec statim finis omnium consequetur, et pro correctione et emendatione eorum, qui talibus indigent, alius rursus mundus erit, vel similis isti, qui nunc est, vel hoc melior, aut multo deterior; et qualiscumque ille erit post hunc, mundus, quamdiu erit: et si (an) erit aliquando, cum nullus unquam sit mundus, aut si (utrum) fuit aliquando, cum mundus non fuerit omnino: aut si (num) fuerint plures, vel erunt; aut si (utrum) accidat aliquando, ut alteri alter aequalis et similis per omnia atque indiscretus eveniat (similiter requirendum puto). » (*)

Versio s. Hieronymi

Hieronymus porro hanc pericopem brevi sermone complexus ita in Epistola ad Avitum n. 5. Origenis sensum interpretatur: « In secundo autem libro (*Periarchon*) mundos asserit innumerabiles, non juxta Epicurum, uno tempore plurimos et sui similes, sed post alterius finem mundi, alterius esse principium; et ante hunc nostrum mundum, alium fuisse mundum: et post hunc alium esse futurum, et post illum alium: rursumque ceteros post ceteros. Et dubitat utrum futurus sit mundus alteri mundo ita ex omni parte consimilis, ut nullo inter se distare videantur: an certe nunquam mundus alteri mundo ex toto indiscretus, et similis sit futurus. »

In his autem Origenis dictis discutiendis primum (quod jam saepe praemisimus) haud ignoretur Ruffini praevia ver-

(*) In prima parte praemisimus Ruffinum in versione particulae εἰ si, num, uti apud graecos, non solum conditionem sed et dubitationem complecti frequentius.

versioni *Periarchon* obtestatio: qua asserit, se praeter nonnulla de Trinitate, nihil de ceteris praetermisisse, nec emendasse quidquam. Idcirco in hoc paragrapho, quem ex graeco Origenis textu transtulit latine Ruffinus, sincerum Auctoris sensum, quomodocumque sit, exprimi tenendum est.

Post hoc, utriusque et Hieronymi et Ruffini perquirentes interpretationis discrimen, reperiemus juxta Ruffini versionem, Origenem pro more suo plures ibi objicere quaestiones de mundo, deque iis in eo extantibus, sive materialibus, sive intellectualibus. *Utrum* ex. g. *ante hunc mundum, qui nunc est, mundus alius fuerit*, et cetera uti superius. Ex adverso porro Hieronymus, ut vidimus, non proponit quaestionem, sed assertionem. Idest unus ex Origenis mente quaerit: alter idest Hieronymus asserit; quae quidem inter se valde differunt. Aliud enim est quaerere, aliud asserere. Primus supponit in Auctore dubium; secundus dubium tollit; adeo ut juxta Ruffinum Origenes quamvis falsa ac praeter sensum catholicum, proferat; tamen sic arguens ad summum insipiens videretur, sed nullius culpae, aut haereseos haberetur reus. Sed non sic ex parte Hieronymi, quippe innumerabiles mundos ac unum post alium asseveranter putasse Origenem ait: in qua hypothesi aut erroris, aut temeritatis redarguendus jure esset. Nihilominus hoc non dicit, nec vult Origenes; cum is ex more non nisi quaesita proponit discutienda, seligens inde magis Scripturarum sensui accommodata, aut sanae intelligentiae; cetera respuens ceu minus christiano dogmati uniformia.

Porro ex contextu, sive ex praecedentibus, non solum mundorum pluralitatem in sensu absoluto probatur negasse Origenem; sed et insuper ostenditur *mundorum* significationem minime ita comprehendi ab Auctore, sicuti placuit Hieronymo eidem adscribere. Et quoad primam partem, paulo ante saepissime *mundum* aut *universum* singulari numero nuncupavit Origenes: quinimmo ipsius determinavit unitatem, inquiens in capite II. praecedenti: « *ex quibus omnibus diversus ac varius unius mundi complebitur status.* » Quem tamen ex diversitate substantiarum, quae in eo mundo continentur, varium aut dissimilem nuncupat, tum ex vicibus

diversis, quas jam subiit mundus iste, et quas iterum subibit in fine seculi hujus. Ac ideo putandum est, Origenem, cum plures dicat jam factas, quasque venturas huic mundo varietates, haud sibi velle ita fieri per hujus mundi *annihilationem,* et aliam denuo ex nihilo creationem; quod nunquam putavit: uti in praefatis ostendimus, et in sequentibus patefiet.

Reapse, postquam de mundorum varietate diversas proposuit quaestiones Adamantius, tanquam judex in ipsas graditur, scrutatus primum, num materia specialim corporis nostri (cujus ergo ea dubia objecit) per intervalla temporis subsistat; et num, sicuti antea quam fieret, non fuit, ita pariter resolvenda sit, ut non sit amplius. Et hinc exorsus studiose incumbit, ostendens, substantiam corpoream perseverare, non autem sicuti in hoc statu corruptibili, sed in incorruptione manentem: *necesse est*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem.* Quae omnia supra expendimus, ubi de carnis resurrectione actum est, ejusdemque carnis regeneratione, quacum ex corruptione ad incorruptionem transibit: et unde sequi necesse est corporis ipsius quamdam varietatem: quae hujus capitis principale constituit argumentum. Cum enim ibi n. 4. mundorum consideret varietatem et ejus differentiae causas; in his praecipue entium rationalium sive hominum diversos comprehendit status, quos sub *mundi* nomine compellat; et ob hoc errorem confutat dicentium, similes mundos paresque evenire aliquando.

« Si enim, scribit, similis per omnia mundus dicitur, erit ut iterum Adam, vel Eva eadem faciant, quae fecerunt: idem iterum erit diluvium; atque idem Moyses rursus populum ex Aegypto educet; Judas quoque bis tradet Dominum; et omnia, quae in hac vita gesta sunt, iterum gerenda dicentur. Quod non puto ratione aliqua posse firmari, si arbitrii libertate aguntur animae, et vel profectus suos, vel decessus pro voluntatis suae sustinent potestate. » Idest, non eodem ingenio et voluntate in superventuris mundis sive seculis ducuntur naturae rationales, ut eaedem sint, et eadem agant, quae fuerunt et egerunt in seculis praecedentibus; sed ipsae ex proprio cujusque arbitratu, suoque tempore agentes va-

riae ad invicem operantur, sicuti diversimode ab illis, quae antea fuerunt; adeo ut, impossibile statuens eumdem ordinem rationabilium continuo servari ob praefatas arbitrii causas, varios mundos sive secula ideo putet supervenire posse. Et hinc fieri, ut melior hujus mundi (sive seculi) status habeatur eo, qui jam praeteriit, aut futurus est; et ita mundus, alio inferior subeat, seu praestantior, sive inter hos medium incedat seculum; cum in omnibus his velit Origenes varietatem mundorum sive seculorum emetiri ex diversitate rationabilium in his viventium.

Ceterum ut amplius pateat, eos diversos mundos sive secula in uno tantummodo contineri; neque mundum alium pati unquam Origenem dici praeter illum, qui ab initio et ex nihilo conditus est, et in quo ceteros collocavit; paulo post n. 6. Salvatoris dicta explanans: *ego non sum de hoc mundo,* manifeste docet: « Tanquam enim ex alio quodam esset mundo, ita dicit quod non sum de hoc mundo. Cujus mundi difficilem nobis esse expositionem idcirco praediximus, ne forte praebeatur aliquibus occasio illius intelligentiae, qua putent nos imagines quasdam, quas graeci *ideas* nominant, affirmare. Quod utique a nostris alienum est, mundum incorporeum dicere in sola mentis phantasia, vel cogitationum lubrico consistentem; et quomodo Salvatorem inde esse, vel sanctos quoque illuc ituros poterunt, affirmare non video. » Et postquam ait, ibi a Jesu indicari hujus mundi ab altero differentiam ob qualitates quasdam praecellentes, ac sibi verosimile videri in ipso circumscribi, Clementis quoque sententiam nuper citatam profert, ubi legitur: *Oceanus intransmeabilis est hominibus, et hi mundi, qui post ipsum sunt.* Quantumvis, inquam, sibi hujusmodi difficultates occurrant, nihilominus unius mundi opinioni inhaerens addit: « Ex mundorum pluralitate Clemens semina quaedam nobis hujusmodi intelligentiae videtur aspergere: quo putetur omnis quidem universitas eorum, quae sunt atque subsistunt, coelestium, et supercoelestium, terrenorum, infernorumque, unus et perfectus mundus generaliter dici: intra quem vel a quo ceteri (siqui illi sunt) putandi sunt contineri etc. »

Patet itaque, cum Origenes tam ingenue, solerter ac firme teneat, mundum unum a Deo conditum, cujus initium posuit sicuti ex nihilo materiae creationem, patet, quos ibidem admiserit plures mundos et dissimiles, non nisi sub eisdem creaturarum rationalium varietates comprehendisse, quae in hoc visibili mundo degunt tanquam totidem mundi; et ubi ob variam ipsarum actionem singulis prope arbitratus sui usum, dissimilis quoque earum status supervenit, aut praestantior, aut inferior, sive inter eosdem medius. Et eo magis quod manifestum est, hanc quaestionem de mundorum pluralitate ac varietate excitasse Origenem ex animadversione materiae corporeae, qua humana constat natura; discutiendo num ista perpetua maneat, aut decidat, mutetur, et pereat; quod revera constituit argumenti sui praecipuum scopum; in omnibus eo intuitus, ut materiam corporis nostri quamvis corruptibilem, tamen perseverare posse ostenderet, sicuti in veritate manet, ex corruptione translata in corpus incorruptibile et immortale.

Deinde, quod ipse Origenes ait fieri posse mundos diversos, non minimis stantibus mutationibus in natura corporea humanitatis nostrae, cum in his mundis contempletur creaturas rationales idest hominem, non absonum hoc reputatur a scriptis ipsius, nec quidem a veterum Patrum sententia et ethnicorum philosophia. Hieremiae namque verba interpretatus c. XXIV. 6. *Et ponam oculos meos super eos ad placandum et reducam eos in terram hanc*, scribit: « Quod mundus universus et hoc ex proportione quadam solus homo est. Invenies hunc quidem appellari coelum, cum gerit imaginem coelestis; alium vero terram, si terreni prae se ferat imaginem; nam ei, qui peccavit, dictum est *terra es;* alium in seipso habentem flumina salientia in vitam aeternam, si sermones habeat potui aptissimos, alium habentem mare salsum et aestuosum, in quo est draco, *quem formavit Deus ad illudendum ei.* » Item *in Epistolam ad Romanos* Libro V: « *Per unum ergo*, inquit, *hominem peccatum introivit in hunc mundum*. Mundus autem, ut diximus, intelligendus est vel locus, in quo habitant homines, vel terrena et corporalis vita, in quo mors habet locum. » Et paulo post ex eodem Apo-

stolo: *peccatum erat in hoc mundo*: « videtur mihi, inquit, quod *in hoc mundo* Apostolus homines illos sentiat, qui jam rationis capaces sunt, et naturalibus legibus parent; illam vero aetatem, quae nondum ad rationis capacitatem accessit, non tam homines, quam mundum appellaverit, pro eo quod partes quidem mundi sint, nondum tamen in hoc venerint, ut imaginem in se Dei, ad quam homo factus esse dicitur, capacitate rationis expresserint. »

Cyrillus Alexandrinus Libro X. *in Joannem* c. XIV. ait: « Κόσμον mundum juxta obviam et omnibus notam rationem appellare solemus omnes, qui in universo sunt mundo; quemadmodum siquis dicat civitatem eos, qui totam aliquam urbem incolunt. » Deinde in c. XVI. ejusdem Joannis addit: Κόσμου mundi vox denotat in universo mundo dispersos et habitantes. » Et hinc Gregorius Nyssenus *De Anima et Resurrectione*: « Homo a sapientibus, inquit, parvus quidam mundus dicitur esse, qui in se se haec elementa contineat, ex quibus verum universitas constat atque completa est. » Isidorus Pelusiota in Epistola 259: « Brevis, ait, ac contractus mundus homo est, ut qui omnium elementorum, ex quibus mundus, velut omnibus suis numeris absolutus est. » Quae omnia concinne aptantur ac roborantur ex frequentibus Bibliorum locutionibus ex. g. *Et mundus eum non cognovit*: *Ut salvetur mundus per ipsum: Caro mea est pro mundi vita*: *Ut credat mundus quia tu me misisti: Ecce mundus vadit post eum: Sapientia hujus mundi etc.*

Quapropter e cunctis hucusque animadversis, dignoscitur Adamantium, *mundum* nunquam plurali numero vocasse, nisi seu ob quamdam coeli e terra discrepantiam, seu ob planetarum varietatem, unum ab altero tanquam mundum alium secernentem; sive ut rationalium notaret diversitatem, aut coeli plagarum dissimilitudinem; aut ut secula hujus vitae successiva recenseret sicuti et futurae; aut habitatores hujus veluti totidem mundos consideraret. Semotis enim hujusmodi loquendi formulis, quae apud omnes in sermone communi praestant, mundum solummodo unum admisisse fatendum est; cujus opificem fecit Deum; ac ideo uti divinae potentiae sapientiaeque tesseram, hunc frequentissime suis inscripsit libris *mundi Opificem*.

Tamen totius capitis siculi et praecedentis argumentatione aeque ponderata circa rationalium creaturarum statum, quae in hoc mundo versantur; ac praecipue collatis, quae ait in n. 2. de materiae corporis humani initio, vicissitudinibus, et fine, ejusque instauratione, seu regeneratione, nec non de ratione, qua haec perficienda sunt; collatis, inquam, cum eo, quod ait seu potius concludit n. 7: « His igitur tribus opinionibus de fine omnium et de summa beatitudine, prout sentire potuimus adumbratis etc. » sequitur idcirco, quas tales de mundis proposuit quaestiones in n. 1. nil iis officere, quae ubique docuit, sensitque juxta catholicum dogma de mundi unius principio et consummatione; neque ullo modo ei somnia adscribenda de mundorum pluralitate. Hoc autem perspicue decernit contra Celsum, qui christianis exprobravit, unum Deum colentibus, uti unius mundi unum Conditorem. Ait enim: « Quanto igitur evidentius, quanto his omnibus figmentis melius est argumentum, quo quis ex praeclaro rerum, quae in mundo conspiciuntur, ordine persuasus, *unius mundi* unum veneratur Conditorem. » Haec ait in Libro I. n. 23. Deinde in Libro VI. n. 44. eadem instaurat subdens: « At christianus etiam idiota pro certo habet, quemvis mundi locum esse hujus universi partem, cum Dei templum sit omnis mundus. »

Ceteras porro, quas praemisit vario genere quaestiones pro more suo, ejus mente aeque perspecta, cuique patet, nequaquam ipsas dici posse assertiones sive affirmationes, uti immerito Origenis hostes arbitrati sunt (alius namque est qui quaerit, et alius qui docet; alter qui dubitat, et alter qui asserit) sed tantummodo veluti disquisitiones philosophicas habendas esse, prout quis sive infidelis, seu dubius, aut sciendi cupidus animo suo fingere poterat. Quas deinde ipse Origenes sedula opera excutiens, sive temperat, sive emendat, seu confutat, sive accipit, siculi Scripturae auctoritas docet, apostolica traditio observat, ac suipsius ratio postulat. Et hoc idem de scriptis Origenis praeclarissime consideravit s. Athanasius in Epistola *de Filio Patri coaeterno* n. 27. « Quae enim, ait, ipse veluti disputandi certandique gratia scripsit, ea non tamquam ipsius verba ita cogitantis accipiat

quis, sed eorum, qui disputationis ergo contendere cupiebant, accipienda sunt. » Et ideo s. Pamphilus in Apologetico c. IX. hostibus Origenis exprobravit, quod haec ipsi non advertentes, objecerint, quasi ipsum eadem probasse, quae ex adversariorum persona disseruit. »

Praeterea ad roboranda quae s. Pamphilus ait et Athanasius de loquendi, disceptandique usu in libris Origenis tum de ceteris hujus generis quaestionibus per philosophos varimode discussis ac definitis; quasque ideo, non nisi ut historicus ibi tradit, et alibi opportuno discutit, aut refutat, seu aliis remittit disquirendas, quin tamen dogmati apostolico refragetur; congrua nobis obviam fiunt, quae Commentariis *in Psalmos* praemisit de Deo ex Herophili auctoritate. Inquit enim : « An vero definitiones de Deo et variae hujus vocabuli *Deus* significationes, ex optimis scriptoribus selectae, aliquid nobis utilitatis conferant, considerandum tibi propono. Ait igitur idem Herophilus: Deum quidem generalissime dicunt, *animal immortale rationale*; secundum quam definitionem omnis anima rationalis est Deus. Alio autem modo: *animal rationale immortale secundum se existens;* ita ut animae dum in nobis continentur, non sunt dii, sed solutae a corpore dii futurae sint. Alio autem modo Deum ait dici *animal immortale, rationale, strenuum;* ita ut omnis anima elegans et urbana sit Deus, etiamsi in homine contineatur. Alio item modo Deum definiri: *quod secundum se est animal immortale strenuum* : quo posito, animae sapientum dii non sunt. Insuper alio modo Deum definiunt: *animal immortale strenuum habens aliquam praefecturam in mundo secundum administrationem* quemadmodum sol et luna. Alio pacto *Deum* dicit esse *primum administratorem mundi.* Super omnia autem Deum dicunt esse : *animal incorruptibile et non genitum, et primum regem, quem habet locum universus mundus.* »

Cum haec igitur proponat Origenes, simplici enarratione censens varios Herophili sensus, neminem puto fore asserentem, talia putasse Origenem ipsum de Deo, eaque proposuisse tanquam fideliter et accurate divinam repraesentantia naturam; quum alibi penitus ab his abhorreat definitionibus. Quapropter si Herophili placita aliis compareutur

quae de mundo et anima etc. ex philosophorum libris citavit Auctor, proposuitque lectoribus consideranda, Christique conferenda institutionibus, dubia arbitror omnia sublatum iri illorum, ipsi Origeni credentium, quae non sensit. Etenim ubique obtestatus est semet divinis Scripturis et apostolicis traditionibus innixum, quae vera sunt, tenere, complecti et docere. *Illa sola,* inquit, *credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione.*

Novissimo, quoad has et similes quaestiones ab Origene sibi, aliisve propositas discutiendas, et praesertim de pluralitate mundorum, quod caput est praesentis investigationis, nec omittenda duco, quae de hoc argumento scribit s. Basilius Homilia I. *in Hexaëmeron* n. 5.: « Nam et ante hunc mundum, ait, ut verisimile est, erat aliquid, quod nostra quidem cogitatione possumus assequi, sed narrationem ideo effugit, quod id his, qui instituuntur, suntque adhuc in cognitione infantes, nequaquam congruebat. Erat status quidam mundi ortu antiquior, coelestibus potestatibus conveniens, transcendens tempus omne, aeternus, perpetuus. Opificia autem conditor et artifex omnium in eo statu perfecit, spiritalem lucem, eorum, qui Dominum diligunt, beatitudini consonam, rationales et invisibiles naturas, et intelligibilium creaturarum, quae nostrum captum superant, ornatum omnem: quare ne nomina quidem possumus excogitare. Haec complent invisibilis mundi essentiam, velut nos docet Paulus, dicens: *quoniam in ipso condita sunt universa sive visibilia sive invisibilia* etc.. Tum demum oportebat et hunc mundum, rebus jam extantibus adjungi, qui esset idoneus locus edocendis animabus hominum atque erudiendis etc. »

Si Origenem ob ea, quae scripsit varimode de mundis, et quidem de mundo, qui huic praecessit, reprobatum velis ob rei novitatem, videretur etiam cum ipso reprobandus s. Basilius: quinimmo iste magis corripiendus quam Origenes. Ille enim idest Basilius dicit hoc verisimile esse, statum quemdam ortu hujus mundi antiquiorem extitisse rationalibus et invisibilibus naturis aptum. Alter vero, idest Origenes hoc idem asserit per interrogationem et quidem dubitative, aliorum quam suam exponens sententiam, et aliis judicium re-

mittens. Non ergo mirum, si Origenes similia suis conseruit discussionibus, quae tunc in philosophiae scholis disputabantur, de mundi creatione, ordine etc. quaeque Basilius ipse aliique Patres, quisque pro captu suo, studiose quaerebant; non quid novi et alienum ab apostolica doctrina furtive introductori in ecclesias, sed propriae et aliorum satisfacientes curiositati.

CAPUT XXIII.

Quo sensu discutitur, accipienda sint, quae Origenes putavit de solis, lunae et astrorum animabus.

Post haec manent exploranda, quae Origenes putavit de astrorum solis, lunae et stellarum natura; in quibus pariter veluti errantem repererunt nuncupati Scriptores. Ipsi enim non solum animata esse corpora coelestia docuisse Adamantium opinati sunt, verum etiam ratione pollere, arbitrio uti, ac proinde incrementa capere virtutis, vel decrementa, seu obnoxia esse peccatis; uti videre est apud Huetium in Libro II. c. VIII. *De Astris*. Quapropter, veluti in praecedentibus, singillatim omnia perquirantur Auctoris testimonia, num de his rebus seu data opera, sive obiter egerit; seu aliorum aut suam exposuerit sententiam; sive de his disceptarit, seu aliorum tantummodo recensuerit opiniones.

In primis et quidem attente ob oculos habeantur, quae Prologo *Periarchon* inscripsit n. 10: « De sole autem et luna et stellis utrum animantia sint, an sine anima, manifeste non traditur (in ecclesiastica praedicatione). » Unde dubia suboriri potuere et quaestiones, quas ipse deinde ex se, vel aliorum ore excitat, ut, siquando fieri potest, quod verum est, assequatur, quemadmodum de ceteris, quae tunc non satis manifeste in Ecclesia definita erant, ac ideo disceptationum causa extiterint; et in quibus dijudicandis Origenes Apostolicam traditionem scrutatus sedulo laboravit.

Cum itaque ista de astris praenotaverit, de incerta videlicet tunc temporis fide circa hujusmodi corpora animata, nihil inde contra eum adstrui potest, nisi primum inscitia, sive dubium, quod deinde opportune resumit, exponens quid de eo argumento sentiendum sit; et specialim quo sensu divinae Scripturae astra animata comprehenderint. Quod praestitit in capite VII. ejusdem Libri I. ubi omnes quascumque de hac materia opiniones censet et rimatur, tam apud fideles, tam apud haereticos ethnicosque excitatas; cujusque ideo rationes ponderans, ut deinde tanquam judex inter eos

stans, mentem suam ostendat, et quidem in his sicuti in ceteris discussionibus, invocatione Spiritus Sancti praemissa, admodum moderate incedens.

Ibi interim diversis philosophorum placitis de astrorum natura expositis, ordinatim n. 3. aggreditur disquisitionem: « Sed ut haec, inquit, manifestius intelligi possint, etiam illud primo debemus inquirere si animantia haec esse, et rationabilia intelligi fas est: tum deinde utrum animae ipsarum (stellarum) pariter cum suis corporibus extiterint, an anteriores suis corporibus videantur. Sed et post consummationem seculi, si intelligendum est, eas relaxandas esse corporibus: et sicut nos cessamus ab hac vita, si ita etiam ipsae a mundi illuminatione cessabunt. Quamvis hoc inquirere audaciae cujusdam videatur: quoniam tamen captandae veritatis studio provocamur, quae possibilia nobis sunt, secundum gratiam Spiritus Sancti scrutari et pertentare non videtur absurdum.

« Putamus ergo posse ea per hoc animantia designari, quod et mandata dicuntur accipere a Deo, quod utique non nisi rationabilibus animantibus fieri solet. Ait ergo: *mandatum ego omnibus stellis praecepi.* Quae autem sunt ista praecepta? scilicet ut unumquodque astrum suo ordine suisque cursibus indultae sibi quantitatis splendorem praebeat mundo. Aliis enim, qui vocantur planetae, moventur ordinibus, aliis hi, quos *ἀπλανεῖς fixos* vocant. In quo id manifestissime ostenditur, quod neque motus illius corporis sine anima effici potest: neque quae animantia sunt, possunt aliquando esse sine motu. Stellae vero cum tanto ordine ac tanta ratione moveantur, ut in nullo prorsus cursus earum aliquando visus sit impeditus, quomodo non est ultra omnem stoliditatem tantum ordinem, tantamque disciplinae et rationis observantiam dicere ab irrationabilibus exigi, vel expleri? Apud Hieremiam sane etiam regina coeli luna appellatur. Quod si animantes sunt stellae, et rationabiles animantes, sine dubio videtur inter eas profectus aliquis et decessus. Hoc enim quod ait Job: *stellae non sunt mundae in conspectu ejus,* talem mihi quemdam videtur indicare intellectum. » Deinde disputat de tempore, quo spiritus his corporibus insertus sit, etc.

Ex his non dubitasse videtur Origenes de astrorum animabus, sicuti de quadam earumdem rationalitate nec non de profectu et ipsorum decessu; eoque magis quod nonnulla Scripturarum testimonia de hac assertione sibi adstipulari appareret. Verum quoque patet, haec omnia sub disputationis sive interrogationis specie collocare Adamantium; de quibus alibi opportune instaurat studium; ubi et amplius sensum suum explanat. Et praesertim hoc animadvertendum est; quod, etsi coeli astra animata et rationabilia consideret, et quasdam in horum voluntate suo quoque modo mutationes perceperit; nihilominus astrorum animae naturam, et ab angelicis et ab humanis naturis omnimode distinxerit, et in alio ordine disposuerit; et speciatim quod ad illorum attinet liberam voluntatem, qua a Deo rationales conditae sunt substantiae coelestes et terrestres. Quae sicuti superius late discussimus, se revera suipsius arbitratu proprio ad liberos actus eliciendos a Deo donatas esse senserunt, juxta illud Ecclesiastici c. XV. 18: *ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi*. Ac licet corpora coelestia animata et rationabilia ab eodem Origene fiant, tamen quoad horum cogitationes et actus, unde praemiis sive poenis deinde et quidem necessario capacia haberentur, ab hac penitus destitisse constat opinione, ut pro eisdem aliquando fore a Deo inquirenda cogitaret. Quae omnia e sequentibus patefient.

In Libro V. n. 10. contra Celsum, eidem respondet Origenes cur judaei aeque ac christiani non adorent astra coeli solem, lunam et stellas: « Quae, inquit, si adorari oportuisset, non profecto propter illud lumen sensibile, quod multis adorationi est; sed potius propter intelligibile illud et verum lumen adorari oportuisset; siquidem et astra coeli sunt animalia ratione et virtute praedita, atque ab illa Sapientia, quae lucis aeternae splendor est, cognitionis lumine illustrabantur. Nam illud eorum lumen sensibile opus ejus est, qui creavit omnia; quod autem intelligibile fortasse habeat, illorum est, et ex arbitrio, quod in eis est, proficiscitur: » In hoc, quisque videt, Origenes incertus vadit; nec affirmare, nec negare audet quidquam rationalitatis et intelligentiae genus, unde ea astra gubernantur.

Verumtamen quo sensu accipienda sint, quae ait de horum astrorum intelligentia ex sequentibus patet, ubi scribit n. 11: « Deinde cum nobis persuasum est, solem ipsum et lunam et stellas Deo universorum preces per eum unigenitum adhibere, judicamus non oportere precari ea, quae precantur. Siquidem et ipsa astra comitari nos volunt ad Deum, quem exorant, magis quam ad seipsas deducere; seu magis quam partiri nostrarum precum virtutem a Deo, et ad se applicare ». E quibus liquet, cum coelestium corporum sollicitudo Deum pro nobis obsecrandi potius vigeat quam pro se ipsis, tum eorum rationem, tum arbitrium in iis, quoties admittenda ea sint, a spiritu secerni et hominum arbitratu, et specialim quoad horum finem, et praemium et poenas, quae unumquemque manent in altero seculo prope cujusque actiones. Sermo enim Origenis talis est, ut ab astris opera meritoria excludere videatur; et tanquam ex necessitate ea agere, seu moveri patet.

Hoc autem praeclare in Libro *De Oratione* n. 7. comprehenditur, cujus verba explanant, quae contra Celsum disceptavit Adamantius circa astrorum intelligentiam et arbitrium. Ita namque scribit: « Ad ea autem, quae objecta sunt de oratione ut sol oriatur, haec dicenda. Est suum et soli arbitrium, quandoquidem ipse Deum cum luna laudat; ait enim: *laudate eum sol et luna*. Sic et arbitrium lunam et consequenter stellas omnes habere manifestum est: *laudate eum stellae et lumen*. Ut igitur diximus nostro singulorum, qui in terra versamur, arbitrio uti Deum; et in aliquam terrenarum rerum utilitatem convenienter illa ordinasse: sic etiam existimandum est, ipsum et pro nobis arbitrio solis et lunae et stellarum necessario illo et firmo et stabili et sapiente usum, ordinasse ornatum omnem coeli, congruentesque universo siderum conversiones. Quod si de iis, quae a nostro arbitrio pendent, non frustra oro, multo magis de iis, quae in arbitrio sunt coelestium illorum siderum, quorum ordinatus cursus rebus utilis est universis. Quamquam de terrenis rebus quidem dici potest, certas quasdam a circumstantibus species immitti, quae provocent id, quod in nobis infirmum est, aut pronum ad deteriora, ut haec vel illa di-

camus, aut faciamus: in coelestibus vero quaenam potest immissa species ab eo cursu, qui mundo utilis est, avertere ac dimovere? Cum singula etiam citra horum causam ejusmodi animam habeant sub ratione ordinatam, et tanto corpore aethereo et purissimo utantur. »

Interim primum advertas, eo sermone Origenem in eos pugnare, tanquam superfluum Deum obsecrare existimantes; quique inter cetera ista objiciebant: « Credibile est enim Deum non praevidere tantum quae futura sunt, sed et praeordinare, nec quidquam accidere praeter ea, quae ab ipso prius ordinata sunt. Ut igitur siquis oriri solem precaretur, stultus haberetur, cum id suis precibus effici peteret, quod etiam sine precibus futurum erat etc. » Horum itaque objectionem diluens Auctor, incipit et probat, soli sicuti ceteris astris arbitrium, sive potestatem inesse aliquid agendi, et sic a divina providentia ordinatum esse, ut illud invariabiliter perficerent in mundo. Ac ideo in his, sicuti a Creatore statutum est, potestatem inditam esse, qua cursum suum agerent, orbitas, et conversiones congruenter ordini a Deo statuto, ceteraque perficerent juxta finis analogiam, quo ea creaverat Deus; quin tamen sensum contrarium huic ordinationi perciperent, e converso ex. g. orbitas percurrere ab eo, quod eis impositum est. In hoc enim mandato explendo, nec in se oppositionem sentiunt ex arbitratu suo ortam; neque vim contrariam experiuntur ista corpora veluti repugnantem legi mentis suae. Id ab eis abest; et hujusmodi perceptiones non capiunt, quippe in omnibus Deum creatorem et ordinatorem ex necessitate sequuntur.

Quapropter, si discussionem de hujusmodi animarum varietate, externa documenta juvare possunt, arbitror hoc praestari a Tatiano, cujus scripta consuluit Origenes. Is enim contra Graecos disserens n. 12. ait: « Duo spirituum discrimina novimus quorum alter ψυχή *anima* vocatur, alter anima praestantior *Dei imago et similitudo*. Uterque primis hominibus inerat, ut partim ex materia constarent, partim materia praestantiores essent.... Coelum igitur et quae in eo stellae sunt, ex materia constant, sicuti et cetera a Deo creata eamdem habentes constitutionem. Attamen in his dis-

crepantia reperitur, una altera pulchrior... Spiritus igitur in stellis, spiritus in angelis, spiritus in plantis, spiritus in hominibus, spiritus in animalibus; et quamvis unus et idem sit; habet tamen in se discrimina. »

Quamvis autem Origenes ibidem quamdam repererit similitudinem arbitrii, sive potestatis astrorum cum iis, quae in hominis arbitrio sunt, sub hoc tantum intuitu ea venit similitudo probanda, qua divina celebratur providentia, omnia curans, regens et disponens, quae in nostra sunt potestate hic in terris (et quidem ad utilitatem nostram) quemadmodum ea quae in coelis sunt. Deinde addens cur Deus obsecrandus sit, ut sol oriatur, inquit: « Quod si de rebus, quae hic in nostra sunt potestate, non frustra precamur Deum, multo magis non erit frustranea oratio nostra de iis, quae in arbitrio sunt coelestium siderum; quorum cursus ordinatus utilis est universo mundo. Et quamvis de rebus terrenis dici possit, quasdam ex circumstantibus supervenientes imaginationes, provocare infirmitatem nostram ad id, quod in deteriora tendit sive in actibus sive in verbis; in coelestibus vero, qualis adveniens imago amovere et avertere poterit astra ab hoc utili mundo cursu? ex quo unumquodque astrum talem animam sub ratione ordinatam, et citra harum imaginum causam, habeat, et hujusmodi utatur corpore aethereo et purissimo? »

Ex hoc itaque ratiocinio inspice, cum de arbitrio hominum et siderum agit, ejusque usu tam pro hominibus quam pro astris, qualem, inspice, discrepantiam statuat Origenes; adeo ut homo ex arbitratu suo aliquando ex quibusdam imaginibus percitus, relicto quod bonum est, ad deteriora delabi possit; coelestia porro corpora, etsi sui juris sint, nunquam, dicit, ab imaginibus hujuscemodi abstracta, decedere a cursu huic mundo utili, et ad noxia verti. Quae sane animae humanae rationalis secernunt conditionem sive proprietates ab astrorum rationalis animae qualitatibus, sic ut prima, seu homo dum vitam hic agit, perpetuo agone decertet cum adversariis potestatibus, quibus superatis triumphi gloria ornatur in coelis, aut victus, damnatione mulctatur aeterna. Altera vero seu siderum anima etsi arbitrio usa ac ratione

praedita, nihilominus cum ipsa nec malum sentiat, nec paveat, neque ad illud provocetur e circumstantiis contrariis, nec proinde decertet, nec vincat, sed in eodem permaneat statu inconvertibilis: neque ideo gloria, nec ignominia afficietur. Cui illationi necessario Adamantius accedet, quantumvis arbitrii patet sive rationalitatis astrorum animabus concedendum esse; quemadmodum ulterius patefiet.

Interim exponantur, quae in Commentariorum Tomo III. ad c. I. v. 1. *in Genesim* scribit contra quosdam christifideles: « qui anguntur animis, ne humanae res adeo necessitate teneantur, ut aliter quam varius astrorum situs, et collocatio jubeat, fieri non possint. Qua quidem ex opinione consequens illud est, ut funditus liberum nostrum arbitrium tollatur; simulque proinde laus omnis et vituperatio, et rerum vel approbatione dignarum sive reprehensione discrimen. Haec porro sublata si semel erunt, evanescat pariter necesse est quidquid de judicii divini aequitate jactatur; concidant vel intentatae sceleratis poenarum et suppliciorum minae, vel promissa melioris sanctiorisque vitae professoribus, gloriae et felicitatis praemia. Nihil enim adhuc ipsorum cum ratione fiet. » Ex his percipito quomodo Origenes liberum hominis arbitrium definiat, ejusque exercitium, ex quo dein laus sive probrum comparantur. Paulo post cum contra errores de fato pugnet pro libertate rationalium, qua a ceteris creaturis segregantur, ita astrorum naturam definit, ut ab eisdem quodcumque arbitratus indicium eximat; eorumque conditionem tantum et naturam, ut terram illuminent, a Creatore ordinatas fuisse asserat.

Ideo studiose haec tractans v. 5. ait: « Juverit deinceps quemadmodum astra signorum loco instituta sint, explicare. Statuendum in primis est, ejusmodi sideribus assignatum ac definitum esse motum, ut quae errantia vulgo dicuntur, viam fixis illis atque constantibus plane contrariam teneant. » Quid ergo his astris prope cujusque statum vel cursum perpetuo ipsis assignatum, adeo ut nunquam ab eo errent, spondendum est praemii, cum voluntatem huic ordini reluctantem non senserint? Mandatum quidem sidera coeli acceperunt a Deo, mandatum inquam logicum sive rationale, ut orbitas suas

percurrant, aut stato loco maneant; et a quo nunquam decedere poterunt; aliter non ut signa haberentur, si ab eo ordine declinarent; et si huc illuc discurrendi eis potestas fieret.

Et hoc est, quod Homilia I. n. 13. in eumdem Librum coeli firmamentum corporeum dicit, et omnia quae in eis sunt, solem, lunam et stellas, et cetera quae in terris sunt item corporea haberi; ex quo ad imaginem Dei non sint creata, quippe solus homo hanc praeferat divinam imaginem in interiori suo, imaginem inquam incorpoream, invisibilem et immortalem; seu uti postea subdit, spiritum et animam. Ideoque homines divina tantum decoratos imagine, boni proinde malique scientia praeditos, et probitatis aeque ac improbitatis capaces reputavit Origenes; veluti hoc quoque adstruit Tomo I. *in Joannem* n. 24. scribens: « Nam neque lumina coelestia, dicunt nonnulli, si corpora terrena suscepissent, a periculis omnino et a peccando immunia vitam praesentem transactura. » Quae amplius differentiam dicunt, qua corpora coelestia opposuit humanis ob istud bene vel male agendi arbitrium, quod solum hominibus competit, nullimode vero sideribus. Item Tomo XIII. n. 6. *in Matthaeum* contra eos dimicat putantes: « ex efficientia stellarum consistere causam omnium infirmitatum sive generalium, sive specialium, criminantes opera Dei; et quasdam quidem stellas dicentes maleficas, quasdam autem beneficas, cum nulla stella facta a Déo sit, ut malefaciat. » Et hoc firmat in c. XXXV. Job: « Solus enim homo ratione ornatus est. Rationis igitur beneficio ab omnibus animalibus distincti sumus. »

Nihilominus plura Adamantium fatendum est, sparsim suis scriptis inseruisse documenta, quibuscum logica sive rationalia nuncupantur corpora coelestia sol, luna et astra; his adjicientem quoque, Christum prophetam magnum non solum pro hominibus, verum etiam pro ceteris creaturis logicis, sive ratione capacibus passionem subiisse. Et hoc docet Tomo I. *in Joannem* n. 40: « Absurdum est enim pro peccatis quidem humanis dicere eum mortem gustasse, non ita vero pro quibuscumque etiam aliis, qui praeter hominem in peccatis essent; ex. g. pro astris etc. » Quapropter in his

disquirendis sedulo investigare fontem necesse est, unde Origenes hausit argumenta, quibus talia pronunciaverit de creaturis corporeis extra hominum ordinem, et qualem terminum intenderit in his quaestionibus; et siquid medium excogitaverit inter humanae naturae, ac ceterarum cujusque generis corporearum essentiarum rationalitatem; et qualis demum et in quo consistat ratio, quam coelestibus et terrestribus corporibus haud humanae conditioni participantibus, designavit.



CAPUT XXIV.

Beati Apostoli ad Romanos *illustratur testimonium c. VIII*: Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat etc. *Quo nova luce donantur hucusque discussa de anima corporum coelestium.*

Post haec sicui hujus quaestionis fontem, unde bibit Origenes, investigare placuerit, nonnullae divinorum Bibliorum praesto sunt locutiones; quae talia videntur Auctori praestitisse subsidia; et potissimum apostolica dicta desumpta ex c. II. 9. ad Hebraeos et c. VIII. Ad Romanos ubi ait: « *Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes: et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* » Ad Hebraeos autem scribit: « *eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* »

Iis, inquam, testimoniis suffultus Origenes, eam λόγου sive rationis speciem comprehendit ac definivit in creaturis corporeis, sive terrenis, sive coelestibus universim; unde et salutis spem aliquam seu expectationem se se in meliorem statum quandoque commutandi, tanquam praesentis miserae conditionis consciae, fovere videntur. Ego vero priusquam Auctoris mentem perscruter de praefatorum Pauli verborum sensu, priscorum Ecclesiae Patrum interpretationem praemittendam duco, quaè fortasse origenianae doctrinae illustrationem juverit.

Neminem latet veteres Patres fere omnes docere, cum in Adamo lapsa esset natura humana, atque ideo ab eo statu dejecta, in quo fuerat constituta, tunc et reliquam aspe-

ctabilis hujus mundi creaturam in deteriorem conditionem fuisse conversam, ita tamen ut aliquando in pristinum statum reparanda sit; quod sane futurum est, cum fiet filiorum Dei glorificatio. S. Hieronymus Commentario *in Isaiam* Libro XIV. ex Psalmo recitatis: *sicut pallium involves coelos et mutabuntur*, sic dicere pergit: « Hinc ostenditur perditionem coelorum, non interitum sonare sed mutationem in melius. De quibus dicitur (in Apocalypsi c. XXI.) *erit coelum novum et terra nova, quae ego faciam permanere in conspectu meo*... Unde et omnis creatura congemiscit et parturit expectans revelationem filiorum Dei, ut mutetur in melius. Quum autem coelum veterascat et terra, consequenter et ea, quae coeli circulo continentur, et homines, qui sunt habitatores terrae, sicut haec morientur; non in interitum sui, sed in absolutionem vilitatis antiquae et innovationem futurae gloriae, quando *fulgebunt justi sicut sol;* et abeuntibus praeteritis atque antiquis, facta fuerint omnia nova. »

S. Joannes Chrysostomus Homilia XIV. *in Epistolam ad Romanos* ait: « Totum hunc mundum personam esse fingit Apostolus; quod et Prophetae faciunt, dum fluvios manibus plaudentes inducunt, et colles salientes, et montes exultantes.... Creaturam ibi personam esse fingit, aitque illam ingemiscere et parturire: non quod gemitum quempiam audierit e terra et coelo emissum... Deinde addit: « Corruptioni subjecta est (creatura). Quare? propter te hominem... Male affecta est propter te, et corruptibilis facta est; et propter te incorruptibilis rursus futura est: hoc enim sibi vult illud *in spe*... Dicito qua spe? fore ut et ipsa creatura liberetur etc. » Ita sentiunt Eusebius Caesariensis, Cyrillus Hierosolymitanus, Augustinus, Theodoretus, Gregorius Nazianzenus, ceterique: quorum interpretationes complexus Cornelius a Lapide in hunc locum scribit: « Omnes creaturae etiam insensibiles, avidissime expectant tempus, quo filii Dei gloria donabuntur, ut cum eis, quibus servierunt, quasi dominis, ipsae quoque suam gloriam, renovationem ac perfectionem, tanquam famuli accipiant. *Creatura* hic sunt coeli, elementa, omniaque creata. »

Origenes porro cum in hanc eamdem cesserit sententiam de creaturis non sua sponte vanitati subditis, quas Apostolus dicit congemiscere et condolere, libertatem expectantes a servitute corruptionis, ideo ait eisdem idest coelo, terraeque et quae in eis sunt, spem reparationis assignari. Verum ex his omnibus non tantum ipse creaturas omnes coelestes et terrestres extra angelorum et hominum ordinem sitas, quippe vanitati et corruptiòni obnoxias in fine mundi reintegrandas dixit in pristinum statum; sed etiam ex his et hujus generis locutionibus, quibus Psalmista et prophetae frequentius utuntur ex. g. *coeli enarrant gloriam Dei*: *benedicat terra Dominum: laudate eum sol et luna: audi coelum et loquar; et auribus percipe terra: stellae non sunt mundae in conspectu ejus etc.* tanquam corpora animata ea putavit; et quamdam insuper rationis speciem praeferre secum, quasi conditioni humanae participantia, peccatis nimirum eisdem teneri ac homines; redemptionis spem fovere; eorumque sorti pariter convenire in mundi consummatione.

Verumtamen qua mente haec adstruat Auctor, quo sensu rationem in iis creaturis decernat: et quantum discrepantiae ex hac rationali facultate in hominibus et in ceteris creaturis corporeis et inanimatis collocet quoad arbitratum in agendo, primis tantummodo proprium, et a secundis penitus alienum, ex sequentibus patefiet. Ac interim quod ex citato testimonio *in Epistolam ad Romanos* Lib. VII. n. 4. dicit circa insensibilia elementa quasi dolentia propter servitutem, quam minime sponte modo sustinent, audiatur.

« *Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat*: volens ostendere Apostolus, quanta qualisque sit gloria, quae revelanda est in ipso, vel in iis, qui agones Christi integre desudaverint, ait etiam creaturam (utpote rationabilem) habere expectationem quamdam et spem gerere temporis illius, quo revelanda est gloria filiorum Dei, hoc est, cum revelabuntur ea, quae praeparata sunt his, qui filii Dei esse merebuntur; aut certe cum ablato ab his velamine, quo obteguntur, manifestati fuerint ipsi, quia filii Dei sunt. Quae autem est creatura, quae revelationem filiorum Dei expectat? Haec, inquit, quae nunc vanitati subjecta est; subjecta

autem *non volens*, nec sponte propria, sed voluntate ejus, qui dispensat universa. Propter ipsum ergo subjecta est; subjecta autem non ea conditione, ut maneat semper subjecta vanitati, sed cum quadam spe. Quae autem sit spes ista commemorat dicens: *quoniam et ipsa*, ait, *creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei.* Ait autem Paulus scire se et similes sibi, *quoniam omnis creatura congemiscit et condolet usque adhuc*, vel ut aliis habetur exemplaribus, *congemiscit et parturit usque adhuc.* Congemiscere autem et condolere est cum alio dolente vel gemente gemere et dolere, hoc est, cum ipse quidem causam gemendi non habeat vel dolendi, gemit tamen pro eo, qui causam habet gemendi vel dolendi. Hoc autem dicit, facere creaturam, pro eo quod vanitati subjecta est, et in servitute corruptionis posita etc. »

Itaque cum ait Origenes hanc creaturam, idest elementa mundi quamvis rationalia subjici vanitati invite nec sponte propria, sed voluntate alterius, arguitur ipsam jure arbitratus sui carere, nec unquam ipso uti posse, sed se se a motore agitari, qui eam quocumque vult, ducit. Attamen cum ipsa Creatori suo in omnibus obsequatur, quamvis recedere non possit ab incepto, dicitur ab Adamantio *logica* sive rationalis esse, ab ipsa ratione agi et duci, etsi natura ejus omnino materialis sit ullo absque discretionis sensu, seu spiritalis intelligentiae, quo spiritus coelestes et homines potiuntur. Ex hoc igitur Origenem, cum creaturas rationales nominat elementa hujus mundi coelestia et terrestria, latissimum intervallum collocasse ostenditur inter hominum rationalitatem, ac reliquarum corporearum creaturarum in ipsius hominis obsequium conditarum. Quam insuper hominis rationem saepius ipse sub vocabulo spiritus sive mentis distinguens, quam praeclarissime definivit et nuncupavit ex divina imagine homini indita a Deo: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* ac ideo has pariter creaturas etsi rationales, hominis dominationi suoque usui subjecit Deus.

Propterea paulo post subdit, hanc creaturam rationalem spem fovere quandoque ab his rebus corporeis et corru-

ptibilibus cessandi non in bonum, non in commodum sibi; sed ita hac expectatione affici, « ut revelatio fiat filiorum Dei, propter quos angeli mittuntur in ministerium, ut et ipsi cum his, quibus ministraverunt, accipiant haereditatem salutis: et coelestium et terrestrium fiat unus grex, et unus pastor, et *sit Deus omnia in omnibus* etc. » Non ergo pro se hujusmodi creatura rationalis dolet et gemit, sed pro aliis tanquam servus pro domino suo gemit, et cum eo dolet. Proindeque tota harum creaturarum ratio non proprie sed improprie, non absolute, sed relative dicitur; aut tanquam sibi ipsae consciae sint de hac expectatione; veluti deinde ait: « Universa namque creatura ingemiscit et condolet, duritiae et dissimulationis nostrae damna suspirans. » Ita ipse inanimatas creaturas ratione agi putat, quippe immutabili ordine, Dei voluntati obsequuntur.

In hoc porro consistere hanc rationis speciem, quam coeli astris, mundi elementis concedit Adamantius, perspicue explicatur Homilia XXII. *in Lucam*: « Vere, scribit, qui faciunt idola, et confidunt in eis, similes sunt diis suis absque sensu, sine ulla ratione; in lapides lignaque conversi sunt. Cum enim tantum videant creaturarum ordinem, decorem, officium, tantam mundi pulchritudinem, nolunt de creaturis intelligere Creatorem; neque considerant tantae dispensationis aliquam providentiam, aliquem esse rectorem: sed sunt coeci, his tantum oculis mundum videntes, quibus irrationabilia jumenta et bestiae vident. Non enim animadvertunt in his, quae vident ratione regi, aliquam inesse rationem. » Intuere ergo quomodo prius substantias materiales ac jumenta vocet irrationabilia quippe spiritu sive mente carentia; ac postea easdem creaturas, quas antea irrationabiles dixit, ratione regi asserat, et ideo in ipsis aliquam inesse rationem: et sic contra seipsum ire videtur. Et ita se haberet, nisi talem *rationem* de ipsarum creaturarum ordine ad finem, quo eas Deus creaverit, relative interpretatus fueris; sive nisi eam comprehenderis *rationem*, qua a Deo conditae sunt res inanimatae, quamque eis indidit Deus, ut ordinem ipsis impositum immutabilem continerent, quin in seipsis hanc abstracte sentirent *rationem;* nec ullam eidem rationi adversi-

tatem experirentur. Nisi, inquam, ipsius Origenis testimonium ita comprehenderis, secum ipso pugnare compertum tibi fiet.

Ceterum hujus locutionis instar, ubi passivum rationis exercitium in rebus inanimatis sive coelestibus sive terrestribus sic definitum statuitur ab Origene, plura occurrunt exempla in suis libris, sumpto themate ex citatis Apostoli verbis. Homilia namque IV. n. I. *in Ezechielem*, hujus sententiam expendens: *terra cum peccaverit mihi etc.* varimode quidem hujus terrae explicat actionem, quasi sensibilis ipsa sit, et passionibus obnoxia, et amplius quasi justitiae et improbitatis particeps; tamen hujusmodi rationalitatem et ejusdem terrae actiones juxta naturam suam fieri docet, et aliter quam hominis natura fert. Ait enim: « Et futurum est, ut in die judicii non solum homo, sed universa conditio judicetur: *omnis* quippe *creatura congemiscit et condolet.* Si omnis creatura congemiscit et condolet et cetera quaeque, quae sub coelo sunt, et quae super coelos, et *liberabitur omnis creatura a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei;* qui scit et de terra, an secundum naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia? Si enim animal est, si rationabilis est, si indiget auditione sermonis prophetici dicentis: *attende coelum et loquar etc.* .... quare, inquam, non terrae et aeris judicium sit futurum? »

Deinde idem probat judicium terrae futurum ex Geneseos verbis c. IV. *maledicta terra, quae aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui de manu tua*: *maledicta terra in operibus tuis*: et e contrario aliquando benedicitur: « Vides ergo, subdit, quia merito dicitur: *congemiscit omnis creatura.* Et ut ad praecedens revertar exemplum, *offenditur terra in insidentibus sibi;* puto quia terra nos, ut mater sustinens, et laetetur super bonis filiis, et doleat super peccatoribus. Ita quippe patri filius insipiens dolor est, et ei matri, quae genuit eum. Et non solum huic patri et matri, de quorum semine orimur; sed et illi matri, quae vere mater nostra est: *accepitque Deus humum de terra et plasmavit hominem.* Igitur terra mater nostra est, laetatur quando justum filium sustinet: » Et sic de ceteris, quibus Origenes

terram tanquam sensibilem et rationalem dicit communicare habitatoribus suis sive bonis sive malis, proindeque horum praemiis aut poenis; non juxta opera sua, sicuti arbitrio suo perpetrata, hoc ait; ast tantummodo illud sibi vult de terra passive, sive relative animadverti, quemadmodum pater, qui de filio suo probo vel pravo laetatur sive dolet: quin scilicet terra actionibus habitantium cooperetur, veluti nec pater filiorum bonitati communicat, nec eorum pravitati.

Item, quae manifestius propositum juvant circa substantias materiales sive coelestes sive terrestres, in obsequium suum a Deo vocatas, ac ideo ratione sive intelligentia praeditas, ex quo morem illi gerunt, ac mandata servant, cum tamen nec revera sentiant, nec intelligant neque arbitrio suo utantur, expenduntur ab Auctore ex Serie Commentariorum *in Evangelium Matthaei* n. 50: « Et corpus, ait, quod suscepit de virtute Altissimi, et de Virgine hujusmodi ministerium ministrante, debebat honorari, ut et super talibus nubibus veniret: forsitan super nubibus animatis et rationalibus, ut ne sine anima, et irrationabile esset vehiculum Filii hominis glorificati, sicut fuit sine anima currus, et irrationabiles equi, in quibus visus est assumi Elias secundum Scripturam dicentem: *et ecce currus igneus, et equi ignis.* Quoniam autem animatae et rationabiles nubes erunt, quae erunt vehiculum Filii Dei, proferimus exempli causa quod dicitur: *et veritas tua usque ad nubes.* Et iterum: *mandabo nubibus ne pluant super illam, pluviam.* Maxime autem ex eo, quod dicitur: *et ecce nubes lucida obumbravit eos, et ecce vox de nube dicens.* Non quia nubes Filii erat Pater, sed ut ita dicam etc. » Animadverte ergo quomodo animatam dicat nubem et rationalem, in qua vehebatur Flius hominis, equos vero igneos irrationales nuncupet et currum inanimatum, in quo sublatus est Elias, et quomodo nubem animantibus praeferat in rationalitate. Unde liquet, improprie ibi loqui Origenem, posita ista distinctione inter equos et currus irrationales et inter nubem rationalem, ac relative tantummodo rationem concedere nubibus, qua necessario supremam voluntatum expleront erga Filium Dei.

Haec omnia plane explicavit Origenes Homilia X. *in Hieremiam* n. 6. verba illius enucleans: *quousque lugebit terra, et foenum omne agri arescet a malitia habitantium in terra?* ubi scribit: « Quasi animal sit terra, sic nunc loquitur Propheta, dicens lugere eam, quando mali sunt habitatores, qui in ea commorantur. Per unumquemque enim nostrum terra aut laetatur in virtutibus accolarum, aut luget in vitiis. Si autem terra, consequenter et elementa cetera ex quibus et aqua, idest angelus, qui super aquam constitutus est. Neque enim aliter possum lugentem terram exponere, seu laetantem, cum hoc corpus, terra scilicet luget de habitantibus in ea, nisi de angelis qui praesident elementis terrae, aquae, aeri, igni et ceteris elementis; et hoc ordine pervenire ad omnia animalia, ad omne germen, ad ipsa quoque astra coelestia etc. »

Sic fatus Auctor omnem rationis sensum excludit ab his corporibus; et siquid sensationis in eisdem admittendum sit, illud repetatur necesse est, docet, ex angelis, quibus mundi regimen commissum est. Unde arguitur, qua mente Origenes aliquando visus est, mundi elementis animam et intelligentiam adscribere; idest non nisi relative. Et ob hoc hujus seculi finem enarrans ac mundi subversionem Homilia XXII. *in Lucam* ait: « Omnis iram Dei passurus est mundus. Tantam vastitatem coeli, et latitudinem terrae, et stellarum choros, splendorem solis, et lunae nocturnae solatia, Dei ira subvertet. Haec enim omnia propter peccata hominum transibunt. » Propter nempe hominum peccata mundi elementa transibunt, neque ob peccata propria. Vices enim humanitatis Deo rebellis patientur astra coeli et terra, poenas non suas, sed eorum, quibus ministrarunt, sustinentia; cum in se nullum sui juris usum nec actuum responsionem percipiant.

Quapropter ex allatis argumentis manifestum est, siquando Origenes astra coeli ceterasque creaturas materiales (apostolica dicta interpretatus) rationales nuncupaverit, hoc dixisse, non quasi intelligentia sua propria, ipsae creaturae lugerent, dolerent, sperarent, ceu discretione usae et sui juris forent, adeo ut mutari possent si vellent; ast tantummo-

do relate ad finem, quem sibi proposuit Deus earum Creator, rationem eis indidit, qua incessanter et irrevocabili ordine ea faciant, quae ipse Deus vult, eumque sequantur, quo ipsas perducit: uti praeclarissime divus Thomas in hunc Apostoli sermonem scribit: « Sensibilis creatura dupliciter aliquid expectat. Nam expectatio creaturae sensibilis, secundum quod est a Deo, ordinatur ad aliquem finem; quod quidem contingit dupliciter. Uno modo secundum quod Deus imprimit aliquam formam et virtutem naturalem hujusmodi creaturae, ex qua inclinatur ad aliquem finem naturalem; puta si dicamus, quod arbor expectat fructificationem, et ignis expectat locum sursum. Alio modo creatura sensibilis ordinatur a Deo ad aliquem finem, qui superexcedit formam naturalem ipsius. Sicut enim humanum corpus induetur quadam forma gloriae supernaturalis, ita tota creatura sensibilis in gloria illa filiorum Dei quamdam novitatem gloriae consequetur, secundum illud Apocalypseos: *vidi coelum novum et terram novam*. Et per hunc modum creatura sensibilis expectat revelationem gloriae filiorum Dei. » Et sic per analogiam illud etiam comprehenditur, quod Origenes Tomo XIII. n. 20. *in Matthaeum* dicit de coelo, terra, sole, luna, stellis et aquis; ea elementa nimirum cognoscere lumen verum Christum, ac ideo unumquodque eorum sibi constitutum servare ordinem.

Demum ex simul collectis tam Origenis tam Patrum testimoniis circa sensum Apostoli: *nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat . . . non solum autem nos, sed ipsa creatura congemiscit et condolet usque adhuc*, aeque explanantur, quae Auctor docuit Tomo I. *in Joannem*, de Jesu Christi passione pro omnibus, non solum hominibus, sed pro omnibus rationalibus creaturis, quae hujus generis sunt, de quibus hucusque locutus sum, idest astra coeli et cetera inanimata, ab Apostolo censita in praefatis verbis. Ait enim Origenes n. 40: « Hic igitur, qui tot nominibus nuncupatur, advocatus, propitiatio, propitiatorium, compassus infirmitatibus nostris, tentatus in omnibus humanis juxta similitudinem sine peccato, magnus est Pontifex, non modo pro hominibus, sed et pro omni logico idest rationis capaci, hostiam

semel oblatam seipsum offerens...... Per gratiam namque Dei pro omni gustavit mortem. Etenim absurdum est pro peccatis quidem humanis dicere eum mortem gustasse, non ita vero pro quibuscumque etiam aliis, qui praeter hominem in peccatis essent; verbi gratia pro astris, neque astris omnino puris coram Deo existentibus, uti legimus *in Job*: *astra autem non sunt munda coram eo*: nisi forte hyperbolice hoc dictum sit. Ob eam causam magnus est Pontifex; quoniam omnia regno Patris restituet, faciens ea repleri, quae in unoquoque mortalium desunt, ut capiant paternam gloriam. »

Cum itaque (uti inquiunt praefati Ecclesiae Patres) mundi creatura inanimata, quam dixit Apostolus condolentem et expectantem revelationem filiorum Dei, incorruptibilis ab ipso Deo condita fuerit, ac inde propter hominis peccatum facta corruptibilis, ipsa quoque renovationem expectet et conversionem, ei in resurrectione superventuram (quemadmodum scribit s. Cyrillus Hierosolymitanus *in Catechesi* XV. convolvet coelos Dominus, non ut iis inferat interitum, sed ut rursus excitet pulchriores) haud frustra nec immerito scripsisse videtur Origenes, Christum asserens et pro hominibus passum esse, et pro ceteris creaturis materialibus. Quum enim pro suo dicendi more, rationales eas facit, ac inde veluti peccatrices et in spe constitutas redemptionis, seu reparationis, (cum non nisi ex culpa nostra ordinem ipsis impositum transgressae sint) sicuti peccatum ipsis et poenam, ita et redemptionem ex Christi morte tribui haud absonum reputatur ab Adamantio. Quod sane fiet in consummatione mundi hujus per ignis conflagrationem expiati; et cum Christus posuerit omnes inimicos suos sub pedibus suis, et abolita fuerit ipsa mors; ac universa substantia corporea pariter sive animata sive inanimata, per regenerationem restituetur in pristinum statum, quo fuit a Deo creata.

Et enim tunc gloriosus triumphus Christi Redemptoris pro omnibus passi, manifestabitur in mundo novo: *vidi coelum novum et terram novam*. Et sicut universa creatura protoplastorum culpabilium poenae communicavit; ita et meritis passionis ejusdemque victoriae finali, cum omnia restituet

Patri, *ut sit Deus omnia in omnibus.* Et hoc adamussim est, quod dicit in citatis verbis Origenes de *paterna gloria*, quam consequentur omnia in consummatione seculi per regenerationem, *cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae*: « Ob eam causam magnus est Pontifex (Christus) quoniam regno Patris restituet omnia, faciens ea repleri, quae in unoquoque mortalium desunt, ut capiant paternam gloriam. »

De reliquo, quomodo et in quo consistat hujus creaturae materialis, (quam etiam rationalem vocat) redemptio per Christum efficienda, et quando ipsa fiet, luculentius explanatur in Libro I. c. VII. n. 5. *Periarchon*, unde similiter haud jure offensi sunt veteres et recentiores interpretes, minus probe Origenis sensum perscrutati. Nos tamen his et aliis huc illuc sparsis de hac re documentis simul collatis, tum sibi consectarium, tum nec amplius errantem reperimus Auctorem. Et si obscuritate quadam scripta sua involuta reliquit aliquando; alibi tamen patentius illustrat sicuti in sequenti sermone. Postquam enim coeli astra animata nuncupavit; ac insuper animabus hominum praestare siderum animas quodammodo conjecit (qua vero causa haec dicat, latet, fortasse quia passionibus corporeis obnoxia sit hominis anima dum in hac vita degit) e Scripturis deinde hanc, qua potiuntur homines, rationem astris vindicat, uti praenotavimus: *Vanitati* ex. g. *creatura subjecta est non volens etc. nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat: non solum autem nos, sed ipsa creatura congemiscit etc.* Hinc concludit.

« Huic ergo vanitati creatura subjecta est, illa praecipue creatura, quae utique maximum in hoc mundo, et egregium operis sui obtinet principatum (idest sol, luna et stellae) vanitati subjecta dicitur, corporibus indita, atque ad illuminandi officium humano generi deputata: *et non volens,* inquit, *creatura haec vanitati subjecta est.* Non enim voluntate exhibendum suscepit ministerium vanitati; sed quoniam volebat ille, qui subjiciebat, propter eum, qui subjecit, promittentem his, qui non voluntate vanitati subdebantur, quod expleto magnifici operis ministerio liberabuntur ab hac servitute corruptionis et vanitatis, cum redemptionis gloriae filio-

rum Dei tempus advenerit. Qua spe accepta, et quam promissionem explendam sperans universa creatura congemiscit nunc interim, utpote etiam affectum habens erga eos, quibus ministrat et condolet per patientiam, quae promissa sunt, sperans. Intuere etiam illud, si forte aptari potest illa vox Pauli his, qui licet non volentes, pro voluntate tamen ejus, qui subjecit, et pro repromissionum spe, vanitati subjecti sunt, qua ait: *optarem enim resolvi, vel redire, et esse cum Christo: multo enim melius.*

« Puto enim quia similiter possit etiam sol dicere, quia optarem solvi et esse cum Christo: multo enim melius. Et Paulus quidem (ad Philip. c. I.) addit: *sed permanere in carne magis necessarium propter vos.* Sol vero potest dicere: permanere autem in hoc coelesti et lucido corpore magis necessarium propter revelationem filiorum Dei. Eadem sane etiam de luna et stellis sentienda sunt et dicenda. Videamus nunc quae sit etiam libertas creaturae, vel quae absolutio servitutis. Cum tradiderit Christus regno Deo et Patri, tunc etiam ista animantia, cum prius regnum Christi fuerint effecta, simul cum omni regno etiam Patri regnanda tradentur: ut, cum Deus *erit omnia in omnibus*, etiam ista, cum sint ex omnibus, sit et in istis Deus, sicut in omnibus. »

In his verbis Auctor quamvis totus in eo sit, ut sensum rationalem et voluntatem quoque in astris inveniat; et animam ideo ipsis corporibus extrinsecus insertam esse, et haec e Scripturis studeat sancire; tamen ex ipsius locutione non nisi passivum rationalitatis genus admitti in iis potest, adeo ut praemia seu poena ipsis adjudicanda astris, tantum relativa habeantur. Quapropter cum ista corpora sentiant se in peccato, seu malo sita fuisse ob hominis culpam, et nequeant ab eo reatu et a poenis eidem debitis evadere; sentient quoque, cum tempus redemptionis eorum advenerit, aliquando ipsa a reatu et poenis resoluta, in consummatione seculi restituenda esse ad pristinam conditionem, una simul cum humanis corporibus, neque se se pariter posse eximere ab hac reparatione de malo in bonum. Ex necessitate enim subdentur mandato divino; quo soli, lunae et sideribus praecipietur, ut a servitute corruptionis et vanitatis liberentur, quemadmodum necessario culpabilium protoplastorum poenas sustinuerunt.

Cum enim tunc sive dolerent creaturae, sive gemerent, aut vellent, seu ipsae nollent, Adami peccantis supplicia passae sunt; ideo sive doleant nunc, sive gemant, sive nolint sive velint, aut sperent; in hac misera humanitatis praesentis constitutione ex necessitate persistere debent, donec Deo libuerit, idest usque ad hujus mundi finem, ejusdemque per ignem lustrationem. Ac tandem aut velit, aut nolit in mundi consummatione, universa creatura absolutioni a servitute participabit per Jesu Christi triumphum super omnes adversarias potestates, ita ut et ipsa astra dicantur Christi passionis bono fruitura, mortis imperio destructo et omnibus reintegratis ad priorem statum, in quo a Deo creata sunt: *et vidit Deus omnia quae fecerat et erant valde bona.* Itaque concludendum est, rationales hujusmodi creaturas, solem, lunam et stellas actionem mere passivam a Deo possidere; nec ullo modo, nec unquam (etiamsi invitae id agere videantur) voluntati Dei resistere posse, donec impleant ministerium erga Creatorem suum. Et hoc manifeste statuit Origenes dicens; « Non enim voluntate creatura ista (sol luna et sidera) suscepit ministerium vanitati exhibendum; sed quoniam volebat ipse, qui subjiciebat. » Et sic ab eisdem arbitrii usus et culpa voluntaria, proindeque a conscientiae propriae angustia penitus excluduntur.

Item, cum postea eisdem corporibus spondeat libertatem Origenes, ipsisque indat spem salutis, pari jure dicitur, in his actibus passive se gerere corpora coelestia, neque meritum ullum sibi vindicare; ex quo omnino divinis nutibus parent tanquam instrumenta in manu opificis; eoque magis cum ait, non in suum commodum sperare creaturam, nec de se lugere, nisi ob affectum erga illos, quibus ministrat; veluti et omnes actus suos non pro se, verum in hominis utilitatem perficit prope Creatoris mentem, qui mundum condidit in humani generis usum. Ideoque in futuro seculo, morte abolita, daemonis potestate subacta, corporeae creaturae regeneratione expleta, Christo triumphante, cum fuerit Deus omnia in omnibus, etiam in istis astris erit Deus sicuti in ceteris. Haec autem ad ea referenda sunt, quae in prima Parte fusius pertractavimus de *chachïas* malitiae in hunc mun-

dem irruptione ob Adami culpam deque ejusdem extirpatione in consummatione seculi.

Si vero Adamantius ob quamdam argumenti sui perspicuitatem, Apostoli verba ad Philippenses proferat, optatum sui finem expectantis *et esse cum Christo*, eodemque modo, quo astra coeli sperant resolutionem et esse cum Christo; haec tamen similitudo non ipsam et parem Pauli conditionem cum sole constituit, quasi unum et eumdem finem et spem tam Apostoli tam solis consideret; ac mentem et arbitratum utriusque aequali conceptu comprehendat. Minime hoc vult Origenes; ast tantummodo id ait, quoad spem et Pauli et solis de resolutione corporis praesentis; quippe et Apostoli corpus et solis eadem infirmitate corruptionis laborat ob protoparentum reatum; proindeque eadem quoque regenerationis sive redemptionis spe afficitur, unum absolute, alterum relative, unum propter se, secundum in commodum alterius; unum in bonum et suipsius gloriam, alterum in ministerium primi quasi instrumentum fruitionis in eo novo Christi regno, seu ad majorem divini Redemptoris laudem in coeli terraeque novitate: *ecce ego creo coelos novos et terram novam*. Et hanc sane Origenes sentiens differentiam Apostoli desiderii et expectationis, a solis desiderio et spe quoad finis varietatem, priusquam hanc similitudinem proferret, ait: « Intuere si forte aptari potest illa vox Pauli his, qui licet non volentes, pro voluntate tamen ejus, qui subjecit, et pro repromissionum spe vanitati subjecti sunt: *cupio resolvi et esse cum Christo.* »

Et huc itaque referendum est, et quidem explanandum quidquid in citato Libro *Periarchon* docuit Adamantius circa astrorum animas et similia; ubi per vario genere interrogationes plura proposuit dubia; num scilicet coelestibus corporibus anima sive spiritus, sive ratio tribui possit; seorsim tamen a spiritu, a ratione, ab intelligentia, quibus omnino sentit ac docet praestare hominem, ideoque ipsum distingui ab istis corporibus animatis sole, luna et stellis, et quacumque velis creatura extra angelorum hominumque ordinem. Quamobrem cum ipse ait, Dei jussu solem, lunam et stellas luce clarescere, cursum suum irrevocabiliter per-

ficere; pluvias, aestus, procellas praedicere; item ex divina dispositione ipsas laudare Deum; ex ejusdem mandato vanitati subjectas esse; ex Dei voluntate spem alere libertatis etc., quid aliud indicat, nisi horum motum rationalem gubernari a supremo Creatoris beneplacito, adeo ut nutui ipsius resistere nequeant? Quin nec insuper in se experiantur legem huic ordini contrariam.

Huic autem assertioni, ut magis res pateat, opportune aptari potest, quod ipse contra Celsum Libro IV. n. 83. de formicis, quae terrae fructus sibi seponunt, ait: « Cujus rei non existimandum est, causam in formicis esse ratiocinium, sed omniparentem naturam, quae etiam brutas animantes sic exornavit, ut ne minima quidem relicta fuerit, quae impressa a natura non ferret rationis vestigia. Sed fortasse Celsus, qui Platonem in plerisque imitari amat, per haec obscure indicat, similes esse omnes animas, nec humanam inter et formicarum aut apum animam ullum esse discrimen. » Quod discrimen Origenes ubique suis scriptis conseruit; nec unquam sive materiae, sive animantium, seu astrorum essentiam confudit cum hominum natura, eo λογισμοῦ ratiocinio obstante, quo homo solus ad imaginem Dei conditus, plane a reliquis secernitur creaturis, eisque antecellit, non tam ob hujus ratiocinii usum et arbitratus jus, quam potissimum relate ad divini luminis communicationem et ad finem, quibus Deus hominem creavit.

Hoc porro argumentum sedulo ac speciatim in Libro IV. contra Celsum ipsum egit; ubi in hominibus solum novit ac tuetur liberum arbitrium; ac in cujusque voluntate ait causam malitiae suae esse ex quo ipsa convertibilis est. Et ob hoc deinde differentiam constituit inter opera λόγου ratione et λογισμῶν ratiocinio expleta, quae hominis exclusive sunt, ab aliis irrationabilium actibus, quae ad hominis ministerium creata sunt, eique tanquam instrumenta mechanica inserviunt; et hinc humanam naturam rationalem solam bonitatis et malitiae esse capacem: sicuti postea ab una et ab alia decedere per eamdem rationem posse, ac per liberi arbitrii usum. Itaque *in Joannem* Tomo I. n. 34. γένος λογικὸν *genus rationale* angelos et homines tantummodo vocat: « Sui

namque arbitrii (ait Homilia XX. n. 3. *in Numeros*) est anima hominis: et in quam voluerit partem, est ei liberum declinare. Et ideo justum Dei judicium est, quia sponte sua sive bonis sive pessimis monitoribus paret. » Aliter autem cogitandum est de sole, luna et stellis, ceterisque creaturis: quae nunquam ducentur in judicium per liberum actionum suarum exercitium; nec ideo nunc gaudii promissionibus urgentur, neque poenarum minis in altero seculo, quemadmodum superius dictum est.



CAPUT XXV.

Quanto jure disputatur, reprobatus sit Origenes a Theophilo, a s. Epiphanio aliisve, quod sacrarum Scripturarum sensum litteralem vel sustulerit, vel depravarit.

Aliud culpationis genus ab adversariis institutum est contra Origenem; et hoc est, quod ipse in divinarum Scripturarum interpretatione, aliter quam ab Ecclesiae Patribus Bibliorum sensum considerarit; idest, uti dicit s. Epiphanius: « Historiae veritatem allegorico depravans mendacio, infinita verba multiplicat. » Et Theophilus *in Epistola Paschali* I: « Quae enim, scribit, illum ratio, quis disputationum ordo perduxit, ut allegoriae umbris, et cassis imaginibus, Scripturarum tolleret veritatem? » Item s. Eustathius Antiochenus, s. Hieronymus, aliique.

De hac re etsi Huetius plura edisserat pro Origene (quae lectori commendantur) nihilominus, ut rectum in hac quaestione judicium fiat, semotis iis, quas Adamantius huc illuc inspersit, sententiis singulari argumento accommodatis, hominibus, circumstantiis, et disputatione praecipue inspectis (unde aliquando sensum litteralem transegit, allegorico probato, et e contra) quam maxime studium nostrum eo intendendum est, ubi speciali tractatu de divinis Libris eorumque sensu suum is exegit opus. Cumque itaque in Libro IV. *De Principiis* hoc elucubrarit argumentum, idcirco inde mentem suam elicere juvat. Ibi namque haud obiter, nec specialia dogmata sanciendi causa Scripturas citat; sed ex professo et accurate leges tradit de Bibliorum interpretatione, ita n. 8. scribens:

« Postquam veluti cursim probavimus divinitus inspiratas esse Scripturas sacras, necesse est, ut earum legendarum et intelligendarum rationem pertractemus: cum multi errores et lapsus ex eo contigerint, quod viam multi non invenerint qua esset in sancta lectione insistendum. Duri enim corde et idiotae, qui e circumcisione sunt, prophetiarum, quae de Christo loquuntur dictionem sequi se existimantes, in Sal-

vatorem nostrum non crediderunt: et cum sensibiliter non cernerent, ipsum praedicasse captivis remissionem, neque aedificasse, quam vere credunt civitatem Dei, neque exterminasse currus Ephraim, et equum de Hierusalem, neque butyrum et mel comedisse, neque priusquam nosset, aut eligeret mala, elegisse bonum; rati insuper esse prophetatum fore ut lupus animal quadrupes cum agno pasceretur, pardus cum baedo stabularetur, vitulus, taurus et leo simul pascerentur, et a puerulo ducerentur; bos et ursus una pabulum sumerent, eorum parvulis simul educatis; leo quoque ut bos palea vesceretur: nihil horum in eis, quem Christum credimus, adventu sensibiliter cernentes factum, Dominum nostrum Jesum nedum susceperint, eum tanquam se se contra jus Christum praedicaret, cruci affixerunt. » Hinc interim quisque videt quanto jure illorum idest judaeorum *litteram* juxta Apostolum *occidentem* in Scripturis condemnaverit Origenes. Et ob hoc paulo post sequitur n. 9. « Iis autem omnibus nulla falsarum opinionum, nulla impietatis et stolidorum de Deo sermonum causa esse alia videtur, quam Scriptura non secundum spiritalem sensum intellecta, sed secundum litteralem accepta. Quapropter iis qui persuasum habent, sacros Libros non hominum esse commentarios, sed sancti Spiritus afflatu, voluntate Dei parentis universorum per Jesum Christum scriptos esse, et ad nos pervenisse, qua via in eorum lectione insistendum esse nobis videatur, indicare conabimur, servata coelestis secundum successionem apostolorum Ecclesiae Jesu Christi regula. »

Deinde n. 11. tripliciter sensum Scripturarum distinguit; atque cuique fidelium pro suae mentis capacitate pari ratione designat, pro simplicioribus nempe corpus Scripturarum idest sensum historicum, pro aliis, qui aliquantulum profecerint, Bibliorum animam; pro perfectis vero spiritus servatur. Hunc porro triplicem sensum frequentius prae oculis se habuisse testatur Origenes, veluti dicit Homilia VIII. *in Leviticum* n. 5: « Triplicem namque in Scripturis divinis intelligentiae inveniri saepe diximus modum, historicum, moralem et mysticum: unde et corpus inesse ei, et animam ac spiritum intelleximus. » Et ab hoc triplici interpretationis

genere, tanquam norma certa in Bibliorum studio, nunquam recessit, iis varimode usus sicubi orationis scopus, auditorum necessitas, et in errantes et infideles ejusdem dimicatio postularent, aptando pharmacum Scripturarum prope morbi qualitates. Et hinc factum est, ut in citato Libro *De Principiis* longiori disputatione contra judaeos, se se a sensu litterali altius elevare nolentes ad spiritalem divinorum verborum intelligentiam, veritus ne aliqui ideo offenderentur, quasi litteram transegisset, in n. 19 ejusdem Libri IV. dixerit:

« Nequis vero nos suspicetur in omnibus id dicere, nullam historiam contigisse, quoniam aliqua non contigit; et nullam legem ad litteram esse servandam, quoniam aliqua secundum litteram aut absurda, aut impossibilia praecipit; vel quae de Salvatore scripta sunt, secundum litteralem sensum non esse vera; aut nullam ipsius legem vel praeceptum servari oportere, dicimus manifeste in quibusdam historiae veritatem nobis apparere; ex. g. Abraham, Isaac et Jacob cum una sua unumquemque uxorem in duplici spelunca sepultos esse in Hebrom; Sichem Josepho in portionem esse attributam; Hierusalem metropolim esse Judae, in qua a Salomone aedificatum fuit templum, et alia sexcenta. Multo enim plura sunt secundum historiam vera, quam quae mere spiritualia illis attexta sunt etc. » Et paucis interjectis concludit: « Quamobrem necesse est, ut accuratus lector, servato hoc Salvatoris praecepto: *scrutamini Scripturas*, quandonam verum sit quod littera sonat, quandonam sit impossibile, diligenter exploret; et ex similium vocum comparatione diffusum ubique per Scripturas sensum ejus, quod secundum litteram est impossibile, pro viribus investiget. »

Et hoc item sapienter instaurat Homilia XI. n. 1. in *Numeros*, statuens Dei mandata: *non occides, non adulterium facies, non furaberis* secundum litteram custodienda esse. Item ex Apostoli dictis: *sectare quod justum est*: quid opus est, ait, in his allegoriam quaerere, cum aedificet etiam littera? Deinde in evangelicam sententiam: *propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae etc.* etiamsi mysterium in his viderit Apostolus: *ego autem dico in Christo et in Ecclesia*, attamen, subdit, oportere hoc etiam secun-

dum litteram custodiri, ipse Dominus docet: *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Deinde ex ejusdem Apostoli verbis: *quia Abraham duos filios habuit* etc. quae secundum litteram stare debent, haec tamen Paulus ad allegoriam transfert. Et ob hoc concludit: « Ostendimus, ut opinor auctoritate Scripturae divinae, ex iis quae in Lege sunt scripta, aliqua penitus refugienda esse et cavenda, ne secundum litteram ab Evangelii discipulis observentur: quaedam vero omnimode ut scripta sunt, obtinenda: alia autem habere quidem secundum litteram veritatem sui, recipere tamen utiliter et necessario etiam allegoricum sensum. »

Hujusmodi porro sibi praescripta methodo, mysteria Scripturarum evolvit discutitque, ubique se se in omnibus consectarium perhibens juxta praefatas leges. Et re quidem vera, siquis ex. g. Commentarios ejusdem *in Genesim* percurrat, sensum litteralem antea celebrantem aptissime viderit de mundi creatione ex nihilo, et ex hoc divino testimonio hic et alibi adversariorum conterentem argumenta aliter sentientium de mundi ortu. Attamen hinc maxime carpitur Origenes quod, sensu litterali derelicto, expositionem spiritalem complexus sit; quod prorsus falsum est. Fit namque raro, ut in iis Geneseos verbis, etsi brevi sermone, Litterae sensum non prodat, nec multo minus ipsum aspernetur, dummodo vero iste sensus locum habere possit. De his interea, quae scribit Homilia II. *in Genesim*, consulito, ubi de Arcae Noe constructione disserit.

« Incipientes, ait, de arca, quae secundum mandatum Dei a Noe constructa est, disserere, primo omnium videamus, quae de ea secundum litteram referuntur: et quaestiones proponentes, quae objici a pluribus solent, etiam absolutiones eorum ex his, quae nobis sunt a majoribus tradita, requiramus; ut cum hujuscemodi fundamenta jecerimus, ab historiae textu possimus ascendere ad spiritalis intelligentiae mysticum et allegoricum sensum; et siquid in eis arcanum continetur, aperire, Domino nobis verbi sui scientiam revelante. » Origenes fortasse ita sermonem suum contexens, litteralem neglexit sensum? eoque magis, quod paulo post Apellem Marcionis discipulum confutet, asserentem, nec minimam omnium

animalium partem continere potuisse arcam Noe? Cur tanto studio ejus arcae mensuram excussit, ut litterae expositionem servaret contra hujus historiae veritatis mentitores? Si mysticus seu allegoricus sensus satis ei fuisset in hac narratione, frustra laborasset, contra Apellem vindicans sensum historicum.

Praeterea notatu quoque dignum est, Origenem in ordine homiliarum ad populum, hunc merito sectatum fuisse praecipue allegoriae morem, parum de littera sollicitum. In hac enim methodo, quacum agitur non tantum in haereticos et infideles, quantum ad fidelium animorum aedificationem, nec primus habitus est, nec ultimus in hujusmodi mystici sermonis collatione. Ab Apostolo namque usque adhuc, verbi divini praecones ad hanc Scripturae interpretationem, auditorum mentis informandae causa se se plurimum receperunt; quin tamen litterae intelligentiam respuerent: « Non enim (inquit ipse Homilia VII. *in Leviticum* n. 1.) non enim nunc exponendi Scripturas, sed aedificandi ecclesias ministerium gerimus; quamvis et ex his, quae a nobis antea tractata sunt, prudens quisque auditor evidentes ad intelligendum possit semitas invenire. »

Porro haec omnia perbelle explicantur et instaurantur ab iis, quae ipse tradit deinde Homilia X. n. 1. in eumdem Librum; ubi in divinis Scripturis litterae sensum, ejusdemque mysterium apprime discutit, firmatque prope Catholicae Ecclesiae mentem: « Nos quidem, ait, qui de Ecclesia sumus, merito Moysen recipimus, et scripta ejus legimus, sentientes de eo, quod propheta, et Deo sibi revelante, in symbolis et figuris ac formis allegoricis conscripserit futura mysteria, quae in tempore suo docemus impleta. Qui vero hujusmodi in eo non recipit sensum, sive judaeorum quis, sive etiam nostrorum sit; is ne prophetam quidem eum fuisse docere potest. Quomodo enim prophetam probabit, cujus litteras asserat esse communes, futuri nullius conscias, nec occulti aliquid mysterii continentes? Hunc itaque, qui ita sentit, legentem haec, arguit sermo divinus (ex Actis Apost. c. VIII.) et dicit : *putasne intelligis quae legis?* Est ergo Lex et omnia, quae in Lege sunt, secundum Apostoli sententiam

usque ad tempus correctionis imposita etc. » Quae postea roborat per similitudinem statuae, quae prius ex luto sit donec ex aere confletur, et hac fusa, figmentum illius luteum ultra non quaeritur. Ita factum est, inquit, de iis, quae in Lege mosaica et in prophetis gesta sunt, donec venit ipse artifex et auctor omnium, et Legem, quae umbram habebat futurorum bonorum, transtulit ad ipsam rerum imaginem. Et huc maxime reducuntur, quae universim tradit Origenes de sacrorum Librorum sensu. Nihilominus cum plures e priscis uti ex recentioribus Scriptoribus, illius immodicum allegoriae usum exprobrent, ipsum aliquando asserentes, sensum litteralem pessumdedisse, operae pretium puto, quasdam eorum exprobrationes expendere.

Carolus Delarue in Praefatione Tomi II. Synopsim compegit methodi Origenianae ad Scripturarum interpretationem, ubi praecipue in eumdem invehitur, quod ipse, repudiato litterali sensu, ad allegoriam magno studio transferatur; et inter cetera ipsum reprehendit, quod ideo Homilia XI. n. 2. *in Exodum*, et Homilia VII. n. 5. *in Leviticum* juxta hanc methodum docuit: « Nec minus aperte, inquit Delarue, quam ibi ea de re mentem declarat his verbis: *si quis est, qui legens Moysem murmuret adversus eum, et displiceat ei Lex, quae secundum litteram scripta est, quod in multis non videtur servare consequentiam, ostendit eis Moyses petram, quae est Christus, et adducit eum ad ipsam, ut inde bibat et reficiat sitim suam*. Verum ecce ex Homilia VII. *in Leviticum* alterum locum longe majoris audaciae. *Si assideamus*, inquit, *litterae, et secundum hoc vel quod judaeis, vel id quod vulgo videtur, accipiamus quae in Lege scripta sunt, erubesco dicere et confiteri quia tales leges dederit Deus. Videbuntur enim magis elegantes et rationabiles hominum leges, verbi gratia vel romanorum, vel atheniensium, vel lacedoemoniorum.* »

Quoad primum testimonium notandum est, Christianos alloqui Origenem, verbis Apostoli instantem in Epistola ad Hebraeos c. VII. ubi ait de Lege Moysi: *reprobatio quidem fit praecedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem: nihil enim ad perfectum adducit Lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum;* quippe *finis*

Legis Christus; et: *ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.* Praeterea non ex se ibi loquitur Adamantius, sed ex infidelium ore et maxime judaeorum non credentium Christo, qui est Petra et complementum Legis; et ideo eos hortatur ut ex ea Petra bibant et reficiant sitim suam, et inde viderint Legem servare consequentiam. Quicumque sane, ait, venerit ad Petram (Christum) quam Moyses ostendet ei, tunc sibi consequentem probaverit Legem. Diversimode in incredulitate manens, plura Legis mandata scrutatus, repererit inconsequentia, plura, inquam, in quibus praesignabatur Christus, cum nolit Moysem ducem ad Petram Christum sequi; ac de fontibus Salvatoris bibere aquas in vitam aeternam salientes. Relative ergo, neque absolute mosaica Lex dicitur inconsequens ab Origene. Pro infideli quidem talis est Lex inconsequens, quia imperfecta ob infidelitatem suam: pro fideli vero nequaquam hoc dici potest. Et ad hoc vertit Auctoris mens.

Eadem insuper ratione successiva ipsius explanantur verba in Homilia altera, ubi scribit, se erubescere dicens, tales dedisse Deum leges, dummodo in his tantum littera et non spiritus, accipienda sit; cum littera occidat, spiritus autem vivificet. Et in hac declaratione nil aliud sibi vult Adamantius, nisi Pauli ejusdem sequi interpretationem in his, quae ait ad Galatas c. V: *qui se circumcidit, totius Legis debitor est faciendae.* Et inde: *quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Et quid mirum si Legis mosaicae vanitatem sine Christo venturo, legibus romanorum, atheniensium, lacedaemoniorum postposuerit Origenes? Et fortasse id immerito dictum ab eo fuisse nonnemo dubitare poterit? Ideoque hoc ducti ratiocinio, e libris Origenis eruere possumus, cur plura Moysis praecepta irrationabilia vocarit absolute quoad figuram sine figurato; rationabilia vero relative ad Christum jure existimarit, quippe in ipsis imaginibus sincere designatum, et utpote Legis complementum.

De reliquis vero dictionibus, in quibus Origenes penitus abjicit litteram, non videtur pariter exprobrandus ex. g. ex Libro IV. *Periarchon* n. 17. « Sed et celebratissimum Sabbatum ei, qui accurate perpenderit haec verba: *sedebitis do-*

mi vestrae singuli; nemo vestrum exeat e loco suo die septima, videbitur non posse ad litteram observari, cum nullum animal per totam diem immotum sedere queat. » Si namque legalis textus litteraliter adamussim sumendus sit, tunc ipse Christus juste a pharisaeis reprehensus fuisset, quod (ex Luca c. XIII.) die Sabbati curasset infirmam a daemone alligatam ab annis octodecim. Seu melius dicendum esset recte egisse quemdam Charaitam, qui in foveam lapsus die Sabbati, litteraliter statutum mosaicum interpretatus: *nemo vestrum exeat e loco suo die septima,* nec per se, neque per alios per totam illam diem surgere, nec inde exire voluit. Item in Evangelii verbis: *neminem per viam salutaveritis: si oculus tuus scandalizet te, erue eum et projice abs te,* et aliae hujus generis dicendi formulae; quas nullus interpres, puto, stricto, sensu sumere, aut ad litterae apicem servaverit unquam. Verumtamen in sequentibus haec magis patefient.

Demum in hujus Capitis termino pro his, quae dicta sunt, et infra dicentur de Origenis studio inanitatis litteralis sensus praesertim in Lege mosaica, ostendendae, ea repetenda sunt ab ipsius conditione tum adversus judaeos pugnantis pro illius Legis abolitione ut Christo crederent, tum ex ipsius zelo pro conversione gentium. Ad quam obtinendam sedulo laboravit, ut in Lege mosaica reperiret, quae de gentibus praedicta erant circa futurum Christi regnum et Legis finem: « Oportet ergo, ait, mori ipsius Legem litterae, ut ita demum libera jam anima Spiritui nubat, et novi Testamenti matrimonium sortiatur. Hoc autem, in quo nunc sumus, tempus est vocationis gentium et mortis Legis; quo possint liberae animae jam solutae a lege viri, novo viro nubere Christo. Quod si edoceri vis quomodo Lex mortua sit, considera, et vide ubi nunc sacrificia, ubi nunc altare, ubi Templum, ubi purificationes, ubi solemnitas Paschae; nonne mortua est in his omnibus Lex?» Et ita docet Homilia VI. n. 3. in *Genesim.*

CAPUT XXVI.

Sequitur discussio et quaeritur num jure s. Eustathius antiochenus ac post eum ceteri Origenem reprehenderint ob allegoriae abusum in divinis Scripturis exponendis.

Post haec valde perscrutari in hac quaestione interest s. Eustathii antiocheni Dissertationem *De Engastrimytho* sive *Ventriloqua* ex Libro I. Regum c. XXVIII. In qua, cum et ipse ob hujusmodi allegorias supra modum vellicet Origenem, maxime ob expositionem de Samuelis apparitione, haud displiceat lectori, quaedam percurrere non satis accurate expensa ab eodem Eustathio. Ac primo audiatur quod iste scribit circa Tractatus ejusdem Origenis in Job: « Porro in suis de Job, qui multa passus est, Homiliis, non admiratur tollerantiam, non commendat virtutem, non probat fidem, non fortitudinis animi exempla describit, non tyrones milites magnitudine animi, vigoreque prudentiae ad virtutem hortatur; non armat certatores, ut fortiter pro pietate pugnent. Sed haec omnia praetergressus, sublimi dicendi modo filiarum nominibus exponendis, aniliter multa consumpsit. Verum quae de diei nomine et cassiae sive cornucopiae nugatus est, hic commemorare difficile est: multiplici namque scatent futilitate. »

Sint porro nec ne aequae hujusmodi exprobrationes, adversus Origenem jactae ab Eustathio, vix decerni posset, cum jam Commentarii Auctoris in hunc Librum deperierint: ac non nisi quaedam excerpta maneant graeca in Bibliotheca Gallandiana. Nihilominus si ex his arguendum sit reliquiis, et ex citationibus huc illuc in Origenis libris saepissime sparsis, falsum omnino reputandum est atque incongruum Eustathii judicium. Et primum quidem nobis adstat, et contra ipsum Eustathium s. Hilarii pictaviensis studium in hoc latine ex graecis genuinis codicibus transferendo Opere; quin et ipse de Origenis sensibus minus aptis, aut sermone futili concinnatis indicet. Hilarium dico, cujus libros ait Hieronymus, quis securo decurrat pede. Et quamvis hodie Hilarii

versio desideretur, tamen fragmentum hujus versionis apud Augustinum in Libro II. contra Julianum, servatum, ad rem facit et quoad sensum Scripturae Job litteralem ab Origene acceptum et probatum; et quoad ejusdem sensus rectitudinem secundum Auctoris divini conceptum.

Ita namque ex Job verbis: *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* sive: *aut quomodo se emundabit natus ex muliere?* arguit Adamantius: « Tanta enim et tam admirabilis in nos misericordiae Dei bonitas est, ut per quem in Adae offensa generositatem primae et beatae illius creationis amisimus, per eum rursus id, quod amisimus, obtinere mereamur. Tunc enim diabolus invidens nocuit: nunc autem, cum nocere nititur, vincitur. Movet enim per infirmitatem carnis nostrae omnia potestatis suae tela, cum ad lasciviam incendit, cum ad ebrietatem illicit, cum ad odia stimulat, cum ad avaritiam provocat, cum ad caedes instruit, cum ad maledicta exacerbat. Sed cum per firmitatem animi, horum omnium subrepentia incentiva reprimuntur, emundamur a peccato per hujus victoriae gloriam. Dictum enim ita est: *aut quomodo se emundabit natus ex muliere?* Quia non extante hoste, non erit bellum; cessante deinde bello, victoria deerit. Collidentium autem adversus nos vitiorum victoria non adepta, non erit emundatio ulla vitiorum, quia his insidiis corporis nostri pirata victo, colluctantium adversum nos passionum concertatione purgamur. Memores igitur et conscii, illa ipsa corpora nostra vitiorum omnium esse materiam, per quam polluti et sordidi, nihil nobis mundum, nihil innocens obtinemus; gaudeamus nobis esse hostem, in cujus concertatione quodam concertationis nostrae bello dimicemus. »

Videas interim et ex postremis verbis praesertim, num revera Origenes sit in hoc Commentario praetergressus hortationes (uti velit Eustathius) ad virtutem et ad dimicandum contra hostes animae nostrae. Item falsa probatur assertio ejusdem dicentis: *non armat* (Origenes) *certatores ut fortiter pro pietate pugnent.* Contra hoc enim facit quod legitur in *Selectis* c. I. de filiis Job interemptis in convivio: « Si offendisset eos (Satan) legentes, domum non attigisset,

et ad interficiendum locus defuisset. Si precantes invenisset, nihil contra illos efficere potuisset. Sed cum opportunitatem nactus fuisset, praevaluit. Qualis autem occasio et opportunitas fuit? Potus erat; convivium erat. »

Similiter reprehendit Origenem Eustathius quod in hoc Commentario *haud fortitudinis animi exempla describeret*. Attamen in eisdem *Selectis* ex c. XIX. legitur: « Perfectus autem athleta, fractus licet et fatigatus, verba asperiora patienter fert. Contumeliam vero tollerare magni est viri; unde et Apostolus egregia sua facinora commemorans, inquit, conviciis affecti, benedicimus, infamati precamur. Ac paulo post deinceps dicit, propter illud: *usquequo laboriosam facietis animam meam?* Videas, Job est: cujus etiam Liber nihil aliud praecipue continet, quam robur et tollerantiam illius. »

Haec omnia decerpta ex *Selectis in Job* (quae genuina Origenis probantur scripta) indicant eumdem, quoties id postularet argumentum, nec dicta neque facta ipsius Job in allegoriam vertisse, sed litteram plane esse secutum. Verumtamen ceteros quoque ejusdem libros percurramus; ubi haec eadem statuit tum de persona ipsius historica, tum de ejusdem gestis, ubi sua elucent probitas, tollerantia, pietas etc. ab Origene discussa juxta propositi rationem. Ex. g. Homilia IV. *in Ezechielem* censens Patriarchas veteres, meminit Job, qui temporibus Moysi vixisse perhibetur: « Hoc enim tempus, ait, invenimus vitae Job. » Pariter Homilia XIV. *in Lucam* de parvulorum baptismo, qui baptizantur in remissionem peccatorum: « Quorum, inquit, peccatorum? vel quo tempore peccaverunt? Aut quomodo potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum sensum, de quo paulo ante diximus: *nullus mundus a sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram?* »

Item in Libro *De Oratione* n. 30. Job justitiam ac simul ipsius patientiam extollens, inquit: « Job liberavit Deus, non quod Satan licentiam non acceperit in eum has aut illas tentationes injiciendi (accepit enim) sed quod in omnibus, quae illi adversa contigerunt, nihil peccaverit coram Deo, sed justus apparuerit. Qui enim dixerat: *num gratis Job colet Dominum?* . . . . . Pudore opertus est (Satan) ut qui tunc quo-

que falsa in Job dixisset: ille enim tot tantaque passus, non, ut ajebat adversarius, in faciem benedixit Deo, sed etiam traditus tentatori, Deum benedicere perseveravit, increpavitque uxorem dicentem: *dicito aliquod verbum in Dominum et morere.* ... Quamquam enim atrocissima quaeque perpessus, perseveravit nihil adversus Deum peccare labiis suis. Porro Job duobus certaminibus functus et utroque victor, tertium etc. » Et haec omnia, uti cuivis patet, juxta litterae sensum tradit, nullisque involuta metaphoris. Similiter adversus Celsum Scripturam Job citat, ejusque verbis significationem concinnat litteralem.

Praeterea Homilia VIII. n. 10. *in Genesim,* centuplum ostendens Origenes Deum spondere ei, qui aliquid pro Deo amiserit, ex Job historia sumit exemplum: « Et ille enim propter Deum perdidit omnia, cum dives esset. Sed quia pertulit bene agones patientiae, et in omnibus quae passus est, magnanimus fuit, et dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit: ut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*: vide ad ultimum quid de eo scribitur: *recepit, inquit, omnia dupla, quae amiserat.* Vide, quid est amittere aliquid pro Deo, hoc est multiplicata recipere tibi etc. » Et sic de ceteris, quae sparsim leguntur in commentariis, aliisque tractatibus, Job testimoniis ab ipso Origene discussis juxta litterae sensum. Nec aliter sane fieri poterat, cum ad roboranda fidei dogmata contra adversarios, ejusdem libri citarit divina verba.

Nihilominus celare nolo, alias quoties tempus, scopus ac personae, quibus alloquebatur, exigebant, allegoricum investigasse sensum, praesertim in Homiliae genere ad fidelium pietatem aedificandam: quorum aures potius his locutionibus oblectabantur spiritalibus, veluti paulo ante dixi, quam ea audire jam ab iis accepta ac praeter omnem disputationem probata. Qualis distinctio necessario ob oculos habenda est in Origenis perlegendis libris. Ex. g. allegorica Ezechielis verba de Hierusalem exponens: *in qua die nata es, non est excisus umbilicus tuus*, nonnulla citat de suis Commentariis in Job; quae hujus generis sunt: « Scriptum est in Job de Dracone: *virtus ejus in umbilico, et virtus ejus*

super umbilicum ventris. Scio ex his, quae mihi gratia divina largita est, cum praesentem locum exponerem, me dixisse, quod draco sit fortitudo contraria. Iste enim est draco, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, decipiens orbem terrarum universum. Istius fortitudo in umbilico est. Nec dubium: nam principium malorum omnium in lumbo versatur; et ideo adhuc in lumbo patris constitutus, qui nasciturus erat, refertur, quia in lumbos semina humana collecta sunt. Fortitudo ergo contraria, ubicumque sunt semina, ibi insidiarum suarum vim conatur ostendere. Adversus masculos virtus ejus in lumbis est; adversus foeminas virtus ejus est in umbilico ventris. Et vide quomodo honeste viri mulierisque genitalia obtectis nominibus Scriptura nuncuparit, ne per ea vocabula, quae in promptu sunt, turpitudinem significaret. Si intellectum est exemplum, quod protulimus de Job, intellige mihi quia etc. »

Tandem abundantius nostro suffragantur proposito *Enarrationes Origenis in Job* in Bibliotheca Gallandiana graece et latine editae, ubi Auctor litterali aliquando junxit sensum spiritalem; et quandoque totam navavit operam in sensu litterae tantum disquirendo. Et si peculiare in his exemplum cupias, considera quae scribit in v. 13. c. II. a *Job* amicis dicta: *sederunt apud ipsum septem dies et septem noctes*. In quibus verbis, etsi Origenes quibusdam difficultatibus pressus in litterae expositione, nec tamen putavit ibi quaerere solutionem per allegoriam: sed studiose sapienterque inquisivit firmavitque sensum litteralem. Ait enim:

« Non dixit vero Scriptura, quod assederint septem dies, a mane usque ad vesperam, neque septem noctes a vespera ad mane. Liquet ergo, quod cum maximam diei partem assedissent, recedebant necessariis usibus explendis: ac iterum revertentes usque ad multam noctem assidebant; et iterum abeuntes, rursus mane veniebant ad eum. Quod sane verissimorum, et affectuosissimorum amicorum proprium est. Communi autem consuetudine utens Scriptura, ita absolute locuta est: *sederunt apud ipsum septem dies et septem noctes*. Quoniam autem cum dicit, Jacobum quatuordecim annos servisse et exustum fuisse aestu diei, et gelu noctis: nun-

quid tectum nunquam subibat? nunquid nullam habuit requiem toto illo tempore? De his subtiliter pertractare, nugatorium esset. Ut enim ajebam, Scriptura communi consuetudine utitur. Quoniam vero quidam suggillantes Scripturam, vel hinc ipsam ceu mendacem traducunt: quomodo enim, dicunt, sine cibo perseverarunt et insomnes per tot dies? coacti sumus eorum nos accommodare importunae subtilitati. »

Hinc ergo notum est Origenis judicium circa interpretationem Scripturarum. Quando enim agebatur adversus haereticos, Bibliorum litteralem sensum pervertentes in Spiritus Sancti, qui ea dictavit, injuriam, totus in eo est, praesertim in historia, ut litteram probet, ipsius sensum diligenter investiget, et exponat congruenter menti divini Scriptoris adversus obtrectantium linguam. Diversimode vero, ut dixi, duplicem sensum nectit et potissimum in virorum sanctorum gestis enarrandis in populi fidelis aedificationem: uti ex. g. in fine hujus historiae c. XLII. ex verbis: *dedit vero Dominus duplicia*: « Generosus athleta, ait, quique omnem tentationem sustinuit, fortissimus Job, praemia consequitur patientiae suae, ut Scriptura dicit: *omnia duplicia prae prioribus*. At Dominus Jesus Christus praemia dat non in duplum sed in centuplum etc. »

Praeterea s. Eustathius non tantum ex Job commentariis reperit quid exprobraret Origeni de hujusmodi interpretandi genere; sed et ex historia Geneseos eumdem inclamat, quasi allegoriis omnia invertisse. Adversus ista praeter ea superius digesta, modo mihi satis sit repetere, quae ex Homilia I. *in Genesim*, licet obiter, notat de mundi et rerum, quae in eo sunt, natura et initio.

« Videamus, inquit n. 3. ex consequentibus, qui sunt fructus, quos producere Deus jubet terra: *producat terra herbam.... et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen est in ipso* etc. Secundum litteram manifesti sunt fructus, quos terra non arida producit. Sed iterum referamus ad nos etc. » Et quis hinc non animadvertat, antea Origenem in ea verba ordinasse sensum litteralem, et ab hoc deinde transisse ad spiritalem, idest a terra se se elevans ad coelestia? Sed patentius in n. 4.: *et produxit terra . . . lignum*

fructiferum faciens fructum secundum genus super terram: « Non solum, ait Interpres, jubet terrae proferre herbam foeni, sed et semen proferre, ut semper fructum possit afferre. Et non solum lignum fructiferum jubet, sed et faciens semen, cujus semen in ipso est, secundum genus, idest, ut semper ex his seminibus, quae in se habet, fructum possit afferre. Et nos ergo debemus et fructificare fructum et semina habere in nobis ipsis, idest omnium bonorum operum, omniumque virtutum semina in corde nostro continere etc. »

Et quid praeclarius ab hac expositione eruitur ad statuendum sensum litteralem ac una spiritalem, sicuti unius ab altero differentiam? Et quomodo, excluso litterali sensu, staret similitudo inter naturales terrae fructus et inter spiritus nostri fructus, qui unicuique pro parte sua excolendi erant? Quando enim ait Origenes, sicuti terra profert herbam et lignum fructiferum, ita et nos virtutum semina excolere debemus in nobis ipsis: necessario tum unius tum alterius partis probanda essentia est. Idest, sicuti revera terra lignum fructiferum profert, ita et homines virtutum fructum. Aliter frustranea haberetur similitudo; nihilque concluderet assimilationis argumentum, si fabulosum esset mandatum Dei: *producat terra lignum fructiferum juxta genus suum*.

Item paulo post scribit n. 6. de coeli luminaribus, Christi typis Ecclesiam suam illuminantis. Sicuti luminaria coeli posita sunt in signa ut luceant de firmamento iis, qui sunt super terram, ita Christus illuminans Ecclesiam suam, dat per mandata sua etc. Si enim commentitia esset et fabulosa luminarium creatio, ita dicendum esset de Christo Ecclesiam illuminante. Nec aliter putandum esset de sequentibus: *et dominamini piscium maris et volatilium coeli etc.* ubi ait Origenes n. 16: « Jam haec interpretata sunt secundum litteram, cum diceremus, quod dicit Deus: *faciamus hominem* etc. Secundum allegoriam tamen in piscibus et volatilibus ea mihi videntur indicari de animae sensu et cordis cogitatione etc. » Et ita undique per totam Homiliam se gerit Adamantius.

Similiter quoad litterae sensum ab Origene seorsim ab allegorico aut morali discussum, admodum proposito facit contra adversarios suos expositio ab ipso studiose exacta in

Exodi testimonium c. X. v. 27. *induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos.* Hujusmodi sacrae locutionis Auctor haud ignarus difficultatis ob ea, quae liberum humanitatis arbitrium spectant, Deique justitiam erga homines in retributione operum suorum, poterat quidem hanc effugiens, se se ad allegoriam recipere, ac aliter quaestionem solvere. Nihilominus, quamvis longam super ea verba aggressus sit expositionem, nunquam a sensu litterali et historico discutiendo recessit, quemcumque alium sensum evitans. Hoc autem factum est, veluti praemisi, ex varietate scopi sive argumenti, quod ibi intuitus est non tantum ad aedificandum credentium animos, quanto magis ad refellendos haereticos, dubiosque in fide firmandos, quos ab initio discussionis memorat. Inquit enim: « Verba illa toties in Exodo repetita: *induravit Dominus cor Pharaonis*, lectores fere omnes turbant, tum qui Scripturae non credunt, tum qui se credere profitentur: non credentibus enim, id quoque cum aliis multis, non credendi causa esse videtur, quia de Deo, indigna Deo dicuntur. Indignum autem Deo est, duritiem efficere in corde cujusquam etc. »

Verum quod amplius nostrum urget propositum, in fine legitur Dissertationis, ubi s. Episcopus quaedam citat Origenis dicta ex eodem Commentario super Genesis verba: *et plantavit Deus paradisum in Edem ad Orientem etc.* Quae verba ex Eustathii ipsius testimonio sic explanantur ab Origene: « *Ὅταν ἀναγινώσκοντες ἀναβαίνωμεν ἀπὸ τῶν μύθων, καὶ τῆς κατὰ τὸ γράμμα ἐκδοχῆς, ζητῶμεν τίνα τὰ ξύλα ἐστὶν ἐκεῖνα, ἃ ὁ Θεὸς γεωργεῖ· λέγομεν ὅτι οὐκ ἔνι αἰσθητὰ ξύλα ἐν τῷ τόπῳ* i. e. Quando legentes ascendimus a fabulis, et a litterali interpretatione, quaerimus quaenam ligna sint illa, quae Deus colit: dicimus quoniam non sunt in eo loco ligna sensibilia. » Huic interpretationi subdit Eustathius: « Haec allegorice exponens, non horret fabulas appellare, quae Deum condidisse narrat historia, fidissimusque ejus servus scriptis consignavit. » Et haec putavit in Origene reprehendere s. Episcopus. Similiter recentiores inter paradoxa Origenis remittunt, quae ipse ait Homilia X. in *Genesim* n. 2. de historia Rebeccae: « Haec fabulas putatis esse; et histo-

rias narrare in Scripturis Spiritum Sanctum. » Quibus et ego addam, alibi hoc *fabulae* nomen de historia mosaica locutum praeferre Origenem.

Priusquam vero hujusmodi hinc exortas dilutum ineamus praefatorum oppositiones adversus Auctoris doctrinam, vocabulorum antea (quod est cuique interpreti necessarium) quae scriptoris conceptum repraesentant, significatum refert investigare et sic transire ad quaestionem. Diversimode fieri potest, ut illusoria et frustranea putetur disceptatio. In casu nostro disquisitio cadit praecipue super *fabulae* nomen, unde oppositores offensi sunt de Origene, quod istud inscripserit narrationibus scripturalibus, quin hujus vocis sensum exacte comprehenderent. Ideoque si ipsi hoc neglexerint studium, nobis haudquaquam praetereundum est.

Μῦθος itaque, unde latine fabula ex primaeva et originali significatione *verbum* sive *dictum* sibi vult, *tale quod narratur*. Ideoque Plato frequenter loco μῦθος dicit λόγος et vicissim; non quidem ut denotet quid falsum aut improbabile, sed ut rem vulgatam, notam et tritam; et hinc apud latinos *fabula esse*, *fabula fieri*, de qua omnes loquuntur. Secundo vero loco dicitur de falsa narratione; et sub hac nuncupatione poetarum scripta vulgo comprehenduntur. Unde dictio vulgatissima *mythologia* fabulosa narratio, quae falsa commentitia universim venit, et ita accepta est. Christianus Stockius in Clavi Linguae sanctae novi Testamenti, de hoc vocabulo inquit: « Μῦθος generatim notat *verbum* sive incomplexum, sive complexum. Hinc speciatim proprie notat *verbum incomplexum*, ut vel ex Homero videre licet. Tropice per *metonymiam* notat *sermonem* vel *orationem*, quae verbis constat et absolvitur. Per *synecdochem* notat figmentum, vel fabulam, quae est arte composita etc. »

His praemissis de hujus vocabuli usu et sensu, et ad Origenem reversi, qui frequenter ea voce usus est speciatim ad Geneseos historiae et Legum mosaicarum commentarios, in prima significatione comprehendisse reperimus, aut saltem μύθῳ *fabulae* voci sensum indidisse videtur eumdem, quem Apostolus peculiariter in Epistola I. c. I. ad Timotheum praestitit: eoque magis quod Auctor noster pro suo

scopo in praefatis Homiliis aut commentariis ubi hoc incidit vocabulum, recta incedit ad apostolica dicta; quae sunt hujusmodi: *Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denunciares quibusdam ne aliter docerent; neque intenderent* μύθοις *fabulis et genealogiis interminatis, quae quaestiones praestant magis quam aedificationem Dei, quae est in fide. Finis autem praecepti charitas est de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona est Lex, siquis ea legitime utatur.*

Nostrum porro studium modo sit ostendendi, Origenem in cunctis, super quas varios elaboravit allegoriae sensus, Moysi enarrationibus et quibus istud applicuit *fabulae* nomen, ad citatum se contulisse Apostoli testimonium; ut inde deduceret, quanto jure, despecta littera in studio historiae et legum mosaicarum, nobis esse confugiendum ad ejusdem litterae vivificantem spiritum. Et ideo in hoc vocis *fabulae* usu genuinam et propriam consideravit nominis originalem intelligentiam: nec ullimode advertit animum ad falsa et futilia gentilium poetarum figmenta, nullam veri speciem praeferentia, ac in suo principio et fine cum suis auctoribus universim reprobata.

Revera, cum Apostolus dicit Timotheo, mandamus ut nonnullis denuncies, ne aliter doceant, nec animum intendant fabulis et genealogiis interminatis: *quae quaestiones magis praestant, quam aedificationem Dei, quae est in fide*, non tam odibilem aut contemptibilem *fabulae* significationem repraesentavit; sed potius relative hoc ait, cum tales fabulae et genealogiae magis satisfacerent quaestionibus vanis quam divinae oeconomiae sive aedificationi. Ac ideo paulo post illis vocabulis aliud substituitur *vaniloquii*, quippe nihil proficerent fidei, quae est in Christo, ac fini inutiles forent tales quaestiones: ex quo venerat Christus finis Legis.

Et aptissime quidem: Pauli enim scopus in eo testimonio quosdam respicit christianos, eosque probabiliter de circumcisione, qui ad Christum venerant. Quique adhuc magis lit-

rias narrare in Scripturis Sp*ai* ejusdem attendebant contra addam, alibi hoc *fabulae* *a*postoli institutionem. S. Joannes praeferre Origenem. *ll.* in hoc Caput: « Verisimile est au-

Priusquam v *lo*quentes, multa de purgationibus, de-mus praefato *cor*poreis dixisse. Deinde illa Paulus redargue-vocabulor nihil essent nisi umbra et signacula spiri-quae scr *gratius* erat, id aggreditur. » Pseudo-apostoli, inver *s. Joannes* et Theodoretus, de quibus hic Paulus, po *fideles* erant proprie, neque infideles, Deo quippe cre-*debant*; *et* christianam Religionem profitebantur; at simul *ritualium legalium* necessitatem docentes, et christianae Reli-*gionis simplicitatem* supervacaneis quaestionibus et genealogiis *infinitis* miscentes, Evangelium quodammodo ejurabant etc.

Quapropter eadem analogia eademque significatione, quam Apostolus indidit vocabulo *μύθος fabula,* usus est et Origenes, cum aperte in suis sermonibus ad hoc ipse se contulit testimonium. Quinimmo asserere auderem, Auctorem Pauli mentem explanasse revocando super homines, quos alloquebatur, quae Apostolus tunc exprobrabat nonnullis credentium circa historiam Patriarcharum, legalium observantiam, et synagogae magistrorum traditiones de rebus hujusmodi haud penitus contemnendas, etsi tunc minoris aut nullius utilitatis. Quae tamen ab utroque et Apostolo et Origene rite reprobantur cum suis auctoribus, tanquam litterae occidentis expositiones; nec altius illarum scopus erigebatur, ad symbolum, sive ad Christum in Patriarchis et in Lege praesignatum.

Ac interim ad haec probanda maxime confert primum quod ait Origenes Homilia X. *in Genesim* de Rebecca n. 1. 2. unde adversarii offensi sunt. Ab ejus enim initio valde conqueritur Auctor quod pauci christiani ecclesiae adessent verbum Dei audituri. Verumtamen, subdit, non solum de absentibus se conqueri, sed et de praesentibus: « Praesentes etiam et in ecclesia positi non estis intenti, sed communes ex usu fabulas teritis, verbo Dei, vel lectionibus divinis terga convertitis. » Deinde hortatus fideles, ut frequentius pro oratione et verbo Dei instantes, ad ecclesiam conveniant, similitudinem Rebeccae proponit, venientis cum filiabus civitatis hau-

ˈire aquas de puteo: « Rebecca, inquit n. 2. quotidie veniet ad aquam. Et quia quotidie vacabat ad puteos, idcirco iniri potuit a puero Abraham, et in matrimonium sociari ·. Haec fabulas putatis esse; et historias narrare in Scri-.s Spiritum Sanctum? Animarum est ista eruditio et spiıtalis doctrina: quae te instituit et docet quotidie venire ad puteos aquarum etc. »

Et ubi paradoxum in hoc sermone? cum e gestis Rebeccae idest ex ipsius pietate, sedulitate, patientia, humilitate exemplum retrectavit Origenes in eruditionem animarum et pietatis profectum? Ideoque ajebat, quae de Rebecca Scriptura narrat, non ut simplices narrationes accipienda sunt, in quibus nulla spiritus eruditio, nec pietatis incrementum. Et in his dictis se se refert Origenes ad ea, quae praemiserat n. 1. eos redarguens christianos, qui ad ecclesiam conveniebant causa communes ex usu terendi fabulas, tergaque vertendi a verbo Dei, vel a divinis lectionibus; disputantes scilicet de historia Rebeccae, et de iis, quae ab hebraeorum traditione didicerant circa eamdem historiam, easque fabulas; quas dicit Apostolus haud pietatem aedificare, sed vanas provocare quaestiones extra spiritum litterae.

Deinceps sub eadem relatione et quidem manifestiori, quam quae antea discussimus de Rebecca circa *fabulae* usum, venit, quod Homilia V. in eumdem Librum n. 3. ait Origenes de incestu Loth, ita discussionem aggressus: « Post haec jam refertur illa *famosissima fabula*, in qua scribitur filias ejus arte furatas concubitum patris. In quo nescio siquis potest excusare ita Loth, ut eum immunem faciat a peccato. Neque rursus ita eum accusandum puto, ut tam gravis incesti fieri debeat reus. » Apertissime itaque Origenes hujus facinoris historiam vocat *fabulam*. Attamen rogo: reapse talem narrationem reputavit *fabulam*, idest figmentum eorum instar, quae poetae gentiles adornarunt de diis suis? Aut mythologiae profanae portionem existimavit Genesis historiam de Loth, aut quemdam imaginationis foetum, et extra rei veritatem? An potius hujusmodi facinus ejusque circumstantias locum habuisse putavit; et Loth realiter ebrium cum filiabus suis concubuisse, easque concepisse ac peperisse etc.? Ac ideo,

quod tenemus, sub ea, quam ibi *μύθον fabulam* vocat *famosissimam* Adamantius, secundum propriam et primaevam significationem comprehenderit alicujus facti, nempe non commentitii, sed realis narrationem? Et hoc est, quod studiose nobis propugnandum est.

Si hominis commentum et imaginationis opus, veluti fabulantur poetae de ortu Minervae et Veneris et de similibus, fecisset Origenes historiam Loth; tunc nec tantopere elaborasset ad ejusdem a crimine excusationem, sicuti filiarum suarum et uxoris suae. Eoque magis quod post longam de his discussionem et quidem arduam, concludit: « Prosecuti sumus, ut potuimus, vel de culpis Loth ac filiarum ejus, vel rursus de excusationibus earum. Verum scio nonnullos, quantum ad allegoriam pertinet, Loth traxisse ad Domini personam, et filias ejus ad duo testamenta etc. » Et ita pergit Auctor ex more varias allegoriae formas redigens, postquam gesta, uti se litteraliter habebant, elucubravit. Si enim nihil reperisset in ea historia proprie et veraciter expletum secundum Scripturae testimonium, cur a discussione facti transit ad allegoricam interpretationem et hinc ad sensum moralem? Luculentius ergo patet *fabulae* nomen ibi inscriptum ab Origene methodo suae consequenter, ad litteralem Scripturae sensum spectare, seu ad simplicem historiae enarrationem et quidem verae nec commentitiae: qua posita et congrue discussa, transit ad symbolicas expositiones.

Verum non hic immorandum. Aliunde propositum nostrum ex Libro IV. n. 45. contra Celsum, ampliorem expectat illustrationem et confirmationem. Ibi namque praeclarissime dignoscitur, quali sensu comprehenderit Auctor *fabulae* vocabulum, citatae Homiliae inscriptum circa ejusdem Loth historiam. Valde quidem sollicitus Adamantius de Celsi insimulationibus adversus divinam Scripturam, in hanc quoque incidit ejusdem Philosophi criminationem de gestis Loth: « Jam Celsus, inquit Auctor, cum illam auctorum divinae Scripturae sinceritatem, qua ne inhonesta quidem dissimulant, probare debuisset, et hinc induci, *καὶ περὶ τῶν λοιπῶν καὶ παραδοξωτέρων ὡς ὀυ πεπλασμένων* et ad cetera (credendum) prodigiosiora utpote *non conficta*, contrarium facit: et

quae de Loth ejusque filiabus refertur, neque κατὰ τὸ ῥητὸν juxta litteram nec anagogiam investigat, illud *Thiesteis facinoribus immanius esse* pronunciat etc. »

Interea inspice, quod alibi in citata Homilia, juxta adversariorum placitum, *fabulam* idest *falsitatem* dixisset Origenes in gestis Loth comprehensam, in hoc loco nimirum contra Celsum dicit, hujuscemodi historiam, etsi prodigiosa contineret, *non fuisse confictam*. Nec amplius ignores, nomini μύθου *fabulae*, quod illic usurpavit, hic substituisse vocabulum ῥητὸν *dictum*: utrumque tamen secundum primigeniam significationem apud graecos idem sonare; uti animadvertit praefatus Stockius.

De reliquo in hac discussione adversus Celsum, pro veritate Historiae mosaicae pugnans Adamantius, emollire quidem studet incesti culpam, quin tamen factum deneget: « Nihilominus quae magis in hac narratione videntur offendere, paucis emolliamus. Ipsi graeci quaesierunt quae bonorum et malorum et indifferentium natura sit: et qui eorum melius rem assecuti sint, bona et mala docuerunt sita esse in solo voluntatis proposito; id autem esse proprie indifferens, quod electum non est a voluntate, et quo prout voluntas utitur, bene aut male, laude et vituperio digna est. Jam vero ubi agunt etc. » Quid ergo intererat Origenis tam studiose quaerentis culpae levare gravitatem in Loth et filiabus suis, si commentum mere fabulosum considerasset hoc factum? Quod autem hic egit pro historiae genuitate statuenda, et hinc pro facti emollitione, similiter fecit in citata Homilia. Proindeque non est, ut ulterius de hoc argumento instemus. Ad cetera potius transeamus hunc *fabulae* usum in libris Origenis investigaturi, si forte sub eadem, quam admisimus interpretationem, veniat, ut nostrum magis clarescat propositum.

Homilia IX. in eumdem Geneseos Librum n. 3. hoc idem *fabulae* vocabulum refert, vulgaribus tamen applicans narrationibus, praeter Scripturarum historiam; ac ideo jure sapienterque adjiciens attributum *communis* pro originalis significationis iudicio. Apostolica namque dicta exponens: *exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes no-*

vum, qui secundum Deum creatus est, « idcirco, ait, ergo promissiones suas renovat Deus, ut ostendat tibi, quia debes et tu renovari . . . . Nam quid tibi prodest, si Deus innovat promissiones, et tu non innoveris? Si ille de coelo loquatur, et tu terra audias? Quid prodest tibi si Deus se juramento constringit; et tu haec quasi *communem fabulam* audiens, transeas? » Cum itaque, ait Origenes, verba divina, quae loquitur Christus, nolit quis audire, et sic haec audiens, fiat sicut qui fabulam communem audit; cum itaque, inquam, non dixerit simpliciter *fabulam* sed addiderit attributum *communem*, satis significavit, per se istud *fabulae* nomen haud continere vel indicare quidquam falsum vel profanum absolute, sed quodcumquevis dictum, vel sermonem indistincte a veritate et a falsitate, licet a scriptoribus per quamdam conventionem relative saepius sumptum fuerit de falsis priscorum narrationibus, praesertim cum additamento, unde venit mythologia.

Post haec, repetenda ac diluenda supersunt, quae antea s. Eustathius exprobravit Origeni, quod fabulas appellasset paradisi Eden historiam; de qua ajebat Interpres: « Quando legentes ascendimus a fabulis et a litterali interpretatione, quaerimus quaenam ligna sint illa, quae Deus colet: dicimus quoniam non sunt in eo loco ligna sensibilia. »

In primis patet, Moysi testimonium exponentem Origenem manifeste indicare, se allegoriam sive sensum spiritalem ibi quaerere: ac ideo dicit, se a duobus velle ascendere, idest a fabulis, et a sensu litterali; quae serio a nobis consideranda sunt, ex eorum relatione valde inter se dissita. Ac primum cum ait, se a litterali interpretatione velle ad altiora sive ad allegoriam ascendere, nullimode respuit litteram; sed ex more suo, ab uno ad alterum transit: veluti post secundum eamdem allegoriam in his: *et posuit illum in paradiso,* scribit: « Qui per divinum baptisma renascuntur, in paradiso ponuntur, hoc est in Ecclesia, ut operentur, quae intus sunt, spiritalia opera etc. » Et propterea praemisit *in eo loco* idest in hoc paradiso spiritali non esse nec reperiri ligna, quae sensu percipiuntur. Et in his nihil corripiendum esse puto.

Secundo, cum praemiserit Origenes, se non solum a littera sed etiam *a fabulis* ascendere velle ad spiritalem interpretationem, fere eodem sensu exponentur, quem indidit historiae Loth, sub hoc nomine comprehendens et mosaicam narrationem ac una hebraeorum traditiones de eodem paradisi situ seorsim vero a falsis commentis, Deo indignis ac humanae rationi incongruis. Et si in citato Origenis testimonio minus clare constet, quod praemisi, aliunde nihilominus facile deducitur, et potissimum e Libro IV. n. 39. adversus Celsum; ubi haec eadem discutit ac amplius appellat ad hos *in Genesim* commentarios; et ubi amplissime patet quod ait de *fabulis*, a quibus ascenderet, sensus spiritalis investigandi causa: et, quomodo ejusmodi narrationibus fabularum titulus inscriptus fuerit, dignoscitur.

Ibi enim confutans Celsum, qui historiae Geneseos dicteriis illudebat, scribit: « Quoniam Celsus etiam serpentem comica dicacitate ridens, ait illum *praeceptis homini a Deo datis adversatum fuisse*, idque fabulam esse existimat, *ad aniles nugas* ablegandam, et consulto praetermittit paradisum, quem in Eden ad Orientem Deus plantasse memoratur, lignum etiam, quod de humo produxit pulchrum visu ..... aliaque eodem modo narrata, quae candidum lectorem possunt inducere, ut credat haec omnia non indecore ad allegoriam referri: age haec conferamus cum iis, quae apud Platonem in Symposio de Cupidine dicta sunt, et assignata Socrati ut elegantissima omnium, quae ea de re alii in hoc Symposio dicunt. Sic est Platonis locus. Cum nata esset Venus, convivium concelebrarunt dii etc. »

In fine hujus narrationis sequitur Origenes inquiens: « In haec quicumque inciderint, si Celsi malitiam imitentur, quod a christianis absit, ii hujusmodi fabulam irridebunt, et Platonem magnum illum virum risu excipient..... Atque hanc Platonis fabulam attuli, propterea quod hortus Jovis, de quo ille, a paradiso Dei, Penia a serpente, Porus insidiis a Penia appetitus, ab homine insidiis serpentis circumvento, non multum abludere videntur. Non omnino autem compertum, an haec fortuito Platoni occurrerint, an id, quod existimant nonnulli, dum in Aegyptum peregrina-

retur, inciderit in quosdam mysteriorum judaicorum curiosos, et quaedam ab illis didicerit; ex quibus alia quidem retinuerit, alia vero figuris dissimulaverit...... Sed disserendi aut de Platonis fabula, aut de serpente, aut de paradiso Dei, omnibusve, quae in illo accidisse narrantur, temporis praesentis non est. Haec in commentariis *in Genesim* quam potui diligentissime explanavi. »

Uti patet, in his novissimis verbis Origenes appellat ad commentarios *in Genesim*, quorum summarie sensum citat; iique sunt, quos Eustathius legit. Quorum etsi ad nos hucusque nisi fragmenta pervenerint; attamen ab his adversus Celsum dictis abunde eruitur, duo nomina notata idest *allegoria* et *fabula*, quibus ait usum esse Origenem in interpretatione, haud probe comprehensa fuisse ab eodem Eustathio. Nam allegoriam quidem non indecore dicit Origenes assignari posse narrationi mosaicae de paradiso Eden, et de lignis in eodem plantatis; ut sic a littera ascendat ad sensum spiritalem juxta statutum apostolicum: *littera occidit, spiritus autem vivificat.*

Demum cum in pericope ab Eustathio citata ob brevitatem haud clare pateat Origenis sensus, summatim dicam. Aut Origenes vocabulo fabulae usus est quemadmodum superius explanavi in historia Loth, et tunc probe dixit se a fabula idest simplici narratione et a littera ascendere ad allegoriam; proindeque jure distinxisset fabulam ab anilibus nugis. Aut, uti velit s. Doctor, in sensu lato comprehenderis illud nomen, ut est probabilius, tunc quando dicit se a fabula ascendere velle etc. respicit vanam graecorum philosophiam, qui plura commenti sunt de mundi ortu, hominis creatione, ejusque primaeva conditione. Idcirco Celso respondens, super eum refert fabulae nomen historiae mosaicae inditum; proindeque scribit in loco citato: *atque hanc fabulam Platonis attuli; propterea quod hortus Jovis, de quo ille, a paradiso Dei non videtur abludere.* Et paulo post subdit se disserere nolle de *Platonis fabula*, quum de hac tractaverit in commentario Geneseos; qui sane ille est ab Eustathio citatus et reprobatus. Non Origenes igitur *fabulam* nuncupavit Moysis historiam de paradiso Eden; quasi fa-

bulosam considerasset divinam Scripturam. Verum hoc dicit ex gentilium nugis, quas sibi comparaverant de mundi initio et similibus, quas ipse respuit et confutavit, subdens ideo se a duobus velle ascendere a fabula gentilium, qui sacra miscuere profanis, et a littera, ut mentem nostram a paradiso terrestri ad coeleste transveheret habitaculum.

Nihilominus pergens s. Episcopus adversus Origenem n. 21 ob Abrahami historiam in allegorias versam ait: « Nonne item ab Abraham puteos effossos, aliaque sermonum copia in immensum protracta, omne de illis negotium disterminat in aliam sententiam translatum, licet ad haec usque tempora in regione illa oculis adhuc conspiciantur? Nonne Isaac et Rebeccae res gestas immutavit, inaures et armillas *sermones aureos* esse dicens; et universum denique argumentum per vim distortum ad ea, quae animo cernuntur, et ratione intelliguntur, traductum cavillationibus deturpavit? »

Jam praevenimus, Origenem nunquam sensum allegoricum separasse a litterali, et maxime de Libro Geneseos; cujus rei prototypum habueris primam in hunc Librum consulens Homiliam; ideoque minus item facit adversus Origenem Eustathii et qui cum eo foederati sunt, confutatio. In Homilia XIII, quam respicit s. Episcopus, sicuti in praecedentibus spiritalem quidem sensum scrutatur Origenes, mysteria litterae exponens fidelibus, eos inde e terra elevans, in eorum mentibus pietatem ac fidem aedificans. Planum sane hoc est. Num ideo insimulandus est exprobrandusque? Fortasse ita agens textum litteralem, sive historiae veritatem repudiat, abnuit Origenes? Numquid mentitur gestis Abraham, Isaaci, Jacobi aliorumque patriarcharum, uti enarrantur in divina Scriptura? Cum ex. g. in Homilia XII. n. 1. inquit contineri sacramenta in Patriarchis, in eorum actibus, in puteis, in nuptiis, in parturitionibus, in sterilitatibus, fortasse occultavit historiae veritatem? Aut litterae sensum refutavit in gestis sanctarum mulierum Sarae, Rebeccae, Rachelis, Annae Samuelis matris, sanctaeque Elisabeth, uti censentur in Scripturis? Nequaquam hoc putandum est. Unum antea admittit, sensum nimirum litteralem. Et cum Apostolum imitetur dicentem, duos filios habuisse Abraham, unum de ancilla

et alium de libera, *quae sunt per allegoriam dicta*, nec excludit litterae sensum. Verumtamen et istud voluit, studuitque contra amicos solius litterae, disquirere quae in littera abscondita erant mysteria.

Itaque in Homilia XI. n. 3: « se vero, inquit, non solum secundum litteram, sed aliquid et secundum spiritum attingere etc. » Ac paulo post Homilia XIII. n. 3. hujus consuetudinis rationem reddit, de puteis disserens, quos fodit Isaac. Scribit enim: « Sed unusquisque nostrum, qui verbum Dei ministrat, puteum fodit, et aquam vivam quaerit, ex qua reficiat auditores. Si ergo incipiam et ego veterum dicta discutere, et sensum in eis quaerere spiritalem; si conatus fuero velamen Legis amovere et ostendere allegorica esse quae scripta sunt, fodio quidem puteos; sed statim mihi movebunt calumnias amici litterae, et insidiabuntur mihi; inimicitias continuo et persecutiones parabunt, veritatem negantes stare posse, nisi super terram. »

Cum vero ita discutit Origenes; puteorum ne effossionis veritatem diruit? nequaquam. Et ob hoc meditare, quae ipse scribit deinde in Homilia XV. n. 1. de ascensu filiorum Jacob ab Aegypto: « Quae observationes, ait, ostendunt Scripturam divinam non, ut plurimis videtur, inerudito et agresti sermone compositam, sed secundum disciplinam divinae eruditionis aptatam, neque tantum historicis narrationibus, quantum rebus et sensibus mysticis servientem. » Haec porro non solum valent de puteis ab Abrahamo effossis, unde Eustathius Origenem corripit; sed et pro iis, quae adversum eumdem congerit convicia, quasi per vim deturpasset ac distorsisset Scripturae narrationem de Isaaco et Rebecca. Quare ita loquitur Origenes de puero Abrahae occurrente Rebeccae ex Homilia X. n. 4: in eamdem Geneseos Scripturam.

« Non dat inaures, non bracchialia Rebeccae (pater). Manet incomposita, inerudita, quia pater Rebeccae, vir dives non habebat bracchialia et inaures, quas imponeret filiae suae? Tanta ejus negligentia erat, aut avaritia, ut filiae ornamenta non daret? Sed Rebecca non vult de auro Bathuelis ornari. Non sunt ei condigna ornamenta hominis barbari et imperiti. De domo Abrahae requirit monilia, quia

patientia de domo sapientis ornatur. Non potuerunt ergo aures Rebeccae recipere decorem suum, nisi veniret puer Abrahae; et ipse eas ornaret. Nec manus ejus ornamenta suscipiunt, nisi quae miserit Isaac. Vult enim aurea in auribus habere. Sed haec prius accipere non potuit, nec mereri, nisi venisset ad puteos haurire aquas. Tu qui non vis venire ad aquas: qui non vis in auribus tuis aurea prophetarum verba suscipere; quomodo poteris ornatus esse in doctrina, ornatus in actibus, ornatus in moribus? »

Haec juxta propositum fidelium mentes instruendi exponit Origenes de inauribus et armillis, quas Rebeccae obtulit Abrahae famulus. Quas autem cavillationes ac violentas sensus Scripturae distorsiones egerit ita disserens, non video, nec ullus, arbitror, qui ecclestiasticorum Patrum Commentaria perlegerit, videre poterit. Legat s. Augustini, s. Gregorii Magni et ipsius s. Hieronymi, et inde successivae aetatis Doctorum interpretationes in sacrae Scripturae libros, et eamdem methodum in illis probabit. Transegit tunc Origenes sensum litteralem, quum operi non serviret; nequaquam vero historicam veritatem despexit. Viros christianos alloquebatur, quibus apertissima erant Patriarcharum gesta. Prae eorum manibus diu noctuque Libri divini versabantur; neque de his reperiebatur, qui historiam Geneseos aut nesciret, aut negaret, aut de ea dubitaret. Et ob hoc statim in numero sequenti 5. adjecit: « Sed ut omittamus plurima, neque enim commentandi nunc tempus est, sed aedificandi Ecclesiam Dei, et pigriores ac desides auditores exemplis sanctorum et mysticis explanationibus provocandi etc. »

In Homilia XVII. nn. 1. 2. *De benedictionibus Patriarcharum* item spondens se varimode eas explanaturum, inquit: « Quae res nobis tripartitam, ut in aliis fecimus, explanationis materiam subjicit, ita ut benedictiones historiae locum serveat, prophetia vero mysticum et dogmaticum, morum correptio et objurgatio moralem dirigat stylum. » Deinde a Ruben incestus historia exordiens subdit: « Incestus historia neminem latet, quomodo Ruben in concubinam patris efferbuerit flamma libidinis, et paternum maculaverit thorum. » Et sic successive excutit sensum mysticum ac demum mo-

ralem intelligentiam. Et fortasse in his erit aliquid reprehendendum? Quando enim praemittens se historiae sensum servare, priusquam ad allegoricum et moralem transeat, jure sapienterque exegeseos biblicae leges custodivit irreprehensibiliter in hac et in ceteris Homiliis. Ideoque cum haec obtestetur, quis contra eum veniens mendacii redarguerit? Eumque corripuerit uti sacrarum Scripturarum depravatorem?

Quanto vero jure adversus hanc dimicavimus s. Eustathii criminationem in Origenem latam, constiterit amplius quum ad ea contenderimus, quae Celsus christianis objiciebat de historia Patriarcharum ex Libro Genesis; quorum gesta ille Celsus refutans, ceu falsa contemnebat, ex Libro IV. n. 31. inquiens: *judaeos fuisse servos fugitivos, ex Aegypto egressos, nullis unquam rebus gestis insignes, nullo in loco, nullo in numero habitos.* Et paulo post n. 33 *Illi,* inquit, *aggressi suam usque a primis impostoribus et erronibus repetere originem, obscuras, ambiguas, tenebris obvolutas voces in testimonium adducunt, easque imperitis et rudibus interpretantur; quamvis de ejusmodi re multis ante seculis nulla fuerit controversia.*

Cum in ista infidelium convicia surgeret fidelis Origenes refellendi causa, ac una mendacium confutandi, et probe sciens non tunc sibi pios instruendos esse, nec reseranda in ecclesiis mysteria Historiae mosaicae, his praetermissis; sollicitus adversus hujus historiae obtrectatores, ejus veritatem propugnat fortiter, scribens n. 31: « At judaeos neque servos fugitivos, neque aegyptios fuisse, sed hebraeos, qui in Aegyptum concesserant, jam antea diximus. Si autem illos nullo in loco, nullo in numero habitos fuisse inde probari putat, quod eorum historiae non crebra admodum facta fuerit a scriptoribus graecis mentio; dicemus. Si enim quis constitutam eorum ab initio reipublicae formam, legumque dispositionem inspexerit, inveniet fuisse homines, qui in terra coelestem vitam repraesentarent, qui non alium, quam summum Deum cognoscerent, qui omnes imaginum artifices ablegarent. »

Deinde quoad secundam accusationis partem n. 33. subdebat Origenes: « Hic mihi obscure omnino suam aperuisse

mentem videtur. Opinor, data opera, latebras quaesivit, quia viderit quam validis argumentis judaeorum ab illis primis parentibus origo fulciatur. Nec tamen ignarus videri voluit (Celsus) eorum, quae de judaeis eorumque origine dicuntur, quaeque scitu digna sunt. Et sane manifestum est, judaeos ortos esse e tribus illis patribus Abraham, Isaac et Jacob : quorum nomina si conjunguntur Dei nomini, tantam vim habent etc. » Ideo in n. 34. concludit: « Cum igitur nemo vestrum nobis ostendere possit aut historiam graecorum sive barbarorum, aut si deest historia, saltem quamvis aliam arcanam conscriptionem, ubi res illorum virorum gestae consignatae fuerint: nos vobis Librum, cui titulus *Genesis*, exhibemus, res illorum gestas et oracula illis a Deo edita continentem etc. »

Quod autem stuporem valde incutit in Dissertatione s. Eustathii, legitur n. XXI. ubi exprobrat Origenis expositionem de Lazaro a Jesu ad vitam revocato. Sic enim scribit: « De Lazaro vero cum debuisset (Origenes) Christi ingens opus magnifacere, illoque palam demonstrare Deum esse, qui mortuum jam foetentem a monumento auctoritate evocaverat; et verbi emissione corpora tumefacta animaverat, his omnibus silentio evolutis, Lazarum amicum Domini, quem non abs re propter virtutem diligebat, in peccatis laborantem et mortuum transtulit: quae nemo de justo aut dixit, aut dicta scriptis mandavit. Neque enim tam valido amore Dominus prosecutus fuisset, nisi vitae ratio, quam profitebatur, divina fuisset. »

Et profecto quidem sicut in ceteris, in his quoque a veritate aberravit s. Episcopus, frustra Origenis expositionem refellens. Adamantius enim Tomo XXVIII. *in Joannem* n. 1. ac deinceps prope morem suum tum in historicum, tum in anagogicum sensum sedulam navat operam. Et quod ait s. Eustathius, putans illum omisisse in excitatione Lazari, quae maxime intererant ostendi, idest veram Christi Redemptoris missionem, ac signa manifesta causa ipsius divinitatis comprobandae, fallitur ipse contra eum stantibus verbis Origenis ipsius in eodem Tomo n. 5; ubi ex Evangelistae Scriptura: *ut credant quod tu me miseris*, de Christi precibus disse-

rens, inquit: « Duo pariter faciens, et gratias agens pro his, quae de Lazaro assecutus fuerat, et circumstantem sibi turbam confirmans. Volebat enim Jesus, ut hi admitterent, se a Deo missum, ad hanc vitam advenisse. » Deinde in n. 9. addit: « Lazarus ergo ei curae fuit, idest Christo, propter circumstantem turbam; ut multi judaeorum, qui ad Mariam venerant, quique viderunt, quae fecisset Jesus, crederent in ipsum. »

Cum porro item corripiat s. episcopus Origenem, quod Lazarum amicum Domini consideravit in peccatis laborantem ac in ipsis mortuum, istud non prope sensum litteralem comprehendendum est, verum juxta anagogicum; veluti probe ibidem n. 5. notavit Adamantius, exposita littera: « Haec sane circa contextum et Lazari resurrectionem tradidimus. Ceterum sensus hujus loci anagogicus ex his, quae explicuimus, haud est difficilis. Petiit enim Jesus, ut qui peccaverat post amicitiam, quam erga se habuerat, mortuus factus Deo, divina virtute rediret denuo ad vitam. Votique compos factus est, vidit in hujusmodi homine vitales motus, pro quibus gratias agit Patri. Circa hujusmodi autem mortuum stabat turba nondum credentium, Jesum a Deo missum fuisse; nec *Logon* Sermonem hunc divinitus ad homines accessisse. Atque utinam haec turba miretur circumstans, quod aliquis adeo foetidus factus ob peccata ad mortem, mortuusque virtuti, denuo ad vitam redierit; cumque mirata fuerit, credat *Logo* Verbo ipsum aliquando vivificaturo, quod divinitus ad homines advenerit. »

Ubi igitur dicit Origenes, se, relicta littera, quaerere anagogicum sensum, non proprie Lazarum ibidem carpit, sed hominem, vel omnes homines peccato mortuos, non corpore sed spiritu; mortuos scilicet non ab hoc seculo decedentes, verum Deo defunctos ob culpam. E qua ut resurgerent, non per se homines illud potuisse ait: quinimmo necesse eisdem fuisse Verbi Dei descensum e coelis, ipsos vivificaturi a morte spiritali; cum adhuc vidisset Dominus in illis motus vitales, ut denuo resurgentes vitam assequerentur spiritus. Item comprehendenda sunt, quae dein scribit sub eadem anagogia, aliquos Lazaros etiamnum esse, qui post contractam cum

Jesu amicitiam infirmati sunt, et periere: qui etiam in monumento et in mortuorum loco manserunt cum mortuis mortui, ac postea vivificati sunt. Quapropter Huetius quoque putavit immerito Eustathium carpsisse Origenem in hoc et in aliis locis, inquiens: « Nam quamvis in Lazaro hominem peccatis laborantem significari docuerit, non ideo Lazarum peccatis laborasse voluit: quemadmodum qui serpentem aeneum in solitudine a Moyse israelitis propositum, dixerit Christi typum fuisse; non idcirco serpentem aeneum Christum fuisse asseruerit. »

Fallitur ergo s. Eustathius, et qui cum eo senserunt, Auctorem nostrum corripientes in Bibliorum commentariis. Omnes tempus habent discussiones variae in sacram Scripturam ab Origene redactae. Is enim litteralem sensum, allegoricum et moralem tempestive, sapienterque, ut hucusque vidimus, pro auditorum varietate sibi comparavit, juxta nempe morborum animi affectiones, quas curandas aggressus est in sacro verbi Dei ministerio: in cunctis Apostolum imitatus, ad Corinthios scribentem in Epistola I. c. III. *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis.* Et ita se se gerebat Origenes ob oculos quotidie hoc mandatum servans: quod amplius a suis successoribus et pro seipsis et pro eodem Origene servandum erat.



CAPUT XXVII.

Speciali studio quaeritur, num jure s. Eustathius in citata Dissertatione corripuerit Origenem ob ea quae olim in publica concione disputavit de Pythonissa Endor.

Quod vero in hoc de sensu Scripturarum tractatu magni est momenti, eruitur ab ipsius Eustathii contra Origenem Libro ob interpretationem, quam iste speciali sermone concinnavit, instante episcopo. Qui, diversis ab ipso Origene propositis quaestionibus de Libro I. c. XXVIII. Regum, disquiratur, ait, *de Engastrimytho* sive *de Ventriloqua*. Nemo porro non videt, quam ardua sit hujusmodi quaestio: in quam plures et prisci et recentiores elaborarunt interpretes, multi multa de hac historia contendentes.

Origenes interim etsi de difficultate conscius, ita exorditur disputationem talia praemittens quaesita, idest de Samuelis statu apud inferos, de ejusdem evocatione per Ventriloquam, ac de potestate daemonis super animam propheticam. Quibus tamen ita praeit, rogans: « Scripta ne haec sunt? vera ne ea sunt? an non sunt vera? certe asserere ea vera non esse, in infidelitatem inducit, cadetque super dicentium capita. Hoc autem esse verum, disquisitionem et dubitationem nobis exhibet. » Deinde nonnullos citat putantes Ventriloquam esse mentitam, Samuelem non esse evocatum, neque locutum. Alii insuper falsam putantes historiam ajebant: « Samuel apud inferos? Samuel a Ventriloqua educitur, prophetarum eximius, ab ipsa nativitate Deo consecratus?.... Samuel in subterraneis, apud inferos? quem, cum adhuc puer esset, Deus allocutus est, quaeque magnifica ac prodigiosa explevit? Samuel apud inferos? quare non et Abraham et Isaac et Jacob apud inferos sunt?... Talia quidem dicet, qui Samuelem revera eductum esse pertendere, ac propugnare non vult. »

Haec et similia sensit Origenes sibi ab adversariis objici. Quid vero contra ista objecta respondendum? Quo vel in quem suus vertendus sermo erat? Profecto contra eos, (quisque

novit) qui historicae veritati mentiebantur, dimicandum sibi erat: ut ostenderet, reapse eà omnia gesta fuisse, veluti narrantur in citato Libro. Ac ideo tunc rogabat adversarios: « Quae enim scripta sunt? *Et dixit mulier, quem evocabo tibi?* Cujusnam est persona illa, quae ait, *dixit mulier?* An non persona Spiritus Sancti? a quo divinas litteras scriptas esse credimus, vel alterius cujuspiam? Quippe persona narrans ubique (quemadmodum qui per omnes orationis modos versati sunt, optime callent) auctoris persona est. At sermonum horum auctor, non homo, sed Spiritus Sanctus, qui movit homines, esse creditur. Ait igitur Spiritus Sanctus: *et dixit mulier: quem educam tibi? et dixit*: *Samuelem educ mihi. Quis dicit: et vidit mulier Samuelem; et clamavit mulier voce magna, dicens?* »

Ita locutus Origenes non video cur reprehensione dignus habeatur. Interpretis enim officium istud postulabat ab Origene: quippe, cum adversariis responderet scripturali narrationi mentitis, ab ipso exordio illorum adserti falsitas sibi obterenda erat; atque ostendendum in Scripturis, Spiritus Sancti afflatu locutos fuisse sanctos Dei homines. Et istud praecipue voluit Auctor in praefato sermone, probe sciens et credens, personam ea gesta enarrantem, personam esse Spiritus Sancti; qui veluti movens, manuducens Scriptoris calamum, ei adest, eidem praeit, ipsum regit adeo ne erret in rerum quarumcumque descriptione, quae Spiritus idem vult ut enarrentur. Et ob hoc sapientissime docet Origenes, non hominem esse qui ea scripserat, sed ei adstitit συγγραφεὺς *conscriptor Spiritus Sanctus, qui hominem movebat ad scribendum.* Et id aeque meritoque auditum ab episcopo, a clero, ceterisque concioni adstantibus acceptum, probatum fuit, quin ibi nihil nec falsitatis, nec impietatis animadverterent, ut inde insimularetur coram eis ita disserens Origenes.

Nihilominus post centum fere annos s. Eustathius (summa reverentia de eo loquor) ab Eutropio rogatus, ut hanc eamdem *de Engastrimytho* quaestionem dilucide ei aperiret, Origenis opinioni ac interpretationi adversari putavit; etsi, ait, haud nescius nonnullos Origenis commentationibus ac-

quiescentes, novum ipsius dogma facile complexos fuisse. Et sic paulo post ipse in paragrapho III. (juxta Gallandi Editionem) in ipsum Origenem invehitur inquiens: « Sed industrius sane Origenes idololatriae instrumenta et vaticiniorum eorum praecipue, quae fiunt, mortuis evocatis, cum haberet in animo obtrudere, in sacram mentitur Scripturam. Quippe Scriptura aperte, palamque dicente, mulierem dixisse: *quem evocabo tibi?* Consilium Scripturae in contrariam partem afferens, personam ait haec dixisse Spiritus Sancti. Deinceps raptim usque eo a veritate deflexit, ut fanaticae mulieris verba Spiritui Sancto non vereatur impingere. Haec cum dissertissimis verbis impie effutiat, totum refert in Spiritum Sanctum, auditores nomine fide digno persuadere conatus.

« Quaesivit itaque, ut jam dixi, mulier, et quasi mortuos evocandi facultatem haberet, *quem*, ait, *evocabo tibi?* Verum qui oracula consulebat, ut Samuel educeretur, petente, subdit: *et vidit mulier Samuelem* : et sublata voce clamavit, dixitque principi: *cur fefellisti me? Et tu es Saul.* Et postquam rex dixisset: *ne timeas; et quid vidisti?* Rursus pythonem habens mulier, infert: *deos vidi ascendentes de terra.* Cum vero tandem princeps interrogasset: *quae est forma illius?* Ad verbum ita affata est: *hominis recti ascendentis de terra; et ipse amictus diploide.* Quid praeterea sacra Scriptura tradit? *novit Saul quod Samuel esset hic; et inclinavit se super faciem suam in terra, et adoravit eum.* Manifestum itaque est, nullibi omnino sacrarum Scripturarum seriem affirmasse, per mulierem illam Ventriloquam Samuelem evocatum esse. Sed illa quidem in primis per incitantem ipsam daemonem, dicit illum evocandum; deinde et deos ascendentes videre gloriata fraudulenter, signa hominis tradebat ad insidias etc. »

Haec hucusque loquitur s. Eustathius contra praefatam Origenis expositionem; tantoque zelo in ipsum erumpit virum, quasi artem magicam in fidelium coetum obtrudere vellet; eumque corripiens quod in mulieris sermone: *quem evocabo tibi*, persona Spiritus Sancti in ore Ventriloquae, ista dixisset verba. Et sic cetera fanaticae mulieris dicta si-

bi suasit Eustathius, eumdem Origenem Spiritui Sancto imposuisse. Verumtamen a veritate aberrasse mihi videtur Eustathius. Hoc non dixit, nec voluit, nec unquam excogitavit Origenes. Istius sermo (uti nuper significavi) praemissis consectarius, eos confutat, uti falsam oppugnantes historiam: in qua discussione s. Martyr haud satis Interpretis mentem animadvertit. Nequaquam enim Origenes ait, personam Spiritus Sancti respondisse Sauli sciscitanti Ventriloquam: *quem evocabo tibi*. Illud non dicit Origenes: tantummodo hujus facti simplicem enunciationem ponit, revera ea gesta fuisse, uti Spiritus Sanctus historico adstans, scripto mandavit. Ideoque ipsum Spiritum Sanctum esse *conscriptorem et enarratorem* hujus historiae, ubi legitur: *et dixit mulier;* idest enarrantis quae mutuo locuti sunt Saul et Ventriloqua de Samuelis excitatione. Quae omnia evenisse asserens Origenes, contra obsistentes vindicavit in primo disputationis loco.

Quapropter non asserit Origenes Spiritum Sanctum locutum esse in muliere Ventriloqua: verum statuit Spiritum Sanctum *conscriptorem et enarratorem* historiae narrare, aut censere utriusque et Saulis et Ventriloquae inter se colloquium; uti revera locum habuisse obtestatur. Et hoc patet quoque ex praemissis, ubi tanquam divinarum Litterarum sicuti et istius historiae de Ventriloqua, auctorem universim Spiritum Sanctum vocat Origenes. Dicit enim: « Cujusnam est persona illa, quae dicit: *dixit mulier?* An non persona Spiritus Sancti, a quo divinas litteras scriptas esse credimus? » Unde concluditur, non tantum verborum: *dixit mulier, quem evocabo tibi?* etc. sed et omnium Scripturarum auctorem et enarratorem haberi Spiritum Sanctum, sibi velle in eo loco Origenem. Verumtamen cum ita doceat ipse, et nos ita credimus, nunquam nec is neque nos admittimus, auctorem esse blasphemiarum Spiritum Sanctum, quando ipse enunciat ex ore peccatoris blasphemias in Deum; neque maledictionis auctorem esse Spiritum Sánctum, cum in Scripturis legitur maledictio impii dicentis: *non est Deus*. Sic in casu nostro statuitur, eumdem Spiritum non esse causam evocationis mortuorum ac similium facinorum (uti immerito visum est s. Eustathio) cum ipse per prophetas sanctos enar-

ret perversa Saulis consilia, ac Ventriloquae fallacias: uti paulo post perspicue statuit Origenes: « Verba Scripturae sunt, non a daemonis persona, sed ab ipsius Scripturae persona prolata. »

Haec modo satisfiant pro prima quaestione circa historicam narrationem de gestis Saulis et Ventriloquae. Postea attendatur quomodo alteri difficultati respondeat Origenes illorum haud credentium, apud inferos fuisse Samuelem; unde luculentius explanantur praefata. Scribit enim: « Dicimus ad illum, qui nostras aures implevit rumoribus; et immodica verborum copia, Samuelem apud inferos non fuisse contendit: *vidit mulier Samuelem*, enarrans vox (qui est Spiritus Sanctus) dixit: *et clamavit mulier voce magna et dixit ad Saulem: ne timeas, ut quid decepisti me, et tu es Saul? Et dixit ei rex: quid id est? ne timeas: quid vidisti? Et dixit mulier ad Saul: deos vidi ascendentes a terra. Et dixit ad eam: quae est forma illorum? Et dixit illi: vir senior ascendens, et hic senior diploide Ephod indutus.* Fatetur eam vidisse et vestem sacerdotalem. »

His praemissis, pergit Origenes ostendens e Scriptura tam manifeste enarrante, rem ita habendam esse circa veram Samuelis ascensionem ab inferis, ejusque visionem et colloquium cum Saule, ac de istius morte, suorumque filiorum etc. Et in hoc praesertim instat Origenes multiplici argumentorum genere statuens, Samuelem prophetam tum apud inferos fuisse, tum apparuisse Ventriloquae et Sauli, illud intuitus, ut adversarios refelleret, miratos apud inferos Samuelem, ideoque offensos: *Samuel apud inferos*? Cui quaestioni egregie respondet diluens, qua ratione veteris Testamenti Scripturae hanc eamdem dicendi formulam perhibuissent. Et ob hoc plura inde testimonia colligens, ostendit, defunctorum animas apud inferos, sive in inferno, aut apud *Scehol* post obitum manere juxta divinorum Scriptorum dicta: et speciatim ubi ait: « Christus ne apud inferos? Nonne illuc pervenit? Nonne verum est, quod in Psalmis dicitur, et ab Apostolis in Actibus exponitur, Salvatorem ad inferos descendisse? Quod in Psalmo XV. legitur, ad ipsum referri. Scriptum est: *non derelinques animam meam in in-*

ferno, nec dabis justum tuum videre corruptionem. Ac paulo post: Quidnam absurdi est, medicos ad male se habentes descendere? Illi medici quidem erant, et sane multi: at Dominus meus et Salvator princeps eorum est. Etenim internum desiderium, quod non potest ab aliis curari, curat ipse: quod a nemine potuit medicorum sanari, sanatur a Christo Jesu. Ne timeas, ne mireris. Christus in infernum descendit, et ante eum prophetae, qui ejus adventum praedicebant. »

Verumtamen si in hac discussione de vera Samuelis praesentia ejusque colloquio cum Saule, deque vaticinio sortis istius, punctum tulerit Origenes, et hoc infra magis patefiet, contra illos locutus, qui de hac historia offendebantur, haud minus vero facere visus est, Scripturam interpretatus de Samuelis evocatione per Ventriloquam, ac ratione, qua id factum est: quod sane doctorum mentes defatigavit. Recensens itaque Origenes Scripturae dicta, ea memorat: « *et dixit mulier, quem evocabo tibi? et dixit: Samuelem educ mihi. Et cum vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul* etc. usque ad ea verba: *cras autem tu et filii tui mecum eritis: sed et castra Israel tradet Dominus in manus philisthim.* » Quae omnia consummata sunt in Saule, in filiis suis, ac in populo Israel prope ipsius Samuelis vaticinium. Et in his omnibus Origenes juxta propositum, facti veritatem extollit, sermonis biblici convenientiam, et prophetiae complementum de Saulis ejusque regni fine, quemadmodum ei Samuel vaticinatus erat.

Quapropter illudens in hac veridica historia, scientiae aut virtuti daemonis, inquit: « Cum ergo ista, quae supra descripta sunt, non sint mendacia, et quod revera Samuel ascenderit; quid igitur hic facit Ventriloqua? Quid operatur Ventriloqua in evocatione animae justi? » Quasi diceret Adamantius: in hac Samuelis apparitione, cunctisque circumstantiis, ibidem a Scriptura enarratis, nullam praestitit actionem aut Ventriloqua aut daemonium. Et hic sane scopus Origenis in hujus historiae narratione; idest ut veritatem roboret de Samuelis statu apud inferos, ejus praesentia et colloquio cum Saule, istius decessu cum filiis suis, suique regni fine, uti factum amplissime comprobavit. Et haec o-

mnia dicit evenisse congruenter prophetico Samuelis sermoni, et penitus seorsim ab evocatione et actione sive Ventriloquae seu daemonis, qui per os ejusdem foeminae loqui putabatur.

Hoc autem ab initio quaestionis Adamantius et usque ad finem animadvertit, firmavitque, se nolle (quod proprie solius Dei est, nimirum futura praedicere) illud daemonis virtuti credere. Ipse enim in quarta proponenda quaestione, coram episcopo ceterisque diluenda, inquit: « Ultima omnium est celebris historia de Ventriloqua et Samuele. Visa namque est, Ventriloqua Samuelem evocasse. Samuel Sauli vaticinatur. » Cum ergo scribat Origenes: *Ventriloqua* ἔδοξεν *visa est evocasse*, non dicit ipsam reapse evocasse. Aliud quidem est *videri*, et aliud *esse*. Ideoque sicuti indubie inquit: *Samuel Sauli vaticinatur*, quod firme tenuit ac probavit; ita ait, Ventriloquam eamdem visam esse, evocasse Prophetam, quem revera non evocavit. Ac ideo paulo post subdit: « Quis enim, praesenti vita deserta, sub potestate daemonis esse velit, ut Ventriloqua evocet non e fidelibus unum, sed Samuelem prophetam, de quo Dominus etc. ? »

Quae omnia cum deinceps sedule pertractasset, ac diluta quaestione, quomodo Samuel dicitur apud inferos, sicuti et ceteri prophetae, ac patriarchae veteris Testamenti, ac veluti ipse Christus Filius Dei in morte sua, ut inde glorificaretur, pergit inquiens: « Non aliter Christus erat, licet inferius esset, ut sic dicam: et si in inferiori loco ageret, voluntate superius erat. Eodem pacto et prophetae et Samuel, quamvis eo descenderint inferius, ubi sunt animae; loco quidem inferius sunt; at non inferius sunt voluntate. Scio autem, et ipsi supercoelestia prophetarunt. Ego autem non possum daemoni tantam virtutem concedere: cum Samuel de Saule prophetarit, de populo Dei, de regno David, quod assumpturus erat. »

Quamobrem, uti quisque viderit, uterque idest Origenes et Eustathius in hoc conveniunt, quod scilicet solius Dei (scribit hic postremus) solius Dei omnipotentis sit ejusque divinissimi Filii animas ab inferis educere, angelorum ordines adstantes habere; utpote divinae naturae proprium, exi-

mium et singulare hoc sit. De ceteris vero, quando s. Martyr historiae veritatem negat, ac vanum, futile, fabulosum, anile, dolosum, fallax, illusorium, merumque commentum nuncupat Samuelis apparitionem, colloquium cum Saule, vaticinium de ejusdem morte cum filiis suis, regnique amissione etc. luculenter eruitur Eustathium aliter, quam vidit Origenes, vidisse ac insuper mentem huius non habuisse perspectam. Et amplius, cum hanc Scripturae pericopem de Samuelis cum Saule sermone voluerit Eustathius extra Origenis mentem interpretari, non tantum quorumdam Patrum antiquorum restitit sententiae; sed et divino testimonio refragatus est; quod legitur in capite XLVI. 20. Libri Ecclesiastici de Samuelis encomio: Καὶ μετὰ τὸ υπνῶσαι ἀυτὸν, προεφήτευσε, καὶ ὑπέδειξε βασιλεῖ τὴν τελευτὴν ἀυτοῦ, καὶ ἀνύψωσεν ἐκ γῆς τὴν φωνὴν ἀυτοῦ, ἐν προφητέιᾳ ἐξαλεῖψαι ἀνομίαν λαοῦ. i. e. *Et postquam dormivit ipse, prophetavit, ac ostendit regi finem suum : atque extulit de terra vocem suam, ut in prophetia deleret impietatem populi.* Quae sane verba non animadvertit s. Martyr, totam funditus diruentia argumentationis suae vim.

Postmodum cetera audiantur hujus argumenta, quibus imminui verborum Samuelis auctoritatem, nec inde Spiritus Sancti oraculum fuisse id putat Eustathius, ast Ventriloquae aut daemonis lusum magicum. Hoc autem adstruit ex eis, quae ait Samuel Sauli : *cras autem tu et filii tui mecum eritis.* Ex his inquam, vaticinii falsitatem insimulavit Eustathius asserens ab eadem Scriptura, nequaquam postera die interemptum fuisse Saulem, sed die tertia post Samuelis apparitionem. Verum minus contra Origenem hoc quoque facit, dum scimus in idiomate Bibliorum vocabulum hebraicum *machar* latine *cras*, haud semper immediate indicare *posteram diem ;* sed quandoque (et id ab ejusdem Scripturae perspicuis exemplis) dicitur indefinite de tempore successivo, sive die secunda, sive tertia, sive quarta etc. ita ut, etsi die tertia obierit Saul, prophetica tamen stet Samuelis sententia.

Item ex praefatis arguit contra Origenem s. Doctor ob illud quod ait Propheta : *cras quidem tu et filii tui mecum,* tanquam eamdem sortem in vita futura cum Samuele asse-

cutus foret Saul cum Jonatha filio suo. Hoc autem nobis, sicuti eidem Eustathio judicatu satis arduum est. Nec enim nobis nec ulli licet fidenter de his disquirere. Soli namque Deo viventium ac mortuorum judici mandanda est sententia. Nihilominus Propheta ita locutus, ibi videtur intueri tantummodo totius humanitatis terminum in vita futura, quo *omnes cogimur* sive boni, sive mali.

Praeterea s. Eustathius Ventriloquam Endor comparare studet incantatoribus aegyptiorum, de quibus Moyses in Libro Exodi. Ait enim n. IX: « Quemadmodum et heic incantatorum nomine et magiae studiis ac artibus propositis demonstravit, omnino dubitandum non esse, omnia illa a magis superstitiosa curiositate perfecta fuisse; similia et hujusce historiae gesta repraesentantur. Nam Engastrimytho inducta, deinceps magiae artibus impiis deprehensis et persona, quae vaticinia petebat daemoniaca, omnino ostendit imaginationibus et ipsis ementitis, omnia fuisse peracta etc. » Item in n. XVI. Samuelis vaticinia in ore Engastrimythi ponit Episcopus.

Haec sane suspicatus est Eustathius de Origene; sed praeter istius sensum. Diverse quidem comprehenditur historia magorum aegyptiorum ab iis, quae narrantur in Libro I. Regum; et ob hanc varietatem imminuitur Eustathii auctoritas adversus Origenis interpretationem. Cum enim studiose Scripturae hujus enarratio investigetur, quomodo nimirum haec facta sint, plura mihi ibi videntur deesse, ut dicatur, incantationibus usa Ventriloqua eduxisse ab inferis Samuelem. Ait Scriptura: « *et dixit mulier* (*Sauli*) *quem ascendere faciam tibi? et dixit Saul: Samuelem ascendere fac mihi: et vidit mulier Samuelem; et clamavit voce magna* etc. » Ostendat interim quis mihi ex hoc colloquio: quae ideo fecit Maga? quae fecit, quae praemisit? quorum nomina daemonum invocavit, ut animam, aut spectrum, aut personam Samuelis ad se evocaret? Indicet quaeso mihi ex citatis Scripturae verbis artificiosum apparatum Pythonissae, seu dicta, vel nomina latebrosa, aut sonum ipsius mussitantis, vel circulatorias praestigias: quibuscum invitabantur defunctorum animae respondere interrogationibus et votis consulentium.

Inter tot maleficarum artium genera a veteribus inventa ad insciorum illusionem, quaenam praestitit in hac evocatione praestigiatrix? Respondeat mihi: quae paravit ad hoc opus Ventriloqua? quae verba, seu cujus nomen pronunciavit? Nullius sane nomen edidit: nihil praemisit. Nihil enim narrat Scriptura divina, nisi Saulis tentamen, desperatis rebus. Et in hoc tentamine, historiae ordine inspecto, opus praestigiatricis, evocationi praevium, fallitur, nihil profuit. Tantummodo, manente Dei providentia in regimine rerum, praeter hominum expectationem maxime reproborum, ex propria voluntate Deus excitavit Samuelem, ut Sauli responderet, eique finem suum vaticinaretur, uti ex testimonio Ecclesiastici praefato comprobatur. Et re quidem vera; Saul, mediante Ventriloqua, consulturus venit Samuel; ita docet Scriptura. Samuel vero respondet Sauli interroganti, nequaquam vero mulieris pythoni.

Vidit sane ipsa Samuelem, quem nondum evocarat: vidit nimirum Samuelem (quem non evocavit) occurrentem Sauli, ut cum eo, non vero cum Ventriloqua, loqueretur. Quacum certe ne verbum quidem locutus est Samuel. Praestigiatrix *clamavit voce magna*, tanquam ideo obstupescens de inopinata Prophetae praesentia; ac testis tantum mansit sermonis, qui inter Samuelem cessit ac Saulem. Spectatrix apparitionis extitit fatidica, sed ignara antea personae Saulis, qui venerat ad eam, sicuti et vaticinii, quod Samuel Sauli praedixit. Omnia porro cognovit, posteaquam Samuel visus est Sauli, cumque eo locutus est. Quod autem admodum huic favet interpretationi, hauritur ex divina auctoritate Libri I. Paralipomenon c. X. n. 13. *mortuus est ergo*, inquit, *Saul propter iniquitates suas, eo quod praevaricatus sit mandatum Domini, quod praeceperat, et non custodivit illud, sed insuper quod consuluerit Pythonissam*. Et haec juxta Vulgatae Editionem. Septuaginta vero magis perspicue haec verba tradidere, vertentes: *mortuus est Saul in iniquitatibus suis, quibus in Deum praevaricatus est, secundum verbum Domini, quod non custodivit, cum ipse rogaverit Ventriloquam ut pro se quaereret: et respondit ei Samuel propheta.*

cutus foret Saul cum Jonatha filio suo ... Origene
sicuti eidem Eustathio judicatu satis ... sententia et
nobis nec ulli licet fidenter de hi... ...u est. Prae-
Deo viventium ac mortuorum ju... ...hanc eamdem
Nihilominus Propheta ita locu... ...eminent ss. Au-
modo totius humanitatis ter... ...iensis et Thomas,
cogimur sive boni, sive m... ...es illud Oraculum

Praeterea s. Eusta... ...eoque convincitur,
studet incantatoribus... ...ensum Origenem.
bro Exodi. Ait eni... ...s sensum confutarit in
tatorum nomine... ...ia, cernens haud scopum
monstravit, e... ...ejusdem argumenta diluendo re-
gis supersti... ...quoque calamum suum acuit. In qui-
historiae ... ...m est, quod n. XVII. eidem Origeni expro-
deincep... ...hristi descensum ad inferos. Ibi namque ait Eu-
vatic... ...s: « Itaque re manifesta deprehensus blasphemias fun-
bu... ...re, audientium aures subdola arte declinat, et ad Christi
... duntaxat personam confugit; ut ista cum sanctis viris col-
lata, una cum aliis omnibus Christum ipsum ad inferos descendisse demonstret. Sed ubi illud probavit, ad hominem hortatione agens scribit: *quid horres*, inquiens, *dicere omnem locum ipsius Christi et prophetarum indigere*? Et paucis interjectis, novum horrendum dictu connectit, declarans: *licet Christus inferius esset, ut ita dicam, et inferiori loco*; *electione tamen et voluntate in superiori erat*. De quo, quasi de solo homine loqueretur, nulla illius naturae divinae ratione habita, in infima illum devenisse: etsi voluntate supra ascendisset, et ipso modo scilicet, quo et ceteri homines. Sic enim dicit: *et prophetae et Samuel, quamvis eo descendant, ubi sunt animae, quae in infernis, loco quidem inferius sunt; at non inferius sunt voluntate*. Is inani verborum copia profusa, quorum nec modus ullus, nec finis inveniri potest, haud intellexit omnem hominem, licet in miseria aliis excedat, ubi inferos migravit, superius agere voluntate. Itaque nullus sive justus, sive injustus uspiam est, qui non continuo semper teneatur desiderio a subterraneis ad suprema loca redeundi etc. »

'cio sane, quamvis in hujusmodi quaestione de Chri-
inferos difficile sit modo, uti et amplius tunc tem-
'e dijudicare, nescio sane, quo jure Eustathius
ıs tam acriter reprehenderit. Hoc porro non
ıli enim in principali quaestione de Ventrilo-
iusdem Origenis sententia: in hac quoque
'imavit eidem adversari. Attamen in hac
ıum non attigit. Summa enim discus-
vertitur de conditione Samuelis apud
ıatriarcharum et prophetarum pari,
ınsurus erat; ut pro eisdem decer-
., illos ab inferis ad coeli mansiones de-
.endit quidem Jesus ad inferos, ut eo veniens
.uaret, quod a nemine potuit sanari.

In descensu, patriarchae et prophetae Christo pares erant; illos vero, ait Origenes, illuc descendentes, cum non possent ascendere, Christum Redemptorem expectare; qui solus in virtute sua eo descendens, inde ascendit: in ascensione sua ab inferis, animas sanctorum a portis inferorum eruit. Scias tamen, cum de locis infernis, aut subterraneis loquatur Origenes, ubi degebant animae sanctorum, loca hujusmodi distingui ab iis mansionibus, ubi reproborum ac damnatorum animae suppliciis sempiternis torquentur; atque ubi nulla ipsis spes salutis aut redemptionis nec fuit, nec erit. Et ob hoc perspicue notat Origenes, ibidem fuisse cum Samuele sanctorum animas: « *Nam sanctorum consuetudines cum sanctis sunt; at non sanctorum cum praevaricatoribus consuetudines.* »

Verumtamen pergit Eustathius in ceteris reprehendens Origenem (quasi quid *novum et horrendum* is dixisset) qui paucis interjectis, regreditur ad argumentum de Samuele apud inferos, inquiens: « Illud probare in animo est, si omnes ante Christum in infernum descenderunt, praecursores Christi, atque prophetae fuerunt; pari ratione et Samuelem eo descendisse, non simpliciter, sed ut sanctum; ubi, si est sanctus, sanctus omnino est. Nonne id etiam de Christo affirmamus? An non Christus erat, licet aliquando apud inferos fuerit? An non filius Dei fuit? licet in subterraneis degeret

locis, ut omne genu flecteretur in nomine Jesu, coelestium, terrestrium, infernorum? Non aliter Christus erat, licet inferius esset, ut sic dicam: etsi in inferiori loco ageret, voluntate superius esset. »

Et haec ait Origenes. Nescio item cur tam offensus sit Eustathius id legens, ac interpretatus *quasi de solo homine loqueretur* (Origenes) *nulla illius divinae naturae habita ratione, in infima illum, idest Christum, devenisse* etc. Fortasse ob aequiparationem Jesu cum ceteris prophetis? Attamen et quidem jure hoc egit Origenes; sicubi de ipsius Christi morte locutus, necessario prophetis, qui eum praecessere, ob humanitatem suam ipsis assimilatum, in descensu ad inferos contulit Jesum. In qua morte ac descensu in infernum mortem triumphavit, inferni seras perrupit; ac sanctorum animas ibi sitas, in requiem coelestem transtulit. Cum vero ita loquatur Origenes, nullimode Christi divinitati derogavit; quinimmo istud factum esse ait, ut per ipsius Christi descensionem ad inferos ac victoriam super mortem, dignosceretur divina ejusdem natura, virtusque praepollens: veluti ibidem ait: « An non fuit Filius Dei, licet in subterraneis degeret locis, *ut omne genu flecteretur in nomine Jesu, coelestium, terrestrium, infernorum?* »

Licet vero pares Christo prophetas constituat in descensu ad inferos, ut ajebam, ac ideo addat, ipsos prophetas et Christum voluntate in superioribus fuisse; attamen ibi ponderanda sunt, quae immediate ait, *ut ita dicam*: quae sane verba sermonis vim temperant, cum velit Origenes ostendere, nihil mirandum esse de Samuelis statione apud inferos expectantis redemptionem Israel, illic ideo degentis, sicuti et ipse Christus postea et Filius Dei, et quidem in humanitate sua illuc descenderat. Descendit enim mortificatus carne, uti ait beatus Petrus in Epistola I. c. III. n. 18. *Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo; mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu*. Descendit Christus ad inferos juxta verba Symboli apostolici, idest in eumdem locum, quo lugens Jacob patriarcha ajebat se descensurum (c. XXXVII. Geneseos): *descendam lugens ad filium meum in infernum*. De-

scendit ad inferos Christus, docet ipse Origenes Homilia XV. *in Genesim*, ut omnes sanctos, qui ibi apud inferos erant, ad eum locum paradisi revocaret, quem latroni promiserat: *hodie mecum eris in paradiso.* Descendit Christus ad inferos, ubi justus morte praeoccupatus (inquit Auctor Sapientiae) in refrigerio erit, quippe voluntate sua in coelis beatus vivens. Nullimode ergo ob hos sensus dogmati catholico consonantes insimulandus est Origenes.

Ex his item praemissis multo minus comprobandae sunt consequentiae, quas Episcopus antiochenus inde deduxit, inquirens, omnes homines sive justos sive injustos ad inferos emigrantes, teneri perpetuo desiderio a subterraneis ad suprema loca ascendendi. Falsum namque hoc est, neque hoc dixit Origenes. Is de prophetis tantummodo, sanctisque viris ante Christi adventum Redemptoris, hujusque promissionem expectantibus, loquitur, nec de omnibus indiscriminatim, scilicet de peccatoribus absque poenitentia vita defunctis. Istis enim nulla spes unquam affulsit, neque corruscabit aliquando sursum se se recipiendi: neque ideo voluntarios actus eliciunt, illuc quandoque perveniendi; cum damnatorum voluntas tantum ad malum ordinetur, nec unquam ad bonum; ac ita ait perpetuo ipsos esse, manere, persistere in malo, nec amplius bonum velle, sed necessario malum. Ex quo enim in voluntate mala obiverint, desiderio orbati sunt superiora loca cum sanctis quandoque assequendi, veluti ait s. Gregorius Magnus: « Justum enim est, ut nunquam careat supplicio, qui nunquam voluit carere peccato. Cessat ergo desiderium pravorum, ac damnatorum apud inferos, bonum volendi; ex quo voluntas eorum mala in supremo vitae momento in malo perstiterit. » Videas ergo quam immerito s. Eustathius etiam in his sermonem Origenis carpserit, universim istum inducens disserentem de hominum statu post mortem deque proborum ac improborum sorte in vita futura: quod non putavit Origenes, adeo ut et per haec et similia superius excussa, non ille corripiendus sit, sed potius Eustathius, qui improbanda admisit, neque satis penetravit Auctoris sensum.

Demum ex allatis argumentis quisque modo subeat judex, num jure, aut aliter immerito Origenis methodus reprehendatur in divinorum Librorum commentariis. Et si, ut puto, dicatur s. Eustathius, minime tulisse in hac confutatione punctum: duo pro s. Episcopo et Martyre, erga quem observantissime me gero ob animi sui integritatem, suumque pro fide catholica zelum adversus arianos, quapropter exilium passus est, ibique defunctus: pro eo, inquam, duo observatu digna lectoribus valde commendanda duco. Et illud sane in primis, circa suam de Pythonissae historia sententiam, a qua decedere juxta praefatas discussiones existimavi, nemo nesciat, non ipsum ex priscis fuisse solum, qui hanc amplecteretur expositionem adversus Origenis sensum, sed plures habuisse in hac opinione consortes. Ac ideo nil mirum de eo, quod ipse contra Adamantium scripsit.

Secundo vero circa ea, in quibus s. Episcopus severissime corripuit Origenem in hac eadem Dissertatione, ob sermonum suorum levitatem et futilitatem, quasi allegoriis omnia invertisset in divinis Scripturis, pravae hujus opinionis ubique semina ingessisset, totumque orbem hac immodica implesset vaniloquentia; ac amplius cum addat Eustathius ex s. Methodii auctoritate, non bene scripsisse Adamantium de resurrectione, in specie nec realiter corpora nostra resurrectura asserentem; valde suspicandum est, eumdem Eustathium non cuncta, nec genuina legisse Origenis volumina; sed potius ex Methodii scriptis, ab eo citatis in hac quaestione, talium collegisse culpationum genera; et inde occasionem reperisse insimulandi Auctoris nostri doctrinam.

Ideoque posito, s. Eustathium s. Methodii libros legisse, ubi is pariter arguit Origenem ob praesumpta errata, sequitur necessario eumdem illusum fuisse, sicuti eamdem illusionem passus est Methodius in confutando libros Origenis, falsatos tamen, aut libellos (calumniatorum opus) quibus inscripti erant commentitii ejusdem errores. Nisi quod s. Methodius serius non esse tales senserit Origeni imputandos, quos refutaverat sensus, ac ideo palinodiam cecinisse. Et hoc amplius asseveranter dicam, ex quo s. Hieronymus *De viris illustribus* inquit s. Methodium librum scripsisse de

Pythonissa Endor. Proindeque augescit suspicio, cuncta, quae scripsit s. Eustathius adversus Origenem, eruisse e libris ejusdem s. Methodii; qui ex primis extitit illusus a perverso obtrectantium calamo contra tanti viri pietatem; de quo inferius disputabitur. Et ut summatim dicam: nullimode s. Eustathius vir pius et doctus, Origenis commentarios *in Job* et *in Genesim* praesertim, quos ab initio discussimus, tam acriter corripuisset, si genuinos ipsius libros legisset, seduloque contulisset studio. Sane demum deploranda est ejusmodi sanctorum Methodii et Eustathii illusio. Horum enim illusio plures in posterum ad illusionem provocavit.

CAPUT XXVIII.

Item sancti Basilii et Diodori diluuntur argumenta adversus Origenis commentarios in eumdem Geneseos librum. Demum de Canone sacrorum Bibliorum juxta Origenis doctrinam.

Huic Eustathii ob hoc interpretandi genus nimis severae censurae adversus Origenem, accedit quod s. Basilius scribit Sermone III. n. 9. in *Hexaëmeron*: ubi Auctori Epistolae Justiniani ad Mennam, visus est s. Doctor Origenis personam contundere ob ea, quae scripsit, anagogice interpretatus aquas firmamento superiores, ceu legitur in historia Creationis. Ita namque ait s. Basilius: « Nobis vero adversus quosdam de Ecclesia sermo est circa aquas a se disparatas. Et quidam sic praetextu sensus anagogici et sublimioris intelligentiae ad allegorias se transferunt, ac suffugiunt, asserentes, potentias quasdam spirituales et corporis expertes tropice significari per aquas : et superne quidem supra firmamentum praestabiliores mansisse; inferne vero in terrenis ac materialibus locis subsedisse, quae erant malignae. Idcirco dicunt et eas aquas, quae super coelos sunt collocatae, Deum laudare, idest probas illas essentias, quae dignae sunt ob mentis puritatem, decentem et accommodatam reddere laudem Creatori. Aquas autem eas, quae sub coelis desederunt, ea esse spiritualia nequitiae et improbitatis a naturali sublimitate in imam totius vitiositatis voraginem delapsa.

« Has improbas mentes uti turbulentas, ut seditiosas, ut affectuum et perturbationum procellis ac turbine fluctuantes et exaestuantes *maria* nuncupatas fuisse asserunt propter mutationis facilitatem et instabilitatem motuum animi ac voluntatis. His igitur et ejus generis sententiis, ut quae somniorum conjecturis et anilibus fabellis conferendae veniunt, relegatis, aquam nos ut aquam intelligamus, et segregationem factam humorum a firmamento ea causa, quam assignavimus, accipiamus. Atque etiam siquando aquae illae, super coelos sunt collocatae communem omnium Dominum laudare tradantur, non naturas ratione praeditas ob id illas esse decernimus. Neque enim coeli anima ulla informantur, quia

gloriam narrant Dei: neque firmamentum animans sensu praeditum esse censemus, quod effectionem manuum ipsius itidem annuntiet.

« Quod siquis adstruat coelum speculativas esse virtutes, firmamentum vero activas et rerum convenientium operatrices, nos sane ejusmodi definitionem arguta quadam scitaque acrimonia adornatam esse non negamus; at eamdem non continuo veram esse non concedemus. Secundum enim hanc interpretandi formulam ros, pruina, frigus et aestus, quod apud Danielem passa sunt concelebrare hymnis universorum opificem, mentes quaedam erunt, nimirum intellectu praeditae, simul et invisibiles naturae. Verum quae istis dictionibus inest significandi ratio spiritaliter et contemplative ab his accepta, quos illustrat intelligentiae donum, ad hoc mire conducit, plenam ut Conditori exolvat glorificationem. Etenim non solum aqua super coelos reposita, tanquam quae praecipuis honoribus ob praestantiam in se ex virtute insidentem condecoretur, Deo laudem persolvit; sed etiam: *laudate eum* inquit, *et quae ex terra estis dracones et omnes abyssi*. Quare et abyssus, quam in pejorem partem ii, qui allegoriis utuntur, rejecerunt, ne ipsa quidem Psalmorum cantori aspernabilis visa est et rejectanea, cum in communem adscita est chorum creaturarum: immo etiam illa pro indito sibi modo concinne hymnorum cantum impertit Conditori. » Haec eadem citantur in Epistola Justiniani ad Mennam, de quibus suo loco disputabitur.

Ac interim circa hanc s. Basilii sententiam revocatis quae superius ac multoties dicta sunt de Origenis methodo in enucleandis variis Bibliorum sensibus, et considerato, cur quandoque litteralem sensum et aliquando anagogicum sectatus sit, prout circumstantiae postularent (in qua re nullimode corripiendus est) neminem lateat, ipsum Origenem Geneseos verba *fiat firmamentum*, interpretatum, in quae sane respicit s. Basilius, potius ibi spiritalem sensum disquirere quam litteralem. Concio enim fidelium animos imbuendi ac pietatem in iis excolendi causa, magis hunc intendit scopum, quam adversus incredulos per litteram venire, veluti Homiliae nomen petit. Et hujusmodi perpetuus in ecclesiis mos ante et

post Origenem ubique servatus perstitit; adeo ut vix litterae sensu tradito, statim ad sublimiorem rerum significationem transveheretur orator.

Quod autem dixi, s. Basilium Origenem reprehendere in verborum interpretatione *fiat firmamentum* etc. quisquis sane citata verba a s. Basilio, contulerit illis ab Origene discussis Homilia I. in Genesim *de Ortu mundi* etc. comprehendit, hinc reapse decerpta omnia, quae s. Doctor reprobat in nonnullis, uti ipse ait, Ecclesiae viris, qui ex his Scripturae verbis has concinnarunt fabellas sive somnia. Et quamvis Basilius ibi personam haud notet, tamen eumdem primum, ceterosque suos asseclas pertingere Origenem constat; nec de aliis hoc conjicere licet, eo magis quod Justiniani Epistola illum nominatim citet.

Propterea in hac quaestione valde nostra interest novisse, accepto, s. Basilii verba a praefata Homilia Origenis desumpta fuisse (nec aliunde sane desumenda videntur) nosse, inquam refert, satis invicem discrepare Auctoris mentem in Homilia expressam, ab iis, quae ab ipso Basilio eidem adscribuntur in praedicto Sermone. Quinimmo Basilii verba vaga quaedam interpretatio viderentur, earum instar a falsatoribus librorum Origenis editarum sub istius nomine: de quibus saepius dictum est. Ut autem quis de hac re sibi suadeat, mecum comparationem ineat s. Doctoris verborum cum iis, quae leguntur in praefata Homilia: cujus, quae ad argumentum faciunt, aliquanta referam, horum sensum exprimens, quem ibi opportune pro auditorum aedificatione investigavit alio penitus intuitu, quam tradit s. Basilius. Ita namque loquitur Origenes.

« *Et dixit Deus: fiat firmamentum in medio aquae, et sit dividens inter medium aquae et aquae. Et factum est sic etc.* Cum jam antea fecisset Deus coelum, nunc firmamentum facit; fecit enim coelum prius, de quo dicit: *coelum mihi sedes est.* Post illud autem firmamentum facit, idest corporeum coelum. Omne enim corpus firmum est sine dubio, et solidum: et hoc est quod dividit inter aquam, quae est super coelum, et aquam quae est sub coelo. » Hinc interim intelligas Origenem, quamvis obiter, veram indicare mundi sive coeli et

terrae creationem ex nihilo. Quae omnia alibi saepe propugnavit contra philosophos et haereticos pro aeternitate materiae contendentes. Et istud sane luculenter egit in alio Opere, quod *commentarii in Genesim* inscripsit. Ibi enim aliter quam in hac Homilia, divina verba discutit adversus pythagoreos, platonicos et stoicos; et ubi ipse prorsus ab anagogico sensu devius, litteramque scrutatus, laborat in proterendis horum sophismatibus, vindicatque fideliter mosaicam *cosmogoniam*.

Deinde ad Homiliam reversi, Auctorem cernimus, postquam indicavit firmamenti conditionem, scopo inservientem, animum auditorum excolere; statimque ideo subdit: « Cum enim ea, quae facturus erat Deus, ex spiritu constarent et corpore, ista de causa in principio et ante omnia coelum dicitur factum, idest omnis spiritalis substantia, super quam velut in throno quodam et sede Deus requiescit. Istud autem coelum firmamentum corporeum est. Et ideo illud quidem primum, quod spiritale diximus, mens nostra est, quae et ipsa spiritus est, idest spiritalis homo noster interior, qui videt et perspicit Deum. Istud autem corporale coelum, quod firmamentum dicitur, exterior homo noster est, qui corporaliter intuetur. Sicut ergo firmamentum coelum appellatum est ex eo, quod dividat inter eas aquas, quae sunt super ipsum, et eas, quae sub ipso sunt: ita et homo, qui in corpore positus est, si dividere potuerit, et discernere, quae sint aquae quae sunt superiores super firmamentum, et quae sub firmamento sunt; etiam ipse coelum, idest coelestis homo appellabitur secundum Apostoli sententiam dicentis: *nostra conversatio autem in coelis est.* Ita ergo continentur verba ipsa Scripturae: *et fecit Deus firmamentum, et divisit inter medium aquae, quae est super firmamentum etc.* »

In hac disquisitione Origenes, relicta littera, ac libero pede allegorice discurrens Moysis verba, ubi dicitur de aquis firmamento superioribus ac inferioribus, invenit quidquam proposito aptum, idest duas substantias, spiritalem unam, corpoream alteram. Et primum quidem ait, fecisse Deum substantias spiritales, idest angelicas, super quas dicit sedere Deum, quasi in throno: ceu prophetae, qui saepe in Scri-

pluris nobis repraesentant Dominum coelo assidentem, et coram eo angelorum turbam: *millia millium serviebant ei, et decies centena millium ministrabant ei*. Deinde praeteriens Origenes, alterum vidit ac a primo varium in his verbis anagogicum sensum, nimirum hominem duabus essentiis praeditum, animo et corpore. Et in quo considerat hominis ipsius communicationem cum virtutibus coelestibus, ob illud nempe quod mente, seu spiritu cognoscit quae Dei sunt, seque ideo ad Deum ipsum extollit, coelestia meditatus.

Nullatenus tamen, cum duas substantias in homine statuat, corpoream et spiritalem, confudit hominis substantiam spiritalem cum spiritali angelorum essentia, quasi de ipsis spiritibus coelestibus condidisset postea Deus homines; seu quasi angelicae substantiae ad poenam translatae forent in humana corpora. Haec enim somnia non vidit Origenes; nec unquam existimavit angelos transmutari in humana corpora, nec homines vicissim in angelorum naturam. Ubique namque homines ab angelis discrevit prope variam illorum conditionem, quam ab initio creationis utrisque indidit Deus. Nihil ergo absurdi in hac locutione apparet. Et hoc luculenter ostendit Origenes in sequentibus; ubi pergit sub eadem anagogia inquiens: « Et ideo illud quidem primum coelum, quod spiritale diximus, mens nostra est, quae et ipsa spiritus est, idest spiritalis homo noster interior est, qui videt et perspicit Deum. Istud autem corporale coelum, quod firmamentum dicitur, exterior homo noster est, qui corporaliter intuetur. »

Et quis non comprehenderit hic improprie, seu allegorice loqui Origenem? Et quomodo audebit quis ibi confundere assimilationem cum assimilato, ita ut dicatur homo interior evadere reapse coelum spiritale, et exterior homo fieri firmamentum? Nemo, puto, ita senserit de Origenis sermone. Ipse enim ex coeli et firmamenti nuncupatione, eorumque varia substantia reperit similitudinem hominis interioris et exterioris; quatenus homo interior Deum respicit, exterior vero corpori inservit; ceu dicit Apostolus: *mente enim servio legi Dei, corpore autem legi peccati*. Et ob hoc veniens Origenes ex sensu apostolico, studet, hominem non

solum mente ab imo sursum, sed etiam corpore erigere eo usque dum totus homo interior et exterior firmamentum superet, et sic fiat coelestis homo, secundum ipsius Apostoli monitum: *nostra autem conversatio in coelis est*, per contemptum scilicet rerum terrenarum.

Ac proinde relate ad ea, quae superius dixit de omni spiritali substantia, idest de angelis Dei, qui in circuitu throni Dei sunt, eumque vident; hos assimilare studens Origenes menti nostrae quippe spiritali ac rationali, ostendit ipsam, quamvis corpori obligatam, in interiori suo tamen Deum perspicere instar spirituum coelestium. Dixit sane instar spirituum coelestium, interiorem hominem videre Deum; non vero docuit Origenes, interiorem hominem seu mentem nostram evadere ac fieri angelorum substantiam. Cum enim ait *mens nostra, interior homo*, satis segregavit spiritalem angelorum naturam ab altera spiritali hominum substantia, adeo ut non idem sit angelus et homo; at mens unius ab alterius spiritu secernatur, eorumque natura nunquam per mutationes confundatur ad invicem quamvis spiritalis. Coelestis enim homo appellabitur, super firmamentum fiet, Deum videbit vir fidelis, per spiritus sui elationem usque illuc ascendens non proprie per corporeas vicissitudines, sed per sensuum mortificationem, aut per interiorem hominem.

Quapropter hinc prosecutus Origenes subdit: « Studeat ergo unusquisque nostrum divisor aquae effici ejus, quae est supra, et quae est subtus: quo scilicet spiritalis aquae intellectum et participium capiens ejus, quae est supra firmamentum, flumina de ventre suo educat aquae vivae salientis in vitam aeternam, segregatus sine dubio, et separatus ab ea aqua, quae subtus est, idest aqua abyssi; in qua tenebrae esse dicuntur: in qua princeps hujus mundi et adversarius draco, et angeli ejus habitant, sicut superius indicatum est. Illius ergo aquae supernae participio, quae supra coelos esse dicitur, unusquisque fidelium caelestis efficitur; idest cum sensum suum habet in arduis et excelsis, nihil de terra, sed totum de coelestibus cogitans, quae sursum sunt quaerens, ubi Christus est in dextera Dei Patris. »

Ex his itaque et similibus, quae successive leguntur, constat, quid Origenes velit in mystica explicatione aquarum quae supra vel infra sunt coeli firmamentum; ubi scilicet tam perspicue per ipsum revelatur humanitatis conditio in hoc mundo. In quo perpetuo decertat homo noster interior cum exteriori, idest caro nostra cum spiritu; vitia carnis nostrae nos detinent, prohibentia mentem sursum ascendere: quinimmo deorsum aut in aquas abyssi trahunt, quae sunt daemonum motus. Quam mysticam expositionem alibi Homilia II. *in Psalmos* n. 5. ex Isaiae verbis: *sed peccata vestra separant inter vos et Deum*, instaurat: « Sed ab initio, inquit, creaturae non sine aliqua mystica ratione firmamentum factum esse dicitur, quod separaret inter aquas et aquas; et divideret habitaculum mortalium a sedibus et habitaculis angelorum. Ex hoc ergo locus nobis peccatoribus arida haec, quam etiam terram cognominavit Dominus, deputata est. Sed et alia quaedam loca nominantur aquae, quibus superferri Spiritus dicitur Domini. Et alia quaedam loca abyssus nominantur, quibus tenebrae superpositae referuntur etc. »

Quapropter quivis inde s. Basilii citata verba putaverit Origenem pertingere, quasi iste talia commentus sit ex Geneseos dictis: *fiat firmamentum in medio aquae* etc. summopere fallitur. Non enim Origenes praeter ea supra limpidissime allata et discussa, sensit; nec ideo ex iis fuit asserentibus, *potentias quasdam spirituales et corporis expertes tropice significari per aquas; et superne quidem supra firmamentum praestabiliores mansisse: inferne vero in terrenis ac materialibus locis subsedisse, quae erant malignae*. Non ita locutus est Adamantius: sed alius (excluso Basilio) qui abbreviando et corrumpendo genuinos Origenis sensus, tale nobis tradidit commentum vanum, et ab ipsius mente alienissimum. Is sane, ut vidimus, in Homilia mystice locutus, tres distinxit rationalium status, idest angelorum coelestium, hominum et daemonum. In locis coeli sublimioribus constituit spiritales angelorum substantias, in medio homines corpore et anima compotes; locaque inferiora daemoniis assignavit. In qua distinctione pro more suo spiritaliter sacra verba

exponens a correptione immunis evadit: sed potius ii corripiendi sunt, qui sensum suum integrum perverterunt.

Praeterea in eadem s. Basilii pericope subditur: « Aquas autem eas, quae sub coelis desederunt, ea esse spiritalia nequitiae et improbitatis a naturali sublimitate in imam totius vitiositatis voraginem delapsa. Has improbas mentes ut affectuum et perturbationum procellis ac turbine fluctuantes et exaestuantes *maria* nuncupatas fuisse asserunt propter mutationis facilitatem et instabilitatem animi motuum et voluntatis. » Nemo porro ista nescit decerpta fuisse ex ejusdem Homiliae sensibus: ubi interpolator simul commiscuit, quae ad homines et daemones separatim spectant: unde monstruosum exortum est connubium (sane inter somnia et fabellas numerandum, ut ait s. Basilius) connubium, inquam, et hominum et daemonum, penitus diversum ab eo, quod significavit Origenes. Qui ita Scripturam *et dixit Deus: congregetur aqua, quae est sub coelo in congregationem unam, et appareat arida: et factum est ita*, exposuit:

« Nos ergo laboremus congregare aquam, quae est sub coelo, et abjicere eam a nobis; ut cum hoc factum fuerit, *appareat arida*, quae sunt in carne gesta opera nostra: quo scilicet videntes homines opera nostra bona, glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est. Si enim aquas istas, quae sunt sub coelo non separaverimus a nobis, idest peccata et vitia corporis nostri, *arida nostra* non poterit apparere, nec habere fiduciam procedendi ad lucem. *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem; ut non manifestentur opera ejus, et videantur si in Deo sint gesta.* Quae utique fiducia non aliter dabitur, nisi velut aquas abjiciamus a nobis atque segregemus vitia corporis, quae sunt materiae peccatorum. Quo facto jam *arida nostra* non permanebit arida, sicuti ex consequentibus ostenditur. Ait enim: *et congregata est aqua, quae est sub coelo, in congregationes suas, et apparuit arida. Et vocavit Deus aridam terram, et congregationes aquarum vocavit maria* etc. » Ceterum cum ostensu non arduum sit, ex citata Homilia traducta fuisse ejusmodi somnia, patet item fraudulenta interpolatoris manus adversus sinceram et catholicam Origenis expositionem.

Circa porrò reliqua in praefato s. Basilii testimonio consita, ac uti minus apte dicta ab Origene, repetenda sunt quae ab ipsius Homiliae initio dixit ille, non proprie scilicet, sed improprie, non litteram, sed litterae spiritum perscrutari se velle: « Secundum litteram, scribit, Deus et lucem vocat diem, et tenebras noctem: secundum vero spiritalem intelligentiam videamus quid sit, quod cum Deus in initio illo, quod superius diximus, fecerit coelum et terram, dixerit quoque ut lux fieret, et diviserit inter medium lucis et tenebrarum, et vocaverit lucem diem et tenebras noctem etc. » E quibus praemissis frustra studiosus Origenis elaboraverit, sensum disquirens secundum litteram; nec ideo Auctori jure istud exprobrandum erit, cum in his litterae sensum non intenderit.

Postquam vero ostendimus, fraudulentum interpolatoris calamum in hoc Origenis commentario a s. Basilio citato, opportune valde hae repetenda existimo, quae s. Pamphilus et post eum aliqui tradiderunt de hujusmodi interpolationibus: in quibus anonymus Auctor *Praedestinati*, cujus verba huic praemisi Tomo. Ille enim est, qui fontem Origenis errorum perscrutatus, invenit in haereticis marcionitis et valentinianis et in istorum schola, ab eodem Origene confutatis, asserentibus ea docuisse ipsum, quae revera nunquam docuit: « Hos enim, ait c. XXII. Apellitas Origenes ita perfecte superavit, ut eorum causa *periodeutes* fieret, et per singulas civitates per Orientem eundo praedicaret. Et quia innumerabilia sunt tractatorum ejus volumina, haeretici superati, libros ejus ad suos libitus callidissima argumentatione mutarunt; ut quos vellent decipere, dicerent ita Origenem suis expositionibus definisse. Unde quicumque usque hodie Origenem legit, si prudenti eum novit recitatione distinguere, deprehendit loca ab haereticis maculata. »

En luculentissimum hujus rei testimonium ab Homilia s. Basilii desumptum; et in quo idem s. Doctor videtur illusus, et post eum Auctor Epistolae ad Mennam, Adamantio inscribentes dicta ab ipso refutata. Testimonium luculentissimum dixi haereticorum marcionitarum malitiae, sicuti ait Auctor anonymus, qui Origenis scripta depravantes ad lu-

bilum suum sermones illius attraxere. Paulo ante enim Basilius Homilia II. n. 4. in idem argumentum: *et tenebrae super faciem abyssi*: « Aliae rursus, inquit, fabularum occasiones, et commentorum magis impiorum causa, cum haec verba ad suas divertant opiniones. Tenebras enim non exponunt, ut mos est aerem quemdam lucis expertem, aut locum objectu corporis obumbratum, aut denique locum quacumque ex causa lumine privatum, sed potentiam malam, immo malum ipsum a seipso originem trahens, oppositum Dei bonitati atque contrarium. Etenim si Deus lux est, absque dubio, ajunt, adversans ei potentia, tenebrae utique fuerint juxta sententiae consequentiam.

« Tenebrae non habent ab alio, quod sint; sed sunt malum per se genitum. Tenebrae hostes animarum, mortis conciliatrices, virtutis adversariae; quae per haec Prophetae verba, ut falso putant et subsistere, nec tamen a Deo prodiisse indicantur. Ex hoc sane principio quid non pravorum et impiorum dogmatum confictum est? Qui lupi graves gregem Dei discerpentes, sumpto ab hac prava voce initio, animas non invaserunt? Nonne hinc Marcionis? nonne Valentini? nonne abominanda manichaeorum haeresis? Quam siquis putredinem appellet ecclesiarum, a decoro non aberrabit? Quid procul a veritate recedis o homo, tibi ipsi exitii causas excogitans? Simplex est dictio, et ab omnibus comprehendi facile est: *erat*, inquit, *invisibilis terra*. Quaenam est causa, qua circumfusam sibi abyssum habebat? Quid autem abyssus significat? copiosam aquam, cujus fundus vix potest attingi deorsum versum. At complura corpora per tenuem et translucentem aquam scimus non raro videri. Quomodo igitur nulla terrae pars sub aspectum cadat? . . . Itaque quod subjungitur: abyssus incumbebat, et ea erat tenebris obducta, in causa est, cur terra fuerit invisibilis. Neque igitur abyssus adversariarum potestatum est multitudo, ut quidam imaginati sunt: neque tenebrae sunt principalis quaedam ac mala potentia bono opposita. »

Quicumque igitur ejusmodi Marcionis et discipulorum suorum vana commenta super Scripturae dicta: *et tenebrae erant super faciem abyssi*, construcla, uti jure meritoque vo-

cat s. Basilius, contulerit interpretationi, quam occulto nomine s. Doctor, et palam Auctor Epistolae ad Mennam, Origeni inscripsere et confutarunt, paulo inter se differre perspiciet. In Homilia II. namque sub *tenebrarum* nomine comprehenderunt *potentiam pravam*, immo *ipsum malum bono ac luci contrarium, malum per se genitum, virtutes adversarias* etc. Similiter in sequenti Homilia III. quod praesumitur admisisse Origenem, legimus *potentias quasdam spirituales* per aquas significari supra firmamentum *collocatas*: *inferne vero, in terrenis ac materialibus locis subsedisse quae erant malignae.* Et paulo post manifestius, cum marcionitis inita concordia, Origenes docuisset: *aquas autem eas esse spiritalia nequitiae et improbitatis: has improbas mentes et turbulentas et seditiosas* etc. Nonne ergo jure hinc et amplius arguitur marcionitarum et aliorum haereticorum fraus, qui libris Origenis falsatis, illuserunt sanctis viris, in quibus Basilio, ita ut crederent, prava dogmata revera in ecclesias intrusisse Adamantium?

Probe ergo Vincentius lirinensis paulo post s. Basilii aetatem in *Commonitorio* c. XXIII. circa libros Origenis falsatos, aut falso eidem inscriptos, plurium fatetur illusionem, talia scripta legentium, quorum auctor putabatur Origenes, quippe sub hujus nomine vulgata. Et in his sane videtur numerandus s. Basilius: qui hos libros erroribus scatentes percurrens, praesertim in dogmate de Spiritu Sancto, et commentarios *in Genesim*, existimavit haud recta scripsisse Origenem. In quibus tamen revera non errasse, uti nec in hoc loco, superius in tractatu de Trinitate patenter ostendimus.

Ceterum, etsi aliquam volueris inter ea analogiam universim considerato Marcionis commento de aquis superioribus et inferioribus reperire cum allegoricis disquisitionibus super ea verba ab Origene exactis; nihilominus talis analogia secundum utriusque conceptum, tantum inter se distat quantum figura a figurato et apparentia distat a veritate. Aliud enim est dicere, ut optime scripsit Origenes, aquas superiores repraesentare sive angelicas potestates, sive mentes nostras erga Deum per charitatem elevatas; et aliud absolute affirmare, uti marcionitae confinxerant, sublata creatio-

nis veritate, illas aquas realiter constituere et haberi substantias angelicas et cetera hujusmodi paradoxa.

Item, aliud sibi vult Interpres inquiens, tenebras abyssi sive occulta terrae profundiora, similitudinem gerere aut daemonum, aut animarum se carnalibus desideriis obligantium: et aliud significatur, quando quis, idest schola Marcionis, dicit abyssi tenebras constituere realiter, eversa similitudine, adversarias potestates sive daemones Deo rebelles: ita enim sentiendo, creationis veritas et ordo penitus evanescerent. Ex. g. in n. 2. praefatae Homiliae I. *in Genesim*: « sicut ergo, ait, firmamentum coelum appellatum est, ex eo, quod dividat inter eas aquas, quae sunt super ipsum, et eas, quae sub ipso sunt: ita et homo, qui in corpore positus est, si dividere potuerit, et discernere quae sint aquae, quae sunt superiores super firmamentum, et quae sub firmamento sunt, etiam ipse coelum, idest coelestis homo appellabitur etc. » Nemo itaque in his verbis erit, qui non distinguat duas propositiones, similitudinem dico et assimilatum; et hinc non videat quoque nequire in se confundi, quia pervertatur argumenti series.

Demum, non tantum ob s. Basilium, sed et propter ceteros, qui ex s. Doctoris testimonio existimarunt Origenem insimulare ob allegoriae usum in exponendis sacris Scripturis, neminem lateat, methodum, quam praestitit Origenes in Bibliorum commentariis, eamdem excoluisse Basilium, sicuti universim Ecclesiae Patres. Is enim ex. g. *in Isaiam* c. VII. n. 195. dicta explanans: *neque timeas a duobus lignis titionum istorum fumigantium*, ait: « Jubemur non metuere a persuasibilibus gentilium argutiis, neque ab heterodoxorum blasphemiis: quae sunt ligna duo, vel potius titiones duo, qui vitali plantae virtute ac ligni robore destituti, ignis splendore praediti non sunt; sed sunt titiones fumigantes, qui eos, a quibus tanguntur, denigrant, maculantque et oculos sibi proxime accedentium provocant ad lacrymas. Quod si nosse vis quantum afferat detrimenti fumus titionum fumigantium, memineris Salomonis, qui dicit: *sicut uva acerba dentibus est noxia, et fumus oculis; sic iniquitas eos, qui utuntur ea*. Enimvero opinor, peccatum in nequitiae actioni-

hus situm, vocatur uva acerba: noxa vero a falsa scientia ortum habens, ac mentis nostrae vim videndi confundens, fumus dicitur. *Cum autem extiterit*, inquit, *ira furoris mei rursum sanabo*. Hoc est, post plagas emendandi causa inflictas: ubi idoneam ac sufficientem videro emendationem, non sinam eos poenis gravioribus affligtari; quasi aegrotis dicat medicus: ubi primum secuero, et admovero cauterium, neque partes sectas, neque ulcera ex cauterii ustione remanentia negligam. Postquam enim id fuerit factum, ob quod nascuntur molestiae, tum demum medelam reliquam inducens, restituam sanitatem..... Siquidem duo sermones a veritate alieni conspirant adversus Ecclesiam, tum filius Aram, seu sermo sublimis adversus scientiam Dei se se efferens, tum filius Romeliae sive elatae circumcisionis sermo; qui scientiae praetextu, ac doctrinae altioris specie, a veritate Ecclesiae Dei avocat. Inierunt igitur hi consilium pravum in eo, quod sint Judae populum allocuti, hoc est, eos quorum confitens est anima etc. » Ideoque si s. Basilio licuit in duobus titionibus, qui erant duo reges Aram et Israel denuo in allegoriam versi, gentilium argutias, et blasphemias heterodoxorum repraesentare: nonne licuerit Origeni ex eodem allegoriae usu tenebris abyssi assimilare daemones sive angelos rebelles e coelo dejectos, sive homines peccato servientes; et aquis superioribus comparare virtutes coelestes, aut virum fidelem, qui spiritu suo, vel per interiorem hominem se se extollit ad coelestia?

Verumtamen hucusque expensa et quae attinent speciatim ad coeli firmamentum et tenebras abyssi, majorem successive sortiuntur perspicuitatem; ex quo Diodorus quoque ex *Catenis Patrum graecorum*, in Origenem commotus est ob praesumptam hujus interpretationem. Haec enim dicta Geneseos excutiens: *tenebrae erant super faciem abyssi*: « Si autem tenebrae, inquit Diodorus, dictae sunt non corporum umbrae, sed spiritale quidquam, hoc est diabolus: istud *fiat lux*, quo pacto intelligam? num lucem veram, hoc est Filium? Quid ergo dices (Origenes)? Post coelum, terram, abyssum, et spiritales tenebras diabolum, erit Deus Verbum? Quod quis non mente captus concesserit? »

Quo porro jure Origenem confutarit Diodorus viderit, qui ipsius elocutionem animadverterit; animadvertens scilicet, quo sensu ibi loquatur Interpres, proprie ne, an improprie, num litteram disquirens, aut ipsius litterae anagogiam. Si anagogiam, ut ipse fatetur, se perscrutari ait, tunc insimulatio Diodori sicuti aliorum penitus decidet. Patet namque, Origenem quandoque abyssum dixisse quamdam immensam aquarum profunditatem et voraginem, et hinc proprie hoc vocabulum percepisse. Uti ex. g. cum ait Homilia III. *in Exodum* de Pharaone, qui demersus est in mare et in profundo abyssi extinctus. Item *in Psalmum* 135 ex verbis Job: *qui appendit terram super nihilum*, inquit: « Sed vide ne forte terra, quae est infra abyssum, appensa sit super nihilum; ea autem, quae est supra abyssum terra, et in qua etiam nos habitamus, super abyssum firmata sit; ita ut abyssus in medio terrae contineatur tanquam in vase. »

Alias e contra hujus vocabuli anagogiam effert prope evangelicum sermonem: *et rogabant daemonia* (quae ejiciebat Jesus) *ne juberet ea ire in abyssum*. Et secundum haec eadem docuit: « Ita consequens videtur, quod singuli quique nequam spiritus, cum vincuntur a sanctis, vel in abyssum, vel in exteriores tenebras, vel quo quisque ille locus eis dignus est, abducantur a justo judice Christo, agonis hujus vitae mortalium praeside. » Item *in Psalmum* 130. 6: « Quemadmodum in tropice dictis maribus adversarii nobis daemones habitant: illicque etiam draco fictus est, ut illuderet ei: sic et in allegorice vocatis abyssis habitant inferni daemones. » Quapropter nulla ratione damnandus est Origenes, quod in praefata Homilia allegoriam quaerens vocabuli *abyssus*, hanc sancitam invenerit in Evangelio; eamque aptaverit Geneseos verbis: *tenebrae erant super faciem abyssi*.

Praeterea notandum est (quod sane effugit Diodorum) Origenem sensum investigantem *abyssi*, super quam erant tenebrae, minime hujus conditionem, a Moyse consideratam, respicere; quinimmo symbolice futuram, ceu locum, quo aliquando dejiciendi essent daemones, ne amplius hominibus nocerent: « *Quae est abyssus?* ait, *illa nimirum in qua erit diabolus et angeli ejus.* » Quibus verbis Origenes Christi senten-

tiam prosecutus est dicentis: *vidi satanam sicuti fulgur de coelo descendentem:* quippe per ejusdem Christi victoriam, prostratis omnibus potestatibus et virtutibus contrariis hujus mundi, in profundum, ne amplius nocerent, detrudendae forent. Et si quis adhuc cupiat adversus Diodorum pugnantia Origenis testimonia, adeat ipsius exegeticam Expositionem in Proverbia Salomonis c. III. n. 3. graece et latine editam ab Emõ Maio: « Deus, inquit, sapientia sua terram quoque fundavit; et sensu ejus eruperunt abyssi, et nubes foras manarunt. Quam ergo hic Salomon terram dixit, Paulus latitudinem appellavit; et qui hic coeli dicuntur, altitudinem ille vocat in Epistola ad Ephesios: et quae tropice dicuntur abyssi, eas profunditatem dicit, roriferas denique nubes longitudinem. Haec porro omnia rationalium naturarum symbola sunt, quae ornatu et corpore differunt secundum propriae constitutionis analogiam. »

Ideoque gratis asserit Diodorus Origenem corripiens, quod per *lucem* indicarit Dei Filium, Verbum Dei: quasi hinc doceret Origenes, tenebras abyssi creatas, quando nondum esset Filius Dei. Si enim quandoque et alibi Origenes dixerit, lucem mystice repraesentare Verbum divinum, ex Joannis Evangelio vocantis Jesum *lucem veram illuminantem hunc mundum;* nihilominus in hoc loco haud ita animadvertit Auctor. Verum ex adverso ponit, omnia per Verbum Dei facta esse, cum sit omnium principium: et in hoc principio idest Verbo suo omnia facta esse: « Non ergo, inquit, hic temporale aliquod principium dicit: sed in principio, idest in Salvatore factum esse coelum et terram, et omnia, quae facta sunt. » Incongrua igitur habetur Diodori accusatio contra Origenem, cum sensus hujusmodi nunquam exposuerit adversus divinam et aeternam Verbi generationem.

Post haec, ut cunctis innotescat qua religione, et qua mente Geneseos Scripturam susceperit exponendam Origenes, et quam sollicitus fuerit se ab ineptis commentariis cohibendi; eoque magis haud nescius in quot historiae mundi interpretes vani prolapsi fuerant sphalmata, et praesertim Celsus, qui omnia scrutatus est, ut mosaicam Cosmogoniam poetarum aequipararet fabulis, in hunc et suos pares,

ejusdem stat Liber VI. n. 49. ubi recitantur quae de mundi creatione specialiter discusserat, et hucusque desiderata. Ait enim: « Nunc ad sequentia transeundum, in quibus uno verbo, nulloque allato argumento, mundi creationem a Moyse descriptam reprehendens: *quin et illa mundi origo,* inquit, *stolida prorsus est.* Qui si aperuisset, quomodo illi stulta videatur, et argumenta quaedam attulisset, contra illa pugnassemus. At mihi non videtur convenire, ut illo simpliciter affirmante, probem ego quomodo stolida non sit. Quod si aliquis, videre desiderat, quae nobis proditam a Moyse mundi creationem persuadeant, et quibus argumentis illa confirmetur, sumat in manus, quae *in Genesim* ab initio usque ad haec: *hic est liber generationis hominum*, commentati sumus. Illic ex ipsis divinis litteris explicare conati sumus, quid sit coelum in principio creatum, quid terrae invisibile, et incompositum, quid abyssus, quid tenebrae, quae erant super eam, quid aqua, quid Dei Spiritus, qui super eas ferebatur, quid facta lux, quid firmamentum a coelo primum creato distinctum, et sic de sequentibus. Stolidam quoque esse affirmat (Celsus) scriptam de hominum creatione historiam, non memoratis nostris argumentis, non impugnatis. Opinor non habuit, quo evertere posset istud: *hominem fuisse secundum imaginem Dei creatum.*

« Neque etiam intelligit quid sit paradisus a Deo plantatus, quid prima in illo hominis vita, sed misere mutata, postquam a paradiso deliciarum ejectus propter peccatum, ex adverso habitavit. Verumtamen ille, qui haec omnia stulte esse dicta pronunciat, singula quaeque scrutetur et imprimis istud: *collocavit Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae*: num fortasse Moyses haec scripserit nullo consilio, sed simile quid fecerit illis veteris comoediae Poetis, joco scribentibus Bellerophontem interfectum a Praeto fuisse, Pegasum esse ex Arcadia. Quae omnia scripserunt illi, ut risum moverent: at probabile non est, qui Scripturas toti genti relinqueret, quas volebat iis, qui leges accipiebant, persuadere a Deo esse profectas, eum absurda mandasse litteris, et sine ullo sensu dixisse istud: *collocavit Cherubim, et flammeum gladium atque*

versatilem ad custodiendam viam ligni vitae, aut aliud quidquam eorum, quae de hominum creatione dicta sunt; et quibus in investigandis suam hebraeorum sapientes collocant operam. »

Demum post has diuturnas discussiones circa hanc, qua involvitur Origenes, insimulationem, ista afferenda judicio adversariorum puto. Primo repetantur, quae in n. 19. Libri IV. *Periarchon* ajebat: « Nequis autem suspicetur nos hoc dicere in omnibus nullam historiam contigisse, quoniam aliqua non contigit; et nullam legem ad litteram esse servandam, quoniam aliqua secundum litteram aut absurda, aut impossibilia praecipit; vel quae de Salvatore scripta sunt, secundum litteralem sensum non esse vera; aut nullam ipsius legem aut praeceptum servari oportere; dicimus manifeste *de quibusdam* (Ruffini interpretatio tradit *de quamplurimis*) veritatem historiae inesse; ex. g. Abraham, Isaac, et Jacob cum sua unumquemque uxore in duplici spelunca sepultos esse in Hebron; Sichem Josepho in portionem esse attributam; Hierusalem metropolim esse Judaeae, in qua a Salomone aedificatum fuit templum et alia μυρία quamplurima. Multo enim plura sunt secundum historiam, vera, quam quae mere spiritualia attexta sunt etc. »

Haec porro ex n. 18. praecedenti melius explanantur, quae nempe sint per litteram comprehensu impossibilia, idest de nullia salutatione per viam, de oculi effossione, de superinductione praeputii, de duabus tunicis, de quibusdam Sabbati statutis et de ceteris similibus: in quibus arbitratus est Origenes nullimode merum contineri litterae sensum. Et de quibus tamen concludit, studiosum Bibliorum interpretem scrutari debere, quandonam verum sit quod littera sonat, et quandonam sit impossibile. Et de his superius actum est.

Secundo, siquis immodicum increpare velit in Origene allegoriae studium in sacris exponendis Scripturis, hoc ei condonandum patet: dummodo ipsius conditionem consideret coram adversariis et praesertim haereticis, qui litteram solum quaerebant in divinis eloquiis, quavis mystica, allegorica, anagogica, morali sublata interpretatione. Et de his valde et saepe conqueritur Auctor, sciens per hanc methodum

divinae *Jesu* oeconomiae in carne sustollit figuram, quam Moyses et prophetae omnes intenderant; et sic Ecclesiae christianae convelli fundamentum. Et id ajebat, testimonio Apostoli ad Galatas suffultus, quocum Homilia VII. n. 2. *in Genesim* litterae amatoribus respondit. Inquit enim:

« Sed interim redeamus ad ea, unde digressi sumus. Laetatur Abraham, et convivium facit magnum in die, qua depulit a lacte Isaac filium suum. Post haec ludit Isaac cum Ismael. Indignatur Sara, quod filius ancillae ludat cum filio liberae; et lusum illum perniciem putat; consilium dat Abrahae, et dicit: *ejice ancillam et filium ejus. Non enim haeres erit filius ancillae cum filio meo Isaac.* Haec quomodo intelligi debeant, non ego nunc commentabor. Apostolus ad Galatas c. IV. ita disseruit, dicens: *dicite mihi, qui legem legistis, legem non audistis? Scriptum est enim, quia Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera. Sed is quidem, qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui vero ex libera, per repromissionem, quae sunt allegorica.* Quid ergo? Isaac non est secundum carnem natus? non eum peperit Sara? non est circumcisus? hoc ipsum quod cum Ismaele ludebat, non in carne ludebat? Hoc est enim, quod mirabile est in Apostoli sensu, quod, de quibus non potest dubitari, quin secundum carnem gesta sint, haec ille dicit esse allegorica: ut nos, quid faciendum sit in ceteris, noverimus, et in his maxime, in quibus nihil divina lege dignum historica videtur indicare narratio. » Et ecce quomodo Adamantius Abrahami historiam discutit, ipsius gestorum veritatem, eorumdemque typum commendans. Et quis ab hujusmodi contestationibus sensum divinarum Scripturarum pervertisse vel depravasse affirmarit? Et quando dicit *non posse dubitari* quin gesta sint, quae Scriptura narrat de Isaac historia; quis obstans contenderit, ipsum illius historiae denegasse veritatem?

Tertio et illud prae oculis habendum in hac quaestione: aliud enim est alicujus historiae partem ad allegoriam absolute trahere; et aliud est totam negare historiam. Ideoque si aliquando in gestis veteris et novi Testamenti Origenes arbitratus, haud posse conciliari quarumdam circumstan-

tiarum differentiam, se receperit ad allegoriam, cum hoc tamen historiae substantiam non negavit. Et siquis nec in hac parte methodùm similem probare voluerit; neque ob hoc tamen tam severe reprehendendus est, eoque magis quod ita sentiens, nunquam putarit communi Ecclesiae adversari doctrinae. Propterea praefatus Delarue in Articulo V. etsi in ceteris nimis dure corripiat Origenem; pro eo tamen haec nobis reliquit: « Duo tantum, inquit, observabimus, quae maximi sunt momenti. Primo, mysticos sensus auctoritate novi Testamenti innitì, probat tum traditione Ecclesiae, tum ipsomet Scripturarum consilio. Secundo, contra infideles demonstrat, allegoricis sensibus Scripturas nostras non repugnare. Quod si inter citata ab ipso Scripturae testimonia ad auctoritatem mysticis sensibus conciliandam, nonnulla sunt, quae parum ad rem faciunt, eo saltem nomine laudandus est, quod disertiora et quibus quaestio plane decisa sit, non omiserit, cujusmodi etc. » Et interim memento, quae s. Augustinus in Libro *contra Mendacium*, Jacobi diluens historiam, qui haedinis pellibus Patri illusit, simulans se Esau esse fratrem suum, volens Jacobi excusare dolum, docuit in hoc facto quaerendam esse allegoriam; et sic deducas quae deducenda sunt.

Quarto et postremo, quidquam puto Adamantio in hac de variis Scripturae sensibus quaestione condonandum, siquis consideret quot et quantae ei occurrerint difficultates, et maxime ob illas antilogiarum species, quibus Scripturae scatent. Quarum concordiam cum Origeni fere impossibile stabilire videretur juxta simplicem litterae sensum, per aliam studuit de medio eas tollere, ut sic Spiritus Sancti dictati undequaque splenderet integritas. Saepe in suis discussionibus obiter hoc pertigit argumentum. Sed Tomo X. *in Joannem* ex professo eruitur, hanc voluisse elucubrare quaestionem, sumpto themate ex varietate Evangelistarum in Jesu gestis enunciandis. In hoc Tomo est, unde stabilire conatur, ubi historica veritas ex litterali sensu firmari nequeat, tunc recurrendum esse ad allegoriam, ut sic auferatur sive obscuritas, seu antilogia.

Ac interim varia proponit exempla studiose discussa: quae si in cunctis suis partibus non videantur acceptanda; attamen inspectis sinceritate, religione ac zelo erga Spiritus Sancti oraculum, quantumvis non tulerit punctum, non videtur culpandus; praesertim si consideretur quanta animi sui modestia talia proponat auditoribus. Exempli gratia n. 15. dissonantiam scrutatus Evangelistarum Domini Jesu narrantium ascensum Hierosolymam, et quoad tempus et gesta ab ipso tunc expleta, in fine concludit: « Itaque meum est judicium, minime ostendi posse apparentem dissonantiam, consonam existere his, qui in hisce rebus nihil praeter historiam admittunt. Quod siqnis nos recte non exposuisse existimet, contra hanc nostram sententiam prudenter scribat. Ceterum postulantes ab eo, qui dat omni petenti et omni conanti acute quaerere; itemque eum pulsantes, ut nobis aperiantur scientiae clavibus occulta Scripturae, juxta vires nobis suppeditatas exponemus etc. » Et ab his et similibus ab Origene praemissis declarationibus arbitror exordiendum sibi esse examen, quivis dijudicandi causa in ejusdem scripta suum converterit animum.

Postquam vero diuturna discussione, doctrinae origenianae integritatem in explanandis sacrae Scripturae Libris hucusque vindicare studui, quaedam mihi visum est de ecclesiastico horum Bibliorum Canone huic superaddere quaestioni, eo magis quod ipsius Origenis de hac re documenta haud parum in splendorem proficient sacrosanctae Synodi tridentinae definitionis.

Jam ab anno 1842. sub titulo: *Sessio Quarta Concilii tridentini vindicata*, adversus heterodoxos duo volumina edidi in hujus synodalis decreti defensionem; ubi sacrorum Librorum insertus est index: *ne cui*, inquiunt Patres, *dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur.* In quibus vindiciis maximam laboris mei sollicitudinem insumpsi ex priscis Ecclesiae Scriptoribus, praesertim aetati apostolicae vicinioribus, citationes ac numerum ab ipsis decerpens Librorum sanctorum veteris Testamenti; ac potissimum illorum Patrum intuitus sensum de Scripturis Deuterocanonicis, ab haereticis recentioribus extra divinum Canonem mandatis.

In his porro disquisitionibus valde perscrutatus sum libros Origenis, undequaque colligens, quae de his Scripturis dixisset, qualive auctoritate ditasset; num easdem pari divino afflatu inspiratas credidisset, sicuti Protocanonicas; ac utrum in eodem numero denique has conclusisset, veluti Patres sanccivere tridentini. Post diuturnam sedulamque disquisitionem mihi comperire benevertit, Origenem tales numero et auctoritate pares, indubie admisisse ac docuisse divinitus inspiratas cunctas veteris Foederis Scripturas, nec plus, nec minus ulla absque distinctione, uti legitur statuisse praefata Synodus. Et quantumvis nonnulla saepius apocrypha veteris Testamenti scripta compellarit, quae sane tunc per manus ibant christianorum: nihilominus probe sciens Origenes, universim hos libros ab Ecclesia inter divinitus inspiratos non haberi, quippe incerta erat divina eorum emanatio, extra Canonem dimisit: nec ullimode hos conseruit Textui Exaplari Sacrorum Bibliorum ex priscis versionibus collatis eruto. Qui postea totas pervagavit ecclesias; quique normam deinceps constituit definitionis Concilii carthaginensis in sacrorum Librorum censu; ac demum eadem fide et auctoritate instauratus in sacro tridentino Conventu.

Quamobrem quum lectori pateat aditus ad citatam discussionem Romae editam Typis S. C. *De Propaganda Fide*, non est, ut hic immorer, denuo expensurus Origenis sensum in quaestione Librorum Deuterocanonicorum veteris Testamenti. Sed potius quaedam succincte et quidem utiliter hoc in loco superaddere puto de Scripturarum apostolicarum Canone, numerum scilicet quaerens earum, uti ab ipso citantur Origene, et quarum in citato Opere omisi discussionem.

Istud autem nec melius nec praeclarius consequi possumus, quam ex Homilia VII. *in Librum Jesu Nave* n. 1. quam ex graeco verbotenus transtulit Ruffinus, ut ait in Peroratione commentariorum ejusdem *in Epistolam ad Romanos*; et unde (quod valde nostro proficit argumento) constat, hanc cum ceteris Homiliis in illum Librum, habuisse ad populum christianorum Origenem jam senem, sive supra annos sexaginta natum. Ibi enim mysticum Jesu Nave explanans nomen, et sacerdotum clangentium tubis contra Jericho

ait: « Veniens vero Dominus noster Jesus Christus, cujus ille prior filius Nave designabat adventum, mittit sacerdotes Apostolos suos portantes tubas ductiles praedicationis, magnificam et coelestem doctrinam. Sacerdotali tuba primus in Evangelio suo Matthaeus increpuit; Marcus quoque, Lucas et Joannes suis singulis tubis sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus epistolarum suarum personat tubis: Jacobus quoque et Judas. Addit nihilominus adhuc et Joannes tuba canere per Epistolas suas et Apocalypsim; et Lucas Apostolorum gesta describens. Novissime autem ille veniens, qui dixit: *puto autem, nos Deus novissimos Apostolos ostendit,* et in quatuordecim Epistolarum suarum fulminans tubis muros Jericho, et omnes idololatriae machinas, et philosophorum dogmata usque ad fundamentum dejecit. »

Nonne hinc Librorum sacrorum novi Testamenti numerum comphehendes eumdem, quem nunc habemus et fatemur? Nonne hic ab Origene traditionis obsignatur rivus, qui ab Apostolis ad Concilium tridentinum usque limpidus decurrit in acceptatione Canonis divinorum Bibliorum; quem ipse undique ecclesiarum, quae sub coelo tunc erant, Orientis et Occidentis, studiose pervestigavit, spurias, sive dubias, aut apocryphas Scripturas secernens a genuinis divinitus datis, ac in genuitate originali servatis? Adeo ut si quandoque Origenes in juvenili aut virili aetate de quarumdam novi Foederis Scripturarum dubitaverit authenticitate, cum minus sibi de iis comperta fuisset Ecclesiae universae fides; hujusmodi tamen dubia dissipavit in senectute. Ac ideo ab incertitudine exemptus, alacriter Bibliorum apostolicorum Canonem, sicuti egit de veteribus Scripturis, in praefata Homilia definivit, eadem fide, eadem observantia, eodemque numero, novissime accepto et probato a Patribus tridentinis; ita ut in hac quaestione incessantis concordiae annulus fiat Adamantius inter Apostolos et Patres in Synodo tridentina adunatos.



CAPUT XXIX.

Quanto jure investigatur veteres recentioresque Scriptores origenianam reprobarint doctrinam de libero hominum arbitrio.

Ex quo adversarii ab Origene insimulando haud sileant, undequaque acervatis testimoniis contra catholicam fidem facientibus, huc quoque advenerunt, ut ipsum arguant in iis, quae sensit de hominis arbitratu. Verum in hac quaestione multum elaboravit Cl. Huetius, nimium ostendens culpatum fuisse Origenem, veluti in *Origenianis* videre est. Ego vero, quin in hoc argumentum longa incumbam discussione, maxime in eo, quod scholasticas pertingit disputationes *de libero arbitrio*, *de gratia divina* etc. tantummodo ea praesertim scrutabor, quae in suis libris diverse vel translata aut intellecta sunt ab interpretibus, unde fuit in eumdem adaucta criminatio.

Quapropter ab hujus capitis initio praemittantur, quae ipse in suae fidei professione obtestatur ex prooemio Librorum *De Principiis* n. 5: « Est et illud, ait, definitum in Ecclesiastica Praedicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrii et voluntatis: esse quoque ei certamen adversus diabolum, et angelos ejus, contrariasque virtutes, ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant; nos vero si recte consulteque vivamus, ab hujusmodi onere nos exuere conemur. Unde et consequens est intelligere, non nos necessitati esse subjectos, ut omni modo etiamsi nolimus, vel mala vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrii sumus, impugnare nos fortasse possunt aliquae virtutes ad peccatum, et aliae juvare ad salutem: non tamen necessitate cogimur, vel agere recte vel male; quod fieri arbitrantur ii, qui stellarum cursum etc. » Huic itaque obtestationi consonans *in Epistolam ad Romanos* Tomo VI. n. 3. scribit: « Constat ergo ex his verbis, quibus Paulus dicit: *quia cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis, cui obedistis, sive peccati sive justitiae*, quia sponte nostra ipsi nos exhibemus, nullo cogente, vel peccato servire, vel justitiae per obedientiam

nostram : et ideo semper horum meminisse debemus, ne inanes querelas in peccatis excusatione proferamus, quod diabolus fecerit, ut peccaremus, aut naturae necessitas, aut fatalis conditio, aut cursus astrorum. »

Praeterea de hoc dogmate si plura cupias, consulas quae is Tomo III. n. 1. commentariorum *in Genesim* ait, libertatis humanae jura propugnans contra Fatalistas, eorumque sophismata alacriter discerpens. Ubi praecipue haec notanda sunt dicta adversus quosdam christianos illusos : « qui animis anguntur ne humanae res adeo necessitate teneantur, ut aliter, quam varius astrorum situs et collocatio jubeat, fieri non possint. Qua quidem ex opinione consequens illud est, ut funditus liberum nostrum tollatur arbitrium ; simulque proinde laus omnis ac vituperatio, rerumque vel approbatione dignarum vel reprehensione discrimen. Haec porro sublata si semel erunt, evanescat pariter necesse est quidquid de judicii divini aequitate jactatur; concidant vel intentatae sceleratis poenarum ac suppliciorum minae, vel promissa melioris sanctiorisque vitae professoribus gloriae ac felicitatis praemia. Nihil enim deinceps ipsorum cum ratione fiet. »

His brevi sermone notatis ac satis, ut quisque Origenis sensum aeque consideret; potius eo nostras vertamus investigationes, ubi non solum quidquam huic dogmati obsistere videtur, verum et aliquid obscurum et peregrinum inesse, sic ut praetextus adversariis praebitus sit, et maxime Hieronymo et Theophilo, Origenem ab ecclesiasticis institutionibus devium incusandi, ac praesertim ubi studiose ipse hoc excutit dogma in Libro III. *Periarchon* c. I. nn. 20. 21. inscripto *De arbitrii libertate*. Inde enim Hieronymus in Epistola ad Avitum n. 8. Auctoris dicta decerpit, uti a catholica doctrina dissona. Quae quidem dicta, utriusque et Hieronymi ipsius et Ruffini versione collata, ostendunt varietatem: sicuti Hieronymi translatio a textu originali graeco distat, quem tradiderunt Philocaliae auctores Basilius et Nazianzenus. Interea priusquam hujusmodi excutiatur varietas, quaestionis ordo ab antecedentibus Origenis verbis revocetur. Auctor enim n. 20. apostolica dicta tractat, quae refragari videntur arbitrii libertati, cum ad Romanos c. XI. ita scribit :

Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Dices itaque mihi: et sic de ceteris ejusdem Apostoli testimoniis, quae in medium profert, discutit, aliisque Scripturae verbis confert, ut ostendat nostri juris esse rectum operari sive malum, ex quo: *nos omnes adsistere oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum;* nec ideo esse incusandum Deum cur aliud vas sit in honorem, aliud in contumeliam: « Nam si qui se expurgavit, fit vas in honorem; qui vero vitiorum suorum sordes abstergere neglexerit, fit vas in contumeliam, quantum ex his verbis colligere licet, non est ejus rei causa mundi Opifex. Facit enim vasa honoris et vasa ignominiae non a principio secundum praenotionem, quia per ipsam nec praecondemnat, neque praejustificat; sed vasa honoris facit eos, qui se expurgarint; vasa vero ignominiae, qui vitiorum suorum sordes abstergere neglexerint, ita ut non ex praecedentibus causis formationis vasorum in honorem et contumeliam, unum quidem fiat in honorem, alterum vero in ignominiam. » Et huc assecutus Origenes, subdit:

Textus graecus

Ε'ι δὲ ἅπαξ προσιέμεθα εἶναί τινας ἀιτίας πρεσβυτέρας τõυς σκῦυους τῆς τιμῆς καὶ τõυς σκῦυους τῆς ἀτιμίας, τί ἄτοπον ἀνελθόντας ἐις τὸν περὶ ψυχῆς τόπον, πρεσβύτερα αἰτία τõυ τὸν Ιακὼβ ἠγαπῆσθαι, καὶ τὸν Ησαῦ μεμισῆσθαι, γεγονέναι ἐις τὸν Ιακὼβ πρὸ τῆς ἐνσωματώσεως, καὶ ἐις τὸν Ησαῦ πρὸ τõυ εἰς τὴν κοιλίαν τῆς Ρεβέκκας γενέσθαι.

Versio Nova

Quod si semel admittimus ex praecedentibus quibusdam causis aliud esse vas honoris, aliud vas contumeliae, quid absurdi fuerit ad locum de anima recurrentes dicere ex praecedentibus causis dilectum fuisse Jacob, priusquam corpus assumeret, et odio habitum fuisse Esau, antequam in utero esset Rebeccae? »

Versio s. Hieronymi

Sin autem semel recipimus quod ex praecedentibus causis aliud vas in honorem aliud in contumeliam sit creatum, cur non recurramus ad animae arcanum, et intelligamus eam egisse antiquitus, propter quod in altero dilecta, in altero odio habita sit, antequam in Jacob corpore supplantaret, et in Esau planta teneretur a fratre? »

Versio Ruffini

Quod si justa haec videtur assertio, sicut est certe justa, et cum omni pietate concordans, ut ex praecedentibus causis unumquodque vas vel ad honorem Deo, vel ad contumeliam praeparetur, non videtur absurdum, eodem ordine atque eadem consequentia discutientes nos antiquiores causas, eadem etiam de animarum ratione sentire, et hoc esse in causa, quod Jacob dilectus est, antequam huic mundo nasceretur, et Esau odio habitus est, dum adhuc in ventre matris haberetur. »

Haec verba culpat Hieronymus veluti christiano dogmati repugnantia. Attamen, Doctoris versione remissa parumper, si nova et antiqua Ruffini translatio una conferantur (quamvis Ruffinus quadam paraphrasi utatur) attamen inter se concordant in sensu, siculi cum graeco codice a divis Basilio et Nazianzeno transcripto in Philocalia. Immo non tantum Ruffinus in horum verborum significatione convenit citatis Patribus; sed et amplius praefati Doctores nil contra veritatem ibi suboriri existimarunt. Aliter enim haud huic Summario inseruissent, quod sic *Philocalia* nuncuparent, idest, eximiarum Origenis sententiarum *delectum;* quemadmodum duo jambi graeci testantur, inscripti antiquo codici hujus collectionis, qui latine ita sonant: « *cujus* (Origenis) *sermonum collectionem vides novam, quos Basilius optimos esse judicavit.* Si vero ita senserint citati Patres in ceteris transcribendis siculi in hac pericope, jure conjiciendum est, eosdem diversimode legisse, seu comprehendisse sermonem Origenis, ab eo quod legit, animadvertitque Hieronymus.

Insuper graecanica lectio sicuti Ruffini translatio contextui magis accommodantur, quam Hieronymi; et specialim ubi Ruffinus ex vocabulis ἀνελθόντας σκεύους, nimirum *cum ipsa vasa subeant in locum*, sive in argumentum de animabus, seu facta et accepta similitudine vasorum, quorum alia in honorem, altera in contumeliam disponuntur, pari ratione non esse absurdum inquit, quod praecedens causa, qua Jacob dilectus et Esau odio habitus est, extiterit in utroque, priusquam in utero matris forent. Et haec docet Origenes uniformiter contextui, minime scilicet ex divina praescientia, hominis libertatem cohiberi, cum unus in honorem alter in contumeliam creentur: ex quo homines, sicuti ipsi Jacob et Esau praestiterint ex seipsis Creatori causas, unde alter dilectus Deo, alter fuerit exosus. Et hoc sane intendit Auctoris mens, ubi nihil videtur exprobrandum. Ideoque si Hieronymus secus legerit aut intellexerit dicta Origenis, et hinc errantem reputaverit eumdem; illud codicis, quo usus est, interpolationi remittendum, in quo veritas latuit, subrepente dolo.

Quod porro hic scribit Adamantius, ex testimonio apostolico de Jacobo et Esau, praeclarissime illustratur a Libro VII. n. 17. *in Epistolam ad Romanos*. Ait enim : « Similiter et ubi memoravit rationem, quare alia ad honorem, alia vero ad contumeliam fiant, ibi siluit, hic aperuit ex secunda Epistola ad Timotheum c. II. *si enim quis mundaverit semetipsum*, inquit, *ab his*, sine dubio peccati sordibus, *erit ad honorem vas sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum*. Restat igitur, ut, qui se non emundaverit, nec per poenitentiam peccati maculas abluerit, sit vas ad contumeliam. Quod et si auxerit malitiam, et converti per duritiem mentis et cor impoenitens omnino contempserit, erit jam non solum vas contumeliae, sed et vas irae. Ita ergo rationem, quam ibi indigne poscentibus claudit, hic digne desiderantibus pandit: per quam etiam illud, quod paulo ante de Jacob et Esau proposuit, apertius explanatur. Ut enim Jacob esset vas ad honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum, anima ejus emundaverat semetipsam. Et videns Deus puritatem ejus, et potestatem ha-

bens ex eadem massa facere aliud vas ad contumeliam, Jacob quidem, qui ut diximus, emundaverit semetipsum, fecit vas ad honorem; Esau vero, cujus animam non ita puram nec ita simplicem vidit, ex eadem massa fecit vas ad contumeliam. Ut autem scias quod pro puritate et simplicitate animae, Jacob factus fuerit vas ad honorem, audi quale ei divina Scriptura simplicitatis testimonium perhibet. *Et erat,* inquit, *Jacob homo simplex, habitans domum.* Ideo ergo Apostolus dicit de eis, quia priusquam nascerentur, de eisdem dicitur: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* »

Hanc porro et eamdem doctrinam exposuit Origenes Homilia III. n. 2. *in Numeros* ex verbis: *ecce ego assumpsi levitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito qui adaperit vulvam etc.* Scribit enim: « Nunquid haec in Lege Dei otiose scripta esse credendum est? An illud edocet nos quod apud Deum non illi primogeniti habeantur, qui corporea nativitate praecedunt, sed ii, quos proposito mentis inspecto, Deus ipse in ordine primitivorum judicat assumendos? Sic enim apud Deum Jacob posterior natu primogenitus judicatus est, et benedictiones primitivas, procurata divinitus parentis caecitate, suscepit. Ex proposito etenim cordis, quod Deo patuit, etiam priusquam in hoc mundo nascerentur, aut aliquid agerent boni vel mali, pronunciat Dominus de eis, quia *Jacob dilexi*; *Esau autem odio habui.* » Et ob hoc idem scholiis *in Matthaeum* (ex Bibliotheca Gallandiana) c. XVIII. inquit: « Haec porro dico, ut, quia parvuli facile scandalizantur, non contemnamus eos. Qui enim magnus ac perfectus in virtute est, omne parvipendit scandalum. Ex eo porro quod praedicit et deplorat homines hujusmodi, tribuit illis tempus poenitentiae. Cum vero dicat, *necesse est,* non tollit arbitrii libertatem; sed ostendit praecognitionem suam de rebus omnino eventuris. Quamobrem etiam de illis vae! exclamat, tanquam qui sponte labantur. »

Rursus ex citato Origenis commentario *in Epistolam ad Romanos* Libro VII. n. 8. verba explanans: *his, qui secundum propositum vocati sunt sancti:* « Quod si inquit, et *secundum propositum* ad Deum referatur, hoc est ut secundum Dei propositum, qui sciens in eis religiosam mentem, et sa-

lutis inesse desiderium, *vocati* dicantur, non videbitur his, quae exposuimus, etiam hoc esse contrarium. Hoc ergo pacto, neque in praescientia Dei vel salutis, vel perditionis nostrae causa consistit: neque justificatio ex sola vocatione pendebit, neque glorificari de nostra penitus potestate sublatum est. Nam et si communi intellectu de praescientia sentiamus, non propterea erit aliquid, qui id scit Deus futurum: sed quia futurum est, scitur a Deo antequam fiat. Nam si et, verbi gratia, fingimus Deum non praenoscere aliquid, futurum sine dubio erat, quod est ita, ut est; ut puta, Judas proditor factus est; et hoc ita futurum prophetae praedixerunt. Non ergo quia prophetae praedixerunt, idcirco prodidit Judas; sed quia futurus esset proditor, ea quae ille ex propositi sui nequitia gesturus erat, praedixerunt prophetae: cum utique Judas in potestate habuisset, ut esset similis Petro et Joanni, si voluisset. Sed elegit pecuniae cupiditatem magis quam apostolici consortii gloriam: et hanc ejus voluntatem futuram praevidentes prophetae, librorum tradiderunt monumentis. »

In hanc autem discussionem pergens Origenes, saepe ibi idem pertractat argumentum, ostendens certum esse, Deum scire non solum uniuscujusque propositum ac voluntatem, sed et praescire: « Sciens autem n. 17. et praenoscens, tanquam bonus dispensator et justus, uniuscujusque motibus et proposito utitur ad ea opera efficienda, quae uniuscujusque animus ac voluntas eligit. » Ac interea lectori hujus commentarii offert quae in Libro III. *Periarchon* accurate disseruit: « De quibus, ait, plenius quidem a nobis in eo Libello, ubi de arbitrii libertate disseruimus, pro viribus singula quaeque discussa sunt, quae ad instructionem satis superque sufficiant.» Ideoque si recte, si luculenter in hoc commentario sensit Origenes de hominis arbitratu; eadem sensisse tenendum est in citato *Periarchon* Libro. Ac insuper hinc patefiet, eamdem doctrinam, eamdem fidem professum esse Auctorem, cum unum et alterum adornaret Opus; eamdemque mensuram in pluribus et vario genere scriptis ac praesertim *in Periarchon* (quod admodum ab adversariis vellicatur) perpetuo servasse, quin ad dexteram iret vel ad sinistram. Non enim *Periar-*

chon Libros citasset Origenes in commentario Epistolae ad Romanos, si contraria ibi docuisset, quae alibi sensit.

Post haec ad quaestionem de codicum varietate reversi, reperimus Hieronymum in dicta Epistola n. 8. subdidisse juxta codicis sui textum: « Et iterum (scribit Origenes) ut autem aliae animae fierent in honorem, aliae in contumeliam, materiarum causarumque merita praecesserunt. » Ista verba non reperiuntur in Philocalia, nec reperiri unquam poterint. Verum eorum loco haec leguntur supra excussis immediate successiva n. 21: Illud etiam simul ostenditur, ut quemadmodum unum subjacet figulo lutum, ex cujus concretione vasa in honorem et ignominiam fiunt; ita, cum una omnium animarum natura subjaceat Deo, et una, ut ita dicam, sit rationabilium substantiarum massa, ex praecedentibus causis fieri, ut alii quidem sint in honorem, alii vero in contumeliam etc. » Hinc cernitur, quod transcripsere Auctores Philocaliae, apte convenire praemissis. Quae vero ibidem inseruit Hieronymus ex suo codice translata, de animabus, aliis in honorem aliis in contumeliam factis, ex quo *materiarum causarumque merita praecesserunt,* quis horum verborum divinare poterit sensum, nescio. Et undenam merita materiarum? Qualia erint ista materiarum merita? Latet sane quomodo meritum consequi valeat materia. Ideoque cum nequaquam Origenes talia absurda dictarit; ipsius interpreti remittenda sunt, qui sinceros Auctoris corrupit sensus; quique ita corrupti in manus venerint s. Hieronymi.

Ast ulterius progressis, item quae sequuntur in eodem paragrapho 21. juxta variam interpretum Hieronymi et Tarini versionem enucleentur, mediante textu graeco Philocaliae. Sic namque loquitur Origenes: « Qui autem diversas inducunt naturas, et Apostoli dicto utuntur, iis haec dicenda sunt: si tuentur ex una eademque massa esse, qui pereunt et qui salvi fiunt, atque unum eumdemque esse utrorumque Opificem; si bonus est, qui non solum spiritales, sed et terrenos facit,

Textus graecus

Τοῦτο γαρ̀ αυτõις ἕπεται δυνατὸν μὲντοιγε, ἐκ προτέρων τινῶν κατορθωμάτων γενόμενον νῦν σκεῦος τιμῆς μὴ ὅμοια

δὲ δράσαντα μηδὲ ἀκόλουθα τῷ σκεύει τῆς τιμῆς γενέσθαι εἰς ἕτερον αἰῶνα σκεῦος ἀτιμίας· ὡς πάλιν οἷόν τέ ἐστι διὰ πρεσβύτερα τούτου τοῦ βίου γενόμενον σκεῦος ἀτιμίας ἐνθάδε διορθώσαντα ἐν τῇ καινῇ κτίσει γενέσθαι σκεῦος τιμῆς ἡγιασμένον καὶ εὔχρηστον τῷ δεσπότῃ εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένον.

Versio Nova

(hinc enim id consequitur) fieri sane potest, ut qui nunc ex anteactis quibusdam bonis operibus factus est vas honoris, si vase honoris indigna fecerit, altero seculo fiat vas ignominiae: sicut rursus fieri potest, ut qui ex antiquioribus hac vita causis factus est hic vas contumeliae, si se emendaverit, in nova creatione fiat vas sanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum paratum. »

Versio s. Hieronymi

Juxta nos autem ex praecedentibus meritis vas, quod in honorem fuerit fabricatum, si non dignum vocabulo suo opus fecerit, in altero seculo fiet vas contumeliae; et rursus vas illud, quod ex anteriori culpa contumeliae nomen acceperat, si in praesenti vita corrigi voluerit, in nova creatione fiet vas sanctificatum et utile Domino, et in omne opus paratum.

Versio Ruffini

Secundum nostram vero assertionem, qua ex praecedentibus causis Deum dicimus vel ad honorem vasa, vel ad contumeliam facere, in nullo approbatio Dei justitiae coarctatur. Possibile namque est, ut vas hoc, quod ex prioribus causis in hoc mundo ad honorem factum est, si negligentius egerit, pro conversationis suae meritis in alio seculo efficiatur vas ad contumeliam. Sicut rursus siquis ex praecedentibus causis in hac vita vas ad contumeliam a creatore formatus est, et emendaverit se, atque ab omnibus sordibus vitiisque purgaverit, illo novo seculo potest effici vas ad honorem sanctificatum et utile, ad omne opus bonum paratum. »

In his itaque illud significat Origenes: cum Deus, inquit, bonus, qui spiritales et terrenos facit, idest, qui non solum eos qui spiritu vivunt, et non in carne, facit sicuti terrenos, qui terrena sapiunt, qui in carne vivunt et non in spiritu; donec ipsi in hac degunt vita, sui juris sunt, ac libere agunt, fieri potest, ut vas honoris, idest bonus, vertatur in vas ignominiae in nova creatione, idest in futuro seculo, in novitate coeli et terrae, propter opera indigna in hac vita et ante obitum patrata. Item, qui in hoc seculo vir terrenus, nimirum malus, ob pravitates vas ignominiae reputatus fuerit, si se in hoc ipso tempore emendaverit, in futuro fiet, ut evadat spiritualis idest vas honoris; quemadmodum *in Epistolam ad Romanos* explicavit. Attamen veritus Origenes ne in praefatis verbis quidquam inesset obscuritatis, ab exemplis hoc amplius illustrat.

Scribit enim: « Et fortasse qui nunc sunt israelitae, si nobilitate sua indignam vitam egerint, ab illa decident, veluti ex vasis honoris in vas ignominiae mutati; et multi ex his, qui nunc aegyptii et idumaei sunt, israelitarum vita suscepta, ubi fructus uberes dederint, in Ecclesiam Domini ingredientur, neque inter aegyptios et idumaeos, sed inter israelitas numerabuntur; ita ut ex hoc pro variis voluntatis motibus, quidam a deterioribus in meliora procedant; alii a melioribus in deteriora delabantur; alii maneant in bonis, vel a bonis ad meliora proficiant: alii contra in malis haereant, vel ex malis effusa malitia pejores fiant. » Et haec omnia perspicue docet Origenes fieri et locum habere, dum in vita praesenti homines libere ex voluntate propria moti agunt, clare indicans, probos et improbos, et qui salvantur, et qui pereunt a Deo Opifice simul conditos esse, eosdemque suo arbitratu usos, servari vel perire in venturo seculo; etsi quibusdam privilegiis nonnulli a Deo in hoc aevo ornati videantur, et alii in oblivione quadam derelicti. Uti accidit israelitis, qui etsi praedilectione singulari fuerint prae aliis populis electi in hoc mundo a Deo, et ceterae gentes quasi derelictae; attamen in adventu Salvatoris, primi repudiati fuerunt ob eorum incredulitatem; et gentes in eorum locum per fidem successerunt. Et super hoc exemplum israelitarum

et gentium argumentationem suam collocavit Origenes ad humanae voluntatis adstruendum arbitrium, prae oculis habens, quae Apostolus discussit in capite XI. Epistolae ad Romanos.

Hisce positis, audiatur quid, praeter descripta secundum textum hujus pericopae a divis Basilio et Nazianzeno ex codicibus origenianis excerptae, audiatur, inquam, quid Hieronymus ex suo codice graeco locuturum inducit Adamantium, in Epistola ad Avitum n. 8 : « Ego arbitror posse quosdam homines a parvis vitiis incipientes ad tantam nequitiam pervenire (si tamen noluerint ad meliora converti, et poenitentia emendare peccata) ut et contrariae fortitudines fiant; et rursum ex inimicis contrariisque virtutibus in tantum quosdam per multa tempora vulneribus suis adhibere medicinam, et fluentia prius delicta constringere, ut ad locum transeant optimorum. Saepius diximus in infinitis perpetuisque seculis, in quibus anima subsistit, et vivit, sic nonnullas earum ad pejora corruere, ut ultimum malitiae locum teneant; et sic quasdam proficere, ut de ultimo malitiae gradu ad perfectam veniant consummatamque virtutem. » Quibus dictis, subdit Hieronymus, conatur ostendere (Origenes) et homines idest animas posse fieri daemones, et rursus daemones in angelicam redigi dignitatem. » Et quis poterit in his verbis interpolationi mentiri, quam malevoli et infidi in libros Origenis introduxere; a qua haud satis cautus Hieronymus Auctori exprobravit, quod is nunquam sensit nec docuit; eoque magis quod totus hic sermo non reperiatur in codice graeco Philocaliae?

Sed dicet aliquis, hunc paragraphum in Epistola ad Avitum notatum, a praedictis Patribus Basilio et Nazianzeno abrasum fuisse, quod manifesto et damnato errore scateret. Huic porro respondendum est ei, quod in Litteris ad Avitum indicavit Hieronymus consequenter praefato testimonio in his verbis desinente *et in omne opus bonum paratum*, addi *statimque subjungit* (*Origenes*) : *ego arbitror posse quosdam* etc. Quocum significatur, nullam intercedere locutionem ab una ad alteram sententiam; hanc nimirum, quam transgressi sunt Philocaliae Auctores. Praeterea iidem Patres in transcriben-

dis Origenis libris, cum nonnulla omiserint, quae proprio argumento parum profecisse videbantur, communi dicendi formula usi sunt, idest *post pauca: quibusdam interjectis: post alia;* seu similia. In hoc tamen loco ubi quaestio agitur, nullam transitionis notam inscripsere, ut erueretur quaedam ab iis praetermissa fuisse in hac transcribenda Origenis disputatione de libero arbitrio; ac propterea jure hanc pericopem habendam esse supposititiam, ac cujusdam graeci interpretis expositionem, sive glossam supra praecedentia elaboratam Origenis genuina verba, et in pravum sensum detorta. Quam expositionem Hieronymus haud falsationem codicis sentiens, in caput Auctoris vertit, quod is nunquam excogitavit; quinimmo tanquam absurdum respuit, condemnavitque in ceteris suis libris.

Nihilominus, ex quo hujusmodi additamentum probatum est glossam constituere praecedentis disputationis, silere nequeo, Ruffini quoque similem glossam insertam esse versioni, quantumvis praefatis amplius consonantem, quam Anonymus graecus egit, vertitque Hieronymus in citatis litteris ad Avitum. Ut autem quis sensum Ruffinianae glossae percipiat, ac inde conferens cum Hieronymi translatione, discrepantiam notet; legat quae Ruffinus ipse ex more suo paraphrastico in operibus Origenis transferendis adjecit ibidem ut videre est in Editione nova ex adverso Hieronymi versioni. Ita namque interpretatur Ruffinus: « Unde et arbitrandum est, possibile esse, aliquos, qui primo quidem a parvis peccatis caeperint, in tantam malitiam diffundi, et in tantum malorum venire profectum, ut nequitiae modo et adversariis potestatibus exaequentur: et rursum, si per multas poenarum graves animadversiones resipiscere aliquando potuerint, et paulatim medelam vulneribus suis requirere tentaverint, cessante malitia, reparari posse ad malum. Ex quo opinamur, quoniam quidem (sicut frequenter diximus) immortalis est anima et aeterna, quod in multis et sine fine spatiis, per immensa et diversa secula, possibile est, ut vel a summo bono, vel ad infima mala descendat, vel ab ultimis malis ad summa bona reparetur. »

In primis, quidquid sit de hac pericope, sive ipsa accipiatur paraphrasis aut interpolatio genuini graeci sermonis a Hieronymo latine translata, aut alteram acceperis Ruffino inscriptam, verum tamen est, utramque interpretationem, paucis mutatis, plurimum inter se convenire; sicuti quoque patet, quasdam continere obscuritates intellectu difficiles, speciatim in novissima ipsius paragraphi parte. Quod autem inde universim erui videtur, in eo maxime consistit, nequaquam ibidem ab Origene agi de hominibus in daemones versis ob eorum pravitates, nec vicissim de daemonibus vel contrariis virtutibus in homines mutatis, nec multo minus de animarum emendatione in vita futura per poenitentiam, quasi tunc, sicuti modo, esset resipiscentiae locus. Id non dicit Ruffinus in sua versione; nec multo minus tradit vetus Origenis graecus codex transcriptus a ss. Basilio et Nazianzeno.

Tantummodo translatores ex praemissis sumpto themate, latius Auctoris mentem exponentes, indicarunt, in hac vita homines, cum sui juris sint, a virtute ad vitium transire posse, et e contra: et amplius hoc obtinere, quamvis in malitiae profunditatem demersos, seu altissimum probitatis gradum assecutos; veluti sane cuique occurrit, verba cum sequentibus conferenti praecedentia. Quod porro vertit S. Hieronymus de hominibus in improbitates maximas lapsis, ita ut, nisi converti voluerint, virtutes aut fortitudines contrariae fiant, Ruffinus locutionem temperans, eosdem homines pravos dicit fieri posse, ut adversariis potestatibus exaequentur, cum tamen eis non desit arbitrii libertas se in melius convertendi.

Et si nihilominus expositio Ruffini dura tibi videatur, dicentis quandoque homines in pravitate sua exaequare daemones, non est ignoranda dictio hyperbolica apud veteres et recentiores vulgata, qua viri sancti *angeli* vocantur et quidem relative et non absolute, eodemque modo quo viri improbi et scelesti dicuntur *daemones*. Et hoc manifeste dicit Origenes *in Expositione Proverbiorum* edita ab Emo Majo c. XVI. nn. 40. 41 : « Istud ipsum Salomon quoque, ut arbitror, hoc effato significat, perversum quidem hominem dicens *satanam*. Transeuntes autem doli faces, eruditos ab illo

malos daemones vocat.... Vir iniquus diabolus est.... Adhuc vero multi hoc pacto improbi homines, patrem suum diabolum solent imitari. » Quin tamen propriam ad invicem mutent naturam.

Ceterum in hoc loco quaedam adhuc manent explicatu satis ardua, descripta in postrema pericopae parte: quae Hieronymus sic transtulit: « Saepius diximus in infinitis perpetuisque seculis, in quibus anima subsistit, et vivit, sic nonnullas earum ad pejora corruere, ut ultimum malitiae locum teneant etc. » Ruffinus vero sic reddidit: « Ex quo opinamur, quoniam quidem (sicut frequenter diximus) immortalis est anima et aeterna, quod in multis et sine fine spatiis per immensa et diversa secula, possibile est, ut vel a summo bono ad infima mala descendat etc. » Ista sane, inquam, non nisi ex praemissa Origenis argumentatione n. 13. signata, illustrari nequeunt. Inde enim, ni fallor, totius hujus pericopae amplissime explanabitur arcanum; et super hanc opinor, glossam graecam, a quo nescio, fuisse elaboratam, ac in perversum sensum furtive deductam. Atque eo lubentius hoc agam, illuc me transferens, quo magis ambo satis indicarunt, alibi Auctorem hujusmodi expendisse quaestionem.

Et re quidem vera, Origenes paulo ante n. 13. hujus libri III. haec notavit: « *Οὐκοῦν ἐγκαταλείπεται θείᾳ κρίσει ὁ ἐγκαταλειπόμενος, καὶ μακροθυμεῖ ἐπὶ τινας τῶν ἁμαρτανόντων ὁ θεὸς, ουκ ἀλόγως, ἀλλ' ὡς αὐτοῖς συνοίσοντος ὡς πρὸς τὴν ἀθανασίαν τῆς ψυχῆς καὶ τὸν ἄπειρον αἰῶνα, τοῦ μὴ ταχὺ συνεργηθῆναι εἰς σωτηρίαν, ἀλλὰ βραδιον ἐπὶ ταύτην ἀχθῆναι μετὰ τὸ πειραθῆναι πολλῶν κακῶν*: Idest, non igitur reservatur divino judicio, sive damnationi ille, qui derelinquitur; et patienter agit Deus circa aliquos peccatores. Hoc autem non sine ratione, sed utpote ipsis eo expediente, ut, propter animae immortalitatem et interminabile tempus, non cito (anima) coadjuvatur ad salutem, ast tardius ad eam abduci, postquam ipsa multa mala passa est. Sicuti enim medici, cum celerius curare possint, si abditum in corpore venenum suspicentur, contrarium curationi faciunt, idque, quia certius curare volunt. Putant enim praestare, ut diutius in tumore vulnerum et labore aeger haereat, quo firmiorem

sanitatem percipiat, quam ut celerius convalescere videatur, postea vero in morbum recidat, et temporaria sit celerior illa curatio. Hoc modo et Deus, qui novit occulta cordis, et futura praevidet, per patientiam forte permittit fieri quaedam: et per ea, quae extrinsecus incidunt, occultum malum extrahit, ut expurget eum, qui per negligentiam semina in se peccati receperit; utque is, cum haec ad superficiem venerint, et ea evomuerit, licet in gravissimis malis fuerit, postea adhibitis consuetis post peccati morbum remediis, in meliorem statum restitui possit. Deus enim animas nostras non ad quinquaginta, puta, annos hujus vitae; sed ad aevum sempiternum dispensat. Incorruptibilem enim fecit naturam intelligibilem, sibique cognatam; neque a curatione in hac vita, rationalis anima excluditur. »

Quisquis autem haec sedulo percurrat, non tantum argumenti principalis de hominis arbitratu analogiam perspiciet cum iis, quae in n. 21. notantur a divo Hieronymo et a Ruffino, et desiderantur in Philocalia; verum etiam eamdem putabit quaestionem circa Dei providentiam; quae peccatores in malitia aliquando versari, persistere, et quasi sopire sinit, ut amplius in bonum sentiant conversionis necessitatem divinamque clementiam; et ita resipiscentes perseverent in animi rectitudine et virtutis studio. Argumentum porro in utroque paragrapho 13. et 21. tam connectitur, ut videatur ex uno ad alterum translata quaestio, et exposita juxta ordinem verborum eumdem et scopum. Idcirco, quae reapse in amborum et Hieronymi et Ruffini versione, vel obscura, seu absurda quoque apparent, praesertim in fine ubi dicitur: *cum immortalis sit anima et ad infinita secula permansura,* aut *per immensa spatia, aeternaque vivat;* si tamen ista iis conferantur, quae in n. 13. discussa sunt ab Auctore, et obscuritas tolletur et evanescet absurdum; dogmatisque origeniani reparabitur sinceritas.

Cum itaque in paragrapho 13. legimus, patienter agere Deum erga nonnullos peccatores, eosque ideo deserere in peccatis; hoc, inquit, non sine expedienti facit. Cum enim immortalis sit anima et in aevum sempiternum duratura, curam hanc gêrit Deus in hac vita salutis ipsius, ne in aeternum pe-

reat, medici instar, qui de corporis valetudine sollicitus, quandoque pharmacum adhibere cunctatur melioris spe futurae curationis. Et in hoc quisque percipit, nihil absonum in hujuscemodi sermone reperiri a veritate; quinimmo cuncta recto incessu dogma pertingere de aeternitate poenarum in altero seculo, quacumque inde redemptionis spe amissa. Haec autem docet Origenes, summam Redemptoris charitatem in creaturas rationales extollens, qui *mortem peccatoris non vult, nec delectatur in perditione viventium; sed ut convertantur et vivant*. Cumque rationabilem creaturam incorruptibilem creaverit, atque ad interminabile tempus permansuram illius animam, haud huic consuluit pro hujus brevis vitae spatio; sed pro sempiternis in altera vita seculis sollicitus ejus est, quam creavit ad imaginem et similitudinem suam. Et hic totus et planus est Origenis sermo sive 13. sive 21. paragraphum animadvertas, adeo ut quacumque abstineas in eumdem criminatione.

Ad hanc quaestionem quoque pertinet quod adversarii Epiphanius et Hieronymus objiciunt Origeni, u ipote docenti, in Adamo peccatore periisse imaginem Dei, ad quam conditus erat. Epiphanius in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum scribit: « Inter multa enim mala, etiam illud ausus est dicere, perdidisse imaginem Dei Adam, cum hoc in nullo penitus loco scriptura significet. » Per illam porro amissionem divinae imaginis, indicat periisse in homine scientiam et cognitionem divinae voluntatis animo suo impressam, ac cum ea quoque arbitrii privilegium; et id ad peccati sui poenam.

Quamvis autem oppositores, unde hanc eruerint insimulationem, sileant; tamen valde probabile est, ipsos ex Homilia I. *in Genesim* n. 13. eam desumpsisse. Ibi enim dicit Origenes: « Salvator noster . . . videns eum (hominem) deposita sua (Dei) imagine, maligni imaginem induxisse etc. » Verumtamen sive ex his sive ex aliis dicendi hujus generis formulis, praefati viri culpam in Origene repererint, non satis habent vis, ut dicatur errasse. Quinimmo perspicua testimonia huic imputationi contraria in suis libris occurrunt: quorum quidem nonnulla hic inserentur, ut inde quae opponuntur, diluantur.

In libro II. *Periarchon* c. XI. n. 4. inquit : « Sicut oculus naturaliter lucem requiret et visum ; et corpus nostrum escas et potum desiderat per naturam : ita mens nostra sciendae veritatis Dei, et rerum noscendi causas proprium et naturale desiderium gerit. Accepimus autem a Deo istud desiderium, non ad hoc ut nec debeat unquam, nec possit expleri : alioquin a conditore Deo menti nostrae frustra videbitur amor veritatis insertus, si nunquam desiderii compos efficitur. Unde et in hac vita, qui summo labore piis studiis ac religiosis operam dederint, quamquam parva quaedam ex multis et immensis divinae scientiae capiant thesauris ; tamen hoc ipsum, quod animos suos mentemque erga haec occupant, atque in hae semetipsos cupiditate praeveniunt, multum utilitatis accipiunt ex hoc ipso, quod animos suos ad inquirendae veritatis studium amoremque convertunt . . . . Unde constat habentibus deformationem quamdam in hac vita veritatis et sciëntiae, addendam etiam esse pulchritudinem perfectae imaginis in futuro. » Cum ideo inquit Origenes insertum menti nostrae amorem sciendae veritatis, et hoc desiderium proprium et naturale in homine vigere adhuc et agere; quid in hac veritatis cognitione consideres, nisi impressam in creatione Dei imaginem? quae quamvis post reatum Adami obscurata, manet tamen in nostra natura. Hanc porro hominis capacitatem describit amplius in Libro VI. n. 63. contra Celsum, inquiens :

« Reliquum est igitur, ut quod secundum imaginem Dei factum est, id intelligatur esse *in homine interiori*, ut vocamus, *qui renovatur*, et idoneus est fieri secundum imaginem Conditoris. Quod tum accidit, cum aliquis perfectus sit, *ut Pater coelestis perfectus est* : cum praecepto isti obtemperat : *sancti sitis, quoniam ego sanctus Dominus Deus vester* ; cum edoctus istud: *estote imitatores Dei*, suscipit in sua anima virtutibus ornata, Dei characteres. Immo templum Dei est corpus ejus, qui habens hujusmodi animam, et factus secundum imaginem Dei, Deum ipsum in anima suscepit. » Praeclare insuper *in Joannem* Tomo XX. 20. ostendit adhuc in nobis superesse Dei imaginem, et cum ea agere, quae recta sunt, etsi ad inferiora trahamur ob appetitum carnis : « Nostra vero prin-

cipalis substantia in ea parte est, quae est ad similitudinem Dei creatoris : altera vero ex culpa in figmento, quod a pulvere terrae sumptum est; atque equidem si obliti veluti substantiae melioris, quae in nobis est, ei figmento, quod est a pulvere, subdiderimus nos ipsos, pars etiam praestantior imaginem terreni sumet. Sin vero intelligentes, quod factum est ad imaginem, et quod sumptum est a pulvere terrae, inclinaverimus ad hunc, ad cujus imaginem facti sumus, erimus etiam ad similitudinem Dei. » Plura hujusmodi pro argumento seligere quis potest ex Origenis scriptis; quibus apertissime probatur, frustra Hieronymum et Epiphanium in Auctore reprehendisse, quae ipse non sensit de divinae imaginis amissione in Adamo.

His positis, unde digressi sumus, revertamur Geneseos verba scrutatum; ubi visus est Origenes a veritate defecisse : « Ad hujus ergo imaginis similitudinem homo factus est; et propterea Salvator noster, qui est imago Dei, misericordia motus pro homine, qui ad ejus similitudinem factus fuerat, videns eum deposita sua imagine, maligni imaginem induxisse, ipse misericordia motus, imagine hominis assumpta, venit ad eum, sicuti Apostolus contestatur etc. »

Interea praemittantur, quae ait Origenes in definitione vocabulorum *imago, et similitudo Dei*, in quibus creatus est homo: « Is autem, qui ad imaginem Dei factus est, et ad similitudinem, interior homo noster est, invisibilis, et incorporalis, et incorruptus et immortalis. In his enim talibus Dei imago rectius intelligitur. » Ideoque cum dicit hominem lapsum maligni imaginem induisse, indicat primum peccati (quod est in carne nostra et quod est inimicus noster) effectum, idest corruptionem, mortalitatem ac ceteras animi aegritudines et corporis, quas super se et super posteros induxit Adam culpabilis. Secundo cum ait Adamantius, *deposita divina imagine, maligni imaginem induxisse,* non comprehendit totam penitus amisisse Adamum divinam imaginem, idest scientiam Dei, veritatis cognitionem, et hinc arbitrii jura in boni et mali notione et electione, adeo ut non posset homo, etiam ante Redemptoris adventum, a malitia converti ad bonitatem, quasi divinae voluntatis ignarus. Et ob hoc paulo deinde subdit :

« Sed nemo desperet videns similitudinem suam magis esse cum diabolo, quam cum Deo, posse se iterum recuperare formam imaginis Dei, quia non venit Salvator vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam. Matthaeus publicanus erat, et utique imago ejus diabolo similis erat, sed veniens ad imaginem Dei, Dominum et Salvatorem nostrum, et sequens eum, transformatus est ad similitudinem imaginis Dei. »

Ceterum cum dicit, Adamum per peccatum, deposita Dei imagine, maligni imaginem induxisse, praestantiam indicat hominis animalis super hominem spiritualem; unde ajebat Apostolus: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in legem peccati, quae est in membris meis*. Attamen ad Ephesios scribens c. IV. 21. eos hortatus ad poenitentiam, inquit: *in ipso Christo edoctos deponere vos secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris; renovamini autem spiritu mentis vestrae*, significans hominem etsi divinam deposuerit imaginem, posse tamen denuo, uti in suo jure, recipere eam. Denique siquid durum tibi appareat in citata Homilia, legas, quae in altera XIII. 4. de eadem re excutit; ubi mentem suam amplius manifestat Origenes: « Cum enim faceret hominem ex initio Deus, ad imaginem et similitudinem suam fecit eum: et hanc imaginem non extrinsecus sed intra eum collocavit. Haec in te videri non poterat, donec domus tua sordida erat, immunditiis et ruderibus repleta. Iste fons scientiae intra te erat situs, sed non poterat fluere, quia Philistiim repleverant eum terra, et fecerant in te imaginem terreni. Sed tu portasti quidem tunc imaginem terreni, nunc vero his auditis, ab illa omni mole et oppressione terrena per Verbum Dei purgatus, imaginem coelestis in te splendescere facito. Haec ergo imago est, de qua dicebat Pater ad Filium: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Filius Dei est pictor hujus imaginis. Et quia talis ac tantus est pictor, imago ejus obscurari per incuriam potest, deleri per malitiam non potest. Manet enim semper imago Dei in te, licet tu tibi ipse superducas imaginem terreni etc. »

Ex his omnibus manifeste constat rectus Origenis sensus in expositione dogmatis de libero arbitrio, sicuti de consectariis in eodem argumento circa imaginem Dei homini impressam; nec inde cum eo Ruffinus, qui ejusdem transtulit libros, quasi levis interpres culpandus est. Sed potius levitas priscorum interpretum reprobanda (non Epiphanii nec Hieronymi dicam) sed illorum commentaria, qui superficiali et levissimo studio, ni velis malitioso, scripta percurrerunt Origenis, accusandi, conviciandique potius quam ex eisdem proficiendi sollicitudine moti.

CAPUT XXX.

Cetera s. Hieronymi et Huetii praesertim diluuntur argumenta, quibus putarunt Origenem reprobare errantem in dogmate de libero arbitrio.

Deinceps cum plura adhuc maneant discutienda ab Origenis adversariis lata, ceu in catholicum sensum de libero arbitrio pugnantia, de istis, cui libuerit, consulat Huetii *Origeniana* in Libro II. Quaestione VII; ac praesertim notas eisdem adsertas. Quaedam tamen, unde oppositores admodum videntur offensi, brevi arbitror discurrere expositione. Et haec notantur ab Huetio in n. 18. ejusdem Quaestionis, ubi scribit: « At vix ullam admittit excusationem, quod ab eo (Origene) dictum est Tomo XII. *in Matthaeum* n. 23. ubi hoc Christi ad Petrum exponens: *scandalum mihi es*, quaerit quomodo stare illud possit cum isto Prophetae: pax *multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*: et isto Apostoli: *charitas numquam excidit:* respondetque non Servatorem modo, sed eum, qui in charitate perfectionem adeptus est, scandalo obnoxium non esse, sed eum tamen, qui peccat, quantum in se est, scandalum huic praebere. »

Quid autem haec arbitratui officiant hominis, idest cum ait Origenes, nedum Jesum scandalum pati, sed nec hominem in dilectione Dei perfectum, non video. Communis namque sententia est, virum perfectum non scandalizari: attamen non inde sequitur tolli arbitrium voluntatis suae, quae semper manet libera in cogitationibus et actibus suis. Haud absolute ibi loquitur Origenes de homine, qui perfectionis apicem tetigerit, sed relative ad eos, qui divina gratia roborati, se munierint a pravis cogitationibus, adeo ut peccare nequeant. De Noe, dicit Scriptura: *Noe vir justus et perfectus fuit in generationibus suis, coram Deo ambulavit.* Item: *si vis perfectus esse, vade vende quae habes et da pauperibus.* Quasi diceret Origenes, omnem, qui diligit Deum charitate perfecta, impossibile fieri, ipsum scandalum pati; quippe charitas nunquam excidit; et cum nunquam exciderit, qui

habet charitatem, alteri dicere potest: *scandalum mihi es*, sed ego nunquam scandalizabor. Ac dummodo maneat charitas perfecta in homine, cum ipse ex arbitratu ita voluerit, adversus tentationes quotidie pugnat; ac nunquam offendent ad lapidem pedes sui.

Nihilominus pergit Huetius contra Origenem inquiens: « Damnosum vero penitus istud quod habetur in eodem Tomo XII. n. 4: « ὁ ὢν ἀναμάρτητος qui ergo peccato obnoxius non est, neque amplius sacrificiis legalibus indiget, fortasse postquam perfectionem assecutus est, spiritalem etiam legem praetergressus est; et ad Verbum, quod supra illam est, pervenit, quod iis, qui in carne vivunt, caro factum est etc. » In hoc autem loco antea sciendum est, ibidem desiderari veterem latinam Interpretationem, unde et genuinus Auctoris sensus lucesceret, cum de Graecae Editionis, ut alibi superius dictum est, sinceritate valde dubitandum sit. Attamen si ex hac lectione arguendum sit; nec Origenis fides imminuitur, nec ejusdem sensus vagatur extra veritatem de hominis in hac vita degentis arbitratu. Origenes namque ex Christi verbis: *generatio mala et adultera signum quaerit* etc. tropice locutus, et apostolica dicta ad Romanos c. VII. citans: *legem in homine dominari quanto tempore vivit*: *nam quae sub viro est mulier*, *viventi alligatam esse viro*, *qui est lex*, ita ait:

« Adverte quippe in his, legem dominari homini, quamdiu vivit lex, quemadmodum vir uxori. Nam viro subdita uxor, anima videlicet, quae est sub lege, viventi alligata est viro, qui est lex. Si autem mortuus fuerit vir, hoc est lex, liberata est a lege, quae est vir. Moritur autem lex ei, qui ascendit ad beatitudinem, nec amplius sub lege vivit. Sed idem facit, quod Christus, qui etiamsi legi se subdiderit propter eos, qui sub lege sunt, ut eos, qui sub lege lucrifaceret, neque mansit sub lege; neque legi subjacere passus est, quos in libertatem vindicaverat. Hos enim secum ad divinum vitae institutum evexit, quod est supra Legem; quae sacrificia pro peccatorum remissione, utpote pro minus perfectis atque etiamnum peccantibus, continebat. Qui ergo ἀναμάρτητος sine peccato, nec amplius indigens sacrificiis legalibus, perfectus praetergressus est fortasse etiam legem spiritalem, et

factus est super illam in Verbo, quod pro illis, qui in carne vivebant, caro factum est etc. »

Quid sane in hoc Origenis sermone damnandum sit ex Huetii opinione, ceu a veritate dissonum, non apparet. Ac interim nos non lateat vocem ἀναμάρτητος ibidem nequaquam proprie sibi velle *haud peccato obnoxius*, neque *impeccabilis*. Id autem decernitur ab Evangelista Joanne de historia adulterae c. VIII. n. 7. ubi Christus ait ad Scribas et Pharisaeos: ὁ ἀναμάρτητος i. e. *qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Deinde totius pericopae sensum scrutati, Origenem reperiemus disserentem de muliere viro alligata, tropice ea verba comprehendere; adeo ut sub vocabulo *vir* intelligat *legem peccati*, cui obnoxia fit uxor, idest anima, usquedum vir sive lex carnis peccati maneat. Duae enim, antea dixit, leges sunt: una quae dicitur lex peccati, altera lex mentis. Cum autem venerit Christus, dissolvit legem peccati, ac in libertatem traduxit eos, qui sub lege peccati erant: eosdemque exemptos a lege carnis peccati, ad perfectionem evexit.

Ideoque subdit: « *qui ergo* ἀναμάρτητος *sine peccato*, nempe sine lege peccati, quippe per fidem Jesu Christi baptismatis fonte renatus in libertatem filiorum Dei, *non amplius indiget legalibus hostiis*: quae, ut ait Apostolus, non poterant juxta conscientiam perfectum facere servientem; *sed legem spiritalem assecutus*, *ad Verbum*, *quod legem illam superat*, *pervenit*: *quod pro iis*, *qui vivunt in carne* peccati, *factum est caro*. Quapropter concludit: « Tria igitur in animum inducenda sunt circa hunc locum: mulier subdita viro, viro nempe, qui est lex, et mulier adultera, anima videlicet, quae, vivente viro, viro alteri, legi nempe carnis se se applicuerit; et mulier, quae demortui viri fratri nupserit, vivo scilicet et nunquam interemerituro Verbo: quod postquam resurrexit a mortuis, non moritur; *mors enim illi ultra non dominabitur*. » Et ex his praemissis Huetii cernito illusionem in sensibus Origenis corripiendis.

Item putat Huetius christiano dogmati contraire de hominis arbitratu, quae scribit Origenes in Tomo XV. ejusdem commentarii in *Matthaeum* n. 17: « Iste, qui mutavit pro

divitiis paupertatem ut fiat perfectus, credens sermonibus Christi, adjuvabitur ratione, sicut apostoli Christi, ut sapiens fiat in eo, ut magnanimis, ut justus, ut castus, et absque omni prorsus passione. Non tamen debemus intelligere ita, ut ipsa die vel in ipso tempore, quo tradiderit bona sua pauperibus, efficiatur omnino perfectus. Sed consequenter ex illa quidem die incipiet speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes, ut incipiat ex eo proficere sicut Isaac propter adjutorium Dei collatum in se; et magis crescet per singulos dies, donec adjutus sicut Isaac, magnus efficiatur valde in omni virtute, omni videlicet malitia avulsa de anima illius. Et sic qui hanc expositionem defendere voluerit, dicere non cogetur perfectum fieri hominem per hoc ipsum, quod tradiderit bona sua pauperibus, alias delinquentem. »

In his autem, cum prius sit animadvertenda gratia Dei actus humanos praeveniens, hosque ad rectitudinem adjuvans, uti dicit de Isaaco, qui mediante divino adjutorio profecerat in virtutes, noveris deinde ea maximam continere affinitatem superius discussis, nec ideo arbitrio officere hominis. Qui enim in vivis degit, quamvis omnibus virtutibus cumulatus, ex ipsa arbitratus natura, decidere potest, sicuti et qui in peccati profunditates dejectus, ascendere item potest, mutato consilio. De hoc vero disserere non fuit ejusdem Origenis sensus. Tantummodo ibi progressum discutit, quo quis christianam assequitur perfectionem, Christi apostolis assimilatus, omnes pariter excolens virtutes; quibus pedetentim ad summitatem charitatis ascendit, qua divinitus ardens, carnis illecebras, daemonum fraudes, mundique tentamina superat: veluti dicit Apostolus ad Hebraeos c. V: *perfectorum autem est solidus cibus, horum nempe, qui propter assuetudinem sensus habent exercitatos ad discretionem boni pariter et mali*. Ex hoc tamen gratiae triumpho in hominis voluntate non sequitur tolli ipsius arbitrium, donec in hoc corpore maneat. Quod paulo ante docuit Origenes de eo, qui bona sua distribuit pauperibus, ut *ita fieret perfectus, quamvis aliquas* (*quod humanum est*) *habuerit passiones*.

Itaque Libro III. *in Epistolam ad Romanos* n. 2. dicit: « Quia usque dum quis vivit in corpore, justificari non po-

test, nec pronunciari justus, sed cum exierit a corpore, et de vitae hujus agone discesserit .... Et revera cum Apostolus ex parte se dicat agnoscere et ex parte intelligere, quis erit, qui dicatur intelligens? Quantumcumque enim quis intellexerit; in speculo et in aenigmate videbitur intelligere: quia post depositionem terreni corporis refertur facie ad faciem intelligere. Nunc vero, ut ait Scriptura: *corruptibile corpus aggravat animam, et demergit terrena habitatio sensum multa cogitantem*. Unde fit, ut non sit intelligens quis, nec requirens Deum. Dum enim corporis sollicitudinibus occupamur, et quae hominis sunt quaerimus: Deum quaerere vel quae Dei sunt, cogitare non possumus. » Quae sane ceteras temperant Origenis sententias, quae videbantur hominis arbitrium laedere in virtutum exercitio, earumque perfecta consecutione in hoc mundo.

Item in Libro VI. n. 3. ex eisdem Sapientiae verbis: *corruptibile corpus aggravat animam* etc. arguit: « Unde et in praesenti vita puto, quod formam atque umbram virtutum tenere possimus; ipsas vero virtutes, tunc cum venerint illa, quae perfecta sunt. Et ideo justus nunc magis, ut mihi videtur, in umbra virtutum, quam in ipsis virtutibus vivit.... Proindeque in umbra justitiae et in umbra sapientiae, et in umbra veritatis vivimus, etiamsi justi et sapientes et veritatis amatores esse videamur. » Et haec omnia discutit consequenter in Libro III. *De Principiis* haereticos vellicans, huic dogmati de hominis arbitratu adversatos: ubi post plures investigationes statuit: « Manifeste ergo, inquiens, et ex multis indiciis demonstratur, quod anima humana dum in hoc est corpore, recipere potest diversas energias sive inoperationes spirituum diversorum, malorum et bonorum. »

Nihilominus haud silentes Origenis adversarii, novum de Pelagianismo illum insimulandi praetextum investigarunt ex Libro V. n. 10 in eamdem *Epistolam ad Romanos*, et speciatim ex sequentibus: « Si enim, ait Origenes, in id anima perfectionis ascenderit, ut ex toto corde suo, et ex tota anima sua et ex totis viribus suis diligat Deum et proximum suum tanquam seipsam, ubi erit peccati locus? Idcirco denique et in Lege hoc dicitur, primum esse mandatum, et in Evange-

liis supra cetera omnia de charitate mandatur, et Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut super petram fundaret Ecclesiam, nullius alterius ab eo virtutis confessio, nisi charitatis exigitur; et Joannes cum multa de charitate, tum etiam hoc dicit, quia: *qui manet in charitate in Deo manet.* Et ideo merito charitas, quae sola omnium major est, omnem creaturam continebit a lapsu, quando *erit Deus omnia in omnibus.* Ad hunc namque perfectionis gradum ascenderat Apostolus Paulus, et in hoc stans confidenter dicebat: *quis enim nos separabit a charitate Dei, quae est in Christo Jesu? tribulatio? an angustia? an persecutio?* .... Et iterum: *certus sum enim, quia neque vita, neque mors .... nec creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Domino nostro.* E quibus omnibus evidenter ostenditur, quia si haec omnia, quae enumeravit Apostolus, separare nos non possunt a charitate Dei, cum in illud quis culmen perfectionis ascenderit; multo magis libertas arbitrii nos ab ejus charitate separare non poterit. » Haec cum notaverit Huetius uti catholico sensui adversata, addit: « Verum ista a Ruffino interprete, quem a pelagiano fermento sibi satis non cavisse nemo nescit, inquinata fuisse possumus suspicari. »

In hac pericope circa dubium Huetii de ejusdem corruptione per Ruffini calamum, praemittendum est, Ruffinum ipsum fortasse, cum brevis esse laboraverit in versione horum commentariorum, obscurum fuisse: et hoc non inficior. Quod vero data opera, illum depravasse Origenis mentem, hanc trahentem ad haereticum Pelagii sensum, vix admitti posse videtur. Ac interim, ceteris lectoris judicio remissis, solummodo nosse interest, Huetium ceterosque Origenis adversarios, cum hinc praetextum repererint unius vel alterius culpandi, minus caute citata Origenis verba diluisse.

Ac primum eos rogo, de quali perfectione ibidem loquitur Origenes? Ad quem hominis statum hujusmodi perfectionem refert, adeo ut amplius ab ea non deficiat? Ad quale tempus? De praesenti, an de futuro seculo agit Auctor? De proborum perfectione in praesenti vita, cum adhuc quotidie sit peccandi locus, an in altero seculo, ubi bene aut male me-

rendi cessabit virtus? Istud quidem sedulo eis animadvertendum erat, ne illuderentur.

Origenes itaque ordinatim apostolicos sensus exponens, praefatas discussiones exegit ex iis, quae loquitur Paulus in c. VI. nn. 8. 9. 10: *Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia et convivemus ei, scientes quia Christus surgens a mortuis jam non moritur; mors ei jam ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.* In his, inquam, discutiendis, et praesertim: *si mortui sumus cum Christo,* triplicem mortis Christi rationem docet in hominibus habendam esse. Primam habendam esse ait per confessionem fidei christianae; secundam in mortificatione membrorum nostrorum, quae sunt super terram; tertiam rationem habendam, cum resurgimus a mortuis, atque in novitate vitae ambulamus: « Et ut brevius, addit, ac lucidius explicemus, prima dies mortis est renunciasse seculo; secunda, renunciasse etiam vitiis carnis: plenitudo vero perfectionis in lumine Sapientiae tertia resurrectionis est dies. » Quae distinctio, ut vides, propositum juvat, ac potissimum, ubi perfectionem christianam distinguit ab ejusdem perfectionis plenitudine. Quod idem valet, uti ajunt theologi, ac perfectionem relativam, et absolutam. Quae postrema, jure ipse ait, non nisi post mortem obtineri potest, cessantibus carnis dissidiis, quae modo quotidie contra nos pugnant.

Hinc praeteriens Origenes, inque verba incidens Apostoli: *mors ei ultra non dominabitur,* de quibusdam valde miratur: « Qui contra hanc evidentissimam Pauli sententiam volunt asserere, quod in futuris iterum seculis, vel eadem vel similia necesse sit pati Christum, ut liberari possint etiam hi, quos in vita praesenti dispensationis ejus medicina sanare non potuit. » Et ibi subdit horum argumentum, qui arbitrabantur, repetendas esse in futuris seculis Christi dispensationes ad eorum salutem, qui in praesenti seculo non fuere sanati; et istud argumentum humano arbitratui innitebatur: *libertas arbitrii,* ajebant, *semper naturae rationabili permanebit. Et sicut possibile fuit, etiam illum, qui pro splendore gloriae Lucifer erat, et propter lumen scientiae mane oriebatur, commutari de glo-*

ria sua et effici tenebras propter malitiam etc.... ita potest fieri ut in quocumque statu fuerit anima, et in quacumque perfectione virtutum, quoniam virtus mutabilis est, lapsum possit incurrere, ut sicut a vitiis ad virtutem, ita et a virtutibus inclinetur ad vitia etc.

Talia haeretici objiciebant: unde cuique perspicere fas est, Origenem, objectiones eorum de hominis arbitratu in vita futura explodentem, eorumque vestigia sectatum persequi; nec ideo eidem licuisset haereticos confutare extra ipsorum objecta vaganti. Aliter enim in eos frustra dimicasset. Quapropter, quae contra illorum sensum collegit argumenta Origenes de permanente arbitrio hominis probi in futuro seculo, perfectionis culmen assecuti, ita solum, ut nulla ratione deficere ab ea, etsi sui juris, nec unquam peccare possit, exponenda sunt. Et istud revera sibi vult Origenes in praefato sermone; quem Huetius ceterique uti Pelagianismo redolentem, summa Auctoris injuria confutarunt.

Origenis itaque dicta (illis praemissa, ab Huetio reprobatis) huc revocantes, perspicue cernimus haud de vitae praesentis perfectione loqui Auctorem, quinimmo de futura: « Quid autem sit, quod in futuris seculis teneat arbitrii libertatem, ne rursus corruat in peccatum, brevi nos sermone Apostolus docet: *charitas nunquam cadit.* Idcirco enim et fide et spe major charitas dicitur, quia sola erit, per quam delinqui ultra non poterit, idest in futuris seculis. » Item ad futurum seculum necessario referenda sunt, quae postea scribit: « Et ideo merito charitas, quae sola omnium major est, omnem creaturam continebit a lapsu; tunc *erit Deus omnia in omnibus.* » Quando Deus scilicet, devicta morte, omnes excitaverit ad vitam futuram.

Insuper hoc magis adstruitur, cum Origenes Apostoli charitatem commendans, per quam confidenter dicebat: *quis enim nos separabit a charitate Dei, quae est in Christo Jesu etc.* ex hoc ita argueret: « Quia si haec omnia, quae enumeravit Apostolus, separare nos non possunt a charitate Dei, cum in illud quis culmen perfectionis ascenderit; multo magis libertas arbitrii nos ab ejus charitate separare non poterit. Quamvis enim sit etiam ista virtus (arbitrii) et maneat in

natura; tamen tanta charitatis vis est, ut ad se omnia trahat. » Quasi diceret: siquis in vita praesenti illud perfectionis culmen ascenderit, quo Paulus pertigit, adeo ne unquam, sicut ipse, separetur a divina dilectione: multo magis in vita futura beati, coelestique gloria participes, etsi sui juris ibi sint, tamen a charitate Dei nunquam decidere possunt; nec ideo unquam peccare. Denique concludit Origenes, et ait: « Haec prout potuimus, ad ea, quae hoc loco commota sunt, diximus, ut manifestius claresceret, quomodo semel Christus mortuus est peccato, et ultra jam non moritur; et quia, quod vivit, vivit Deo. » Unde explet confutationem asserentium futuris seculis, in homine permanente arbitrio, fore ut aliquando peccare possit, quamvis coelestibus donis cumulatus. Et istud totum est, quod exquirit Origenes in testimonio ab Huetio citato ceu Pelagianismi semen praeferenti.

De reliquo, etsi ibidem, ut vidimus, Apostoli in Deum charitatem, quam in vita sua excolebat, in exemplum tradat Origenes dilectionis illius, qua beati fervescent in vita futura, praeter illud, quod ait a minori ad majus, ut inde ostendatur, perfectionem christianam in hoc seculo, quantavis sit, et par sit illi, qua arsit ipse Paulus, tamen minorem haberi charitate beatorum in coelis. Ad incertum enim semper currit homo in praesenti seculo, et ex adverso securos se habent sancti in vita sempiterna per speciei divinae celsitudinis perennem contemplationem. Dein et illud addendum est, Origenem ipsum tanquam privilegium, munusque speciale existimare Apostoli charitatem: qua valde ardescens confidenter ajebat, nullam creaturam se posse ab ipsa charitate separare. Hoc autem opportune animadvertit Homilia II. n. 3. *in Librum Judicum* ex praefatis Apostoli verbis, inquiens: « Sed Paulus hic est, qui potuit haec ita dicere, quia neque praesentia, neque futura, neque creatura alia eum separare potest a charitate Dei. Nos autem atque utinam vel hoc dicemus, quia neque aurum, nec argentum nec voluntas carnis, neque gloria seculi etc. poterit nos separare a charitate Dei. »

Novissime in Tractatu XXXV. *in Matthaeum* n. 81. idem sentit, apostolorum responsum: *nunquid ego sum, Domine*, in-

terpretatus: « De omnibus futuris, ait, timendum est nobis, qui nondum sapientiam perfectionis accepimus, secundum quam dixit Apostolus: *confido enim quia neque mors neque vita etc. potest nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu.* Qui autem nondum perfectus est, dubitat de seipso, quasi posset et cadere. Secundum quam infirmitatem, scribens Corinthiis dicebat: *sed castigo corpus meum, et servituti redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar*, sic pronunciat quasi timens, ne forte et cadere possit, et reprobus fieri. Quod autem dixit: *confido* etc. confidentis hominis infirmi est propter suam perfectionem, quoniam mille contraria separare eum a charitate Christi non valeant. »

Rursus attamen suas urgent adversarii contestationes contra damnosos Origenis sensus de libero arbitrio, praetexentes, quod iste in Tomo XV. n. 6. notavit, ejusdem Evangelistae Matthaei verba excutiens: *tunc oblati sunt ei pueri, ut manus eis imponeret.* Quae ex more suo Auctor expendens varimode, haec ait: « Voluntas autem offerentium pueros, est ut manus eis imponat Jesus et oret. Oratio enim Jesu Christi, et tactus ejus, pueris et infantibus, qui non possunt audire, quae jam spiritales audiunt, sufficit ad auxilium eruditionis eorum. Apprehendit enim eos virtus Jesu Christi, cum manus suae speculationis posuerit super eos; et jam nullum malum eos contingit. Forsitan autem, quantum ad textum, etiam offerentium ei pueros et infantes, voluntas hujusmodi erat, considerantium, quoniam impossibile est, ut postquam Dominus tetigerit pueros vel infantes, et per tactum eis dederit divinam virtutem, aut daemonium (aut) aliquod tangere eos possit. Existimo autem, quoniam multae malignae virtutes circa hominis animam ab initio vacantes (sint) jugiter et insidiantes, ideoque offerebant ut tangeret eos, quasi jam ex praecedentibus virtutem ejus experti, qui offerebant pueros vel infantes Salvatori. Quoniam per impositionem manuum ejus, et per orationem ejus pro pueris et infantibus factam, et per tactum ejus repelluntur mala. Virtus enim facta in eis, non solum ad praesens sufficiens est custodire, verum etiam in posterum quasi prohibitoria constituta, tactum contrarium repellet ab eis. » Ex his dictis persuasum indu-

xerunt Origenem, *pueros, quibus manus imposuit, jam amplius daemonum assultibus, vel peccati illecebris percelli non posse ;* et sic errasse putarunt.

Cum autem hujusmodi illatio non videatur mihi legitima nec Auctoris sensibus consentanea (relicto graeco Huetii textu, de cujus integritate dubitandum est, uti suo loco diximus) sciendum est primo, Origenem in eo sermone non ex mente sua loqui, sed illorum, pueros Jesu offerentium, ut eos tangeret. Ideoque sive bene, sive male, seu lato, aut stricto sensu de tactus hujusmodi effectibus cogitarent, qui pueros obtulerunt, id in eosdem offerentes vertendum est. Isti enim considerarunt fieri non posse, ut daemonium, tactis a Jesu pueris, illos iterum contingeret. Et hoc, addit Origenes, ipsos offerentes putasse ob praecedentes virtutes, quas experti erant in Jesu, qui multos a daemone vexatos curaverat.

Secundo, Origenes non dicit manifeste, pueros a Jesu tactos evadere perpetuo a *peccati illecebris.* Haec enim verba ex ingenio proprio addita sunt ab adversariis. Auctor tantummodo loquitur de malo, de daemone, de malignis virtutibus, quae homini insidiantur ab ipsa nativitate: a quibus, mediante Jesu tactu, evaderent tunc, et successive custodirentur ab ejusdem daemonis occursibus. Et haec omnia amplius, inquam, dicit non tam ex sua simplici opinione quam ex aliorum sensu, nolens tamen certum de his instituere dogma.

Quae vero tradit de hoc Jesu tactu et oratione, videtur accommodari et explicari ab eo, quod alibi dicit s. Matthaeus in c. VIII. de socru Petri a febri vexata : « *Et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris* » Et divus Lucas in c. IV. iterat, enarrans, fuisse Christo oblatos infirmos, variis affectos languoribus : *quibus singulis manus imponens, curabat eos.* Quibus exemplis moti judaei, parvulos natos suos Jesu admovebant, ut manus eis imponeret. A quo benedictionibus cumulatos, putabatur a genitoribus seu a quibusvis offerentibus, immunes evasuros ab iis omnibus infirmitatibus; quibus obnoxia incedit naturae nostrae conditio, ex protoparentum culpa infirmae, ac daemonis fraudibus correptae. Et id solum vidit Origenes in hac discussione. Quid porro haec officiant hominis arbitrio in actibus suis, arguat qui legit.

Nolo autem silentio praeterire quidquid Hieronymus circa hoc perfectionis genus, Origeni ipsi exprobrat in Epistola ad Ctesiphontem; in qua sic eum alloquitur: « Vis adhuc et alium agnoscere tui erroris principem? Doctrina tua Origenis ramusculus est. In eo enim Psalmo, ubi scriptum est (ut de ceteris taceam) *insuper et usque ad noctem erudierunt me renes mei:* asserit virum sanctum, de quorum videlicet et numero es tu, cum ad virtutum venerit summitatem, ne in nocte quidem pati ea, quae hominum sunt, nec cogitatione aliqua titillari vitiorum. » Et in Prooemio *Dialogorum adversus Pelagianos:* « Illud autem (inquit) Origenis proprium est, impossibile esse humanam naturam a principio usque ad mortem non peccare; et rursus esse possibile, cum se aliquis ad meliora converterit, ad tantam fortitudinem pervenire, ut ultra peccare non possit. »

Attamen cum Origenis sensum, nec litteram citet s. Hieronymus, cumque pariter locus sit alicui animadversioni in praefati Doctoris sermonem, verbotenus prius ipsius Origenis expositionem prodere juvat, contextam *in Psalmum* XV. 7. quae hujusmodi se habet: « *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum* : *insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei*. Benedicit aliquis Dominum, cum ejus menti species ingeritur. A facie enim ipsius scientia et intellectus. Sic ei, qui custodit mandata ejus, intellectum tribuit Deus. De renibus autem loquitur, qui una cum corde nominantur his verbis: *scrutans corda et renes Deus*. Hi renes cum perfecti fuerint per intelligentiam, erudiunt attendentem, lumen praebentes scientiae, donec dissolvatur ignorantiae nox. Si autem nox designat profunditates cogitationum, secundum quod sermo mysticus dicitur obscurus, manifestum est, usque ad hanc noctem renes erudire, occulta et abdita declarantes.

« Metaphora autem sumpta est a renibus, in quibus consistunt semina et vires seminales, quae inserviunt vasis aptis generationi. Sunt igitur etiam in anima sensus quidam similes seminibus juxta intrinsecos foetus in bonis actibus et sinceris contemplationibus. *Καὶ οἱ αἰσθητοὶ δὲ νεφροὶ παιδεύουσι τὸν ἄκραν ἔχοντα σωφροσύνην, ἕως καὶ τῆς νυκτὸς ἐπεχόμενοι σώφρονος λογισμοῦ τὰς σωματικὰς ἐκρεῖν γονὰς* i. e.

Renes autem sensiles erudiunt eum, qui possidet summam prudentiam, et usque ad noctem prohibent ne semina corporea a casta cogitatione effluant. »

Nemo antea nesciat, Origenem in hac discussione improprie, sive metaphorice loqui; sicuti et Psalmista sub eadem metaphora agit de iis, qui primum gratias Deo rependunt ob illam, quam Deus impertitur hominibus intelligentiam, ut capiant, quae Domini sunt, suaeque obsequantur voluntati, ac insuper comprehendant Deum, ipsis auxilium praebere ad perseverandum in beneplacito suo, ut bene sentiant, probeque operentur. Idest gratiam praevenientem et concomitantem elargitur Deus hominibus ad ea, quae recta sunt, incipienda, exercenda et perficienda.

Quaproter ex eodem metaphorico sensu, ut Psalmista docet, comprehendens vocabulum *renes,* inquit Origenes, in anima humana fieri, eaque concipi, quae propria in corpore fiunt circa semina ac seminales vires generationi aptas. Proindeque pergens sub eodem vocabulo *renes* tropice, (nimirum spiritaliter nec carnaliter designato) et comparans, quae carnali accidunt generationi, iis, quae ex intimo sensu eveniunt, cum hoc sit quod reapse in hoc sermone animadvertit, concludit: *renes autem sensiles,* non proprie sensiles, sive sensuales, aut corporei eorum renum motus, *erudiunt hominem* ad probitatem mentis et actionis (hoc enim est absurdum) sed renes intelligibiles, rationales *imbuunt hominem,* eumque ducunt ad contemplationem, ut hinc videat actionum suarum probitatem, seque ideo temperantia aut prudentia muniat. *Et usque ad noctem isti renes rationales* adeo ascendunt, ut ea, quae abscondita sunt, contemplentur, ignorantiae tenebris dissipatis; ac amplius *cohibent ne semina corporea,* idest ne terrenae sensationes, aut hujus mundi cupiditates, sive noctu sive die, effluant a prudenti et sollerti ratiocinio: non tamen excluso divino auxilio, sicuti paulo ante dixit v. 3: « Verum hujusmodi infirmitates in ipsis, donec eas agnoverint, manentes, cito abeunt, propterea quod viri sancti a Christo confortentur, dicentes: *in Deo faciemus virtutes.* »

Ideoque cum s. Hieronymus Origeni increpat asserenti hominem virtutum summitatem assecutum, *ne in nocte qui-*

dem pati ea, quae hominum sunt; nec cogitatione aliqua titillari vitiorum, nequaquam videtur Auctoris mentem comprehendisse. Nihil enim de motibus carnis nocturnis indicat: quinimmo universim metaphorice verba *et usque ad noctem*, adhibuit Origenes; per *noctem* mystice interpretatus arcana et occulta, quae penetrat vir fidelis a Deo praeditus scientia et intelligentia. Qua scientia *usque ad noctem* idest rerum occultarum, amplius videt homo quae recta sunt, quaeque ab eo sunt agenda: ne prava ideo consilia emanent e mente sua, et nequid agat contra Dei voluntatem. Ceterum qua ratione extra tropicum sensum concipi, admittique possint verba: *renes sensiles* idest corporis, aut carnis sensationes *erudiunt hominem summa praeditum temperantia*, dicat qui intelligit. Similiter exponenda sunt *semina corporea, quae diffluunt a casta cogitatione*: quae omnia Origenes metaphorice discutit, consectarius praemissis, de animae renibus nimirum de sensibus rationalibus; quibuscum homo divino adjutus lumine intelligit et operatur Dei beneplacitum, ad perfectionem intendens animum juxta dominica verba in Evangelio.

Quod autem eidem exprobat Hieronymus, uti Origenis proprium: *impossibile esse humanam a principio usque ad mortem non peccare naturam*, sciendum est, Origenem tantummodo sibi velle in hac quaestione, quae Spiritus Sanctus per Jacobum indicavit in c. III. Epistolae: *in multis enim offendimus omnes*: ac restaurat s. Joannes in Epistola I. c. I. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Et revera his consequenter contra Celsum disputans in Libro III. n. 62. ipsius verba: *cur non misit (Deus Verbum) ad immunes a peccatis? quid malum est non peccasse?* refellit inquiens: « Ad hoc dicimus: si per *immunes a peccatis*, intelligat, qui non amplius peccant, Salvator noster ad eos missus est, sed non ut medicus. Sin autem eos intelligat, qui numquam peccaverunt (neque enim ejus verba aperte distinguunt) dicimus, impossibile fieri, hominem sic ἀναμάρτητον sine peccato esse. Hoc autem dicimus excepto homine a Jesu assumpto, *qui peccatum non fecit*. »

Quoad alteram vero partem, ubi corripit Hieronymus Origenem, idest *possibile rursus esse, cum se aliquis ad meliora converterit, ad tantam fortitudinem pervenire, ut ultra peccare non possit*, hoc sane absolute, aut universim de omnibus quibuscumque vel levibus peccatis non dixit Origenes, nec unquam illud potuit affirmare. Verba enim ejusdem, si alicubi minus perspicua tibi appareant, aut etiam, si vis, dubia; alibi tamen ac multoties luculentissime juxta catholicum sensum locutus est. Ideoque praeter ea, quae superius citata sunt, testimonia, conferantur ejusdem dicta ex Libro II. *in Epistolam ad Romanos* n. 7.

« Quotus enim, ait, quisque invenietur in terris, qui ita vitam suam libret, ut in nullo penitus delinquat? Sed et Joannes Apostolus in Epistola sua evidenter etiam opinionem hujusmodi notat, cum dicit: siquis dicit, quia peccatum non habet, hic mendax est, et veritas in eo non est: *Si autem confiteamur peccata nostra, habemus advocatum apud Patrem, Jesum justum, qui exorat pro peccatis nostris.* » Et ob hoc praestat quod ait contra praefatum Celsum in Libro III. n. 69. asserentem *eos, qui sine peccato sunt, meliore vita esse donandos*. Cui respondens Origenes, inquit: « Sed non aperit Celsus quos dicat ἀναμαρτήτους sine peccato, eosne, qui ne ab initio quidem peccarunt, an qui mutati non peccant. Tamen qui ab initio non peccaverunt, nulli esse possunt: qui vero mutati non peccent, raro inveniuntur, qui postquam accesserint ad doctrinam salutarem, tales fiant sine peccato. » Haec porro sapienter dicit *in Matthaeum* Libro XIII. n. 23. explicans Christi verba: *necesse est ut veniant scandala*: « Impossibile est enim inveniri hominem omnino sine peccato: et absque peccato (concupiscentiam inquam carnis quae adversatur legi mentis) suscipere posse virtutes: quia nec potest esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali. »

Denique haec omnia confirmat, ac una eorum causas pervestigat in Libro *De Oratione* n. 29. et praecise dominicae Orationis verba expendens: *et ne nos inducas in tentationem*. Ita namque docet: « Ecquando aliquis putavit hominem extra tentationes esse, quas novit inita ratione? Ecquod tempus est, in quo securus fuerit, quasi pugnandum non esset, ne pec-

caret? Eget aliquis? timeat, *ne furatus juret nomen Domini.* Dives est? ne securus sit; potest enim abundans mendax fieri, et elatus dicere: *quis me videt?* Ac ne Paulus quidem dives in omni verbo et omni scientia, immunis est a periculo se extollendi de his et peccandi: sed indiget stimulo satanae, qui se colaphizet ne extollatur. Et siquis bene conscius sibi sit, et mala effugerit, legat quod in secundo Paralipomenon dicitur de Ezechia, qui elatione cordis cecidisse narratur...

« Ergo, ut supra dictum est, *omnis hominis vita super terram tentatio est.* Quare oremus a tentatione liberari, non ita ne tentemur (fieri enim id non potest, maxime cum super terram simus) sed ne tentati succumbamus... Addam et haec ut ostendam, nullum esse hominibus tempus tentatione vacuum. Ne ille quidem, qui legem Domini meditatur die ac nocte, et efficere conatur quod dictum est: *os justi meditabitur sapientiam,* a tentatione immunis est. » Et haec omnia contra praefatas s. Hieronymi criminationes, quibus Origenem ceu errantem impetit.

Quapropter quaecumque ait Origenes de perfectione christiana juxta Domini verba ad adolescentem: *si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis: et veni sequere me,* non aliter quam a ceteris interpretibus catholicis exponenda veniunt; idest relative, quoad patitur humana fragilitas, non vero absolute. Et re quidem vera, discipuli Domini, qui omnia reliquerunt, Dominum secuti: *ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te,* perfectionem attigerunt, et jam in numero perfectorum censebantur, attamen etsi perfecti, relictis omnibus, Jesumque sectati, ab ipso Jesu audiverunt: *ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum:* et hinc: *vos mundi estis, sed non omnes.* Proindeque Petrus negavit se nosse Christum; Judas tradidit Jesum: facta est contentio inter apostolos, quis eorum esset major. Et quid haec dicunt? nisi quod, tametsi perfecti, nihilominus sui juris erant, contrarias virtutes in se experti, unde a bono in malum decidere poterant. Itaque Origenes cum ait, christianos quosdam charitatis perfectionem assecutos, non adjicit eos impeccabiles fore in posterum usque dum in hac degunt vita, sciens Ecclesiastici proverbium: *ante mortem ne laudes hominem.*

Novissime (alio remissis, quum de Ruffino egerimus, quae Origeni et Ruffino ipsi objecit s. Hieronymus de impeccabilitate et impassibilitate) summatim congestis de hoc argumento tractatis, omnes homines libero arbitrio praeditos, omnes pariter in hac vita tentari a propria concupiscentia, nec ullum sine tentamine vivere, Deum cunctos salvos fieri velle, pro omnibus passum esse Christum (*ipse enim Deus pro animabus omnium dedit commutationem pretiosum sanguinem Filii sui* (inquit Tomo XII. *in Matthaeum* n. 28) omnibus Deum insuper gratiam impertiri ad salutem, omnibus auxilio suo praevenire, ut credant, bene agant, opem elargiendo ad perseverantiam usque ad vitae terminum, Origenem fateri, tenere, ac propugnare prope Catholicae Ecclesiae fidem, manifestissime patet.

CAPUT XXXI.

Illorum opinio refutatur asserentium Origenem novae impietatis adsertorem, arti magicae patrocinatum esse.

Alterum accusationis genus ab adversariis excitatum est in Origenem, et id ob patrocinium, quod ipse praestitit artibus magicis. Istud autem tam Theophilo displicuit ut *in Epistola Paschali* I. n. 16. vehementer in ipsum irruperit, inquiens: « Confundatur Origenes, inter cetera flagitiorum genera, quae confingit, magicis quoque artibus patrocinium tribuens, quum in tractatibus suis, his locutus est verbis: *ars magica non mihi videtur alicujus rei subsistentis vocabulum; sed etsi sit, non est operis mali ut nequis eam habeat contemptui.* Haec dicens utique fautorem se esse demonstrat Elimae magi, qui apostolis repugnavit, et Jamnae atque Mambrae, qui Moysi magicis artibus restiterunt. Sed nullas Origenis patrocinium habebit vires; quia Christus magorum praestigias suo delevit adventu. Respondeat novae impietatis adsertor; immo aperte audiat: si non est malum ars magica, non erit malum idololatria, quae artis magicae viribus nititur. Quod si malum est idololatria, malum erit et ars magica, ex qua subsistit idololatria.... Scire non possum qua ratione impulsus Origenes, qui christianum se jactat, Sedechiae pseudoprophetae aemulator existens, cornua sibi ferrea fecerit, quibus contra dogmata veritatis armatus incedat etc. » Ista de Origene scripsit Theophilus; quapropter videamus, num dignus tanto probro videatur Auctor. Et in primis inquirendum est, ubi citata verba occurrant in Libris Origenis, ex quo locum, unde desumpta fuere, tacuerit Theophilus.

Nisi verbotenus, saltem horum verborum sensum desumpsisse videtur Theophilus ex Libro I. n. 24. contra Celsum, qui insultans christianorum Deo, ajebat: *nihil interest quo nomine vocetur Deus, sive Jovis ut apud graecos, sive alio quolibet apud aegyptios, aut apud indos usurpato.* « Quibus (subdit Origenes) respondendum, altam et arcanam esse de nominum natura quaestionem; utrum, sicut placet Aristoteli,

ex instituto imposita sint rebus vocabula: an, ut volunt stoici, ex natura sint, primis vocibus res ipsas imitantibus, unde post nata nomina fuerint.... Si igitur in praefato argumento probare potuerimus, ex natura nomina vim habere, quibus nonnulla utuntur aegyptiorum sapientes, aut apud persas magorum eruditiores, seu inter philosophos indos brachmanes, vel samanaei et apud alias gentes; et si pares quoque fuerimus statuere, quod, *quae vocatur magia, nequaquam* (veluti existimant Epicuri et Aristotelis asseclae) *esse rem omnino inconsistentem, verum, sicuti quidam de his ostendunt, quid consistens esse, rationes vero habere paucissimis notas;* tunc dicemus nomina *Sabahot, Adonai* aliave apud hebraeos magna pervulgata veneratione, vulgarium non esse et creatarum rerum, sed ad reconditam quamdam Theologiam pertinere, quae tendit, mentemque erigit ad rerum omnium Conditorem.»

Accepto interim, uti verosimillimum est, ex hoc Origenis Libro eruta esse verba (varia a contextu) citata a Theophilo, quae ego alio charactere indicavi, videto et verborum nec non sensus varietatem ab eo, quem voluit Auctor. Conferto et quae Theophilus absolute tradidit in suis redargutionibus, uti ab Origene dictum, *non malum magiam*, et quae revera scripsit Origenes; et tunc facile malignantium falsationem comprehendes, eoque magis, argumenti ordine intento. Ibi namque Auctor disputat de hoc *magia* vocabulo, ab ipsis adversariis, in quibus Celso, rationes petens circa mysticorum nominum usum, inter diversas gentium religiones; quarum viri sapientiores seu philosophi aliquid arcanum considerabant, ipsis nominibus divinis insitum. Ideoque juxta hanc definitionem, quam excutit et adstruit Adamantius ex philosophia gentium, non esse mirandum ait, si pariter in sacris hebraeorum nominibus *Sabahot*, *Adonai* etc. quidquam sacramenti genus insitum sit (penitus tamen varium a fabulosis et futilibus ethnicorum praestigiis) cum ipsi deum suum invocantes per ea nomina altius ad ipsum erigebantur.

«Quare si haec nomina connaturali sibi locutione pronuncientur, insignem vim habent.» Ceterum de nominibus divinis in nationibus vulgatis hoc dici nequit, in quibus nihil san-

ctum nihil venerandum continetur, cum Dei nomen transferatur in materiam inanimam, ad res viles, uti prope cujusque gentis mores et disciplinas; ex g. Jovis nomen, Saturni, Neptuni etc., quibus insignia crimina, luridasque libidines adscribunt ipsi adoratores: « Idem porro crimen, subdit Origenes, non cadit in eos, qui *Sabahot, Adonai,* aut aliud nomen occulta quadam ratione Deo imponunt. » Item de angelis, ait, quibus nomina convenientia ministeriis suis indita sunt: « Atque ad hanc nominum disciplinam pertinet etiam Jesu nostri nomen, quod innumeros ex animis et corporibus daemones palam omnibus fugavit, vim exerens suam in eos, e quibus ejecti sunt illi daemones. » Deinde, ut argumentum amplius firmet de divinorum vocabulorum usu, quorum naturam dicit non esse mutandam in eorum invocatione, cum in se habeant quidquam arcanum, ex ipsis gentium praestigiatoribus probat: « Addo, quod testantur in incantandi arte exercitati, incantationem propria lingua pronunciatam efficere, quod pollicetur, incassum autem cadere, nec quidquam posse, cum aliena quavis lingua facta est. »

Et haec omnia dicit Origenes, non ut gentium erroribus consentiat; sed ad majorem sermonis sui explanationem. Quandoquidem enim, dicit, per vocabula cujusque gentis propria, incantationes operantur praestigiatores erga deos suos, sic a christianis fieri in Deo suo invocando; ac pro eo quod ibi *mysticum et sacrum* adhiberet, *magiam* dixit juxta priscam hujus vocis significationem, se se tunc accommodans adversario suo Celso, ut eumdem ex sua philosophia confutaret.

Praeterea, etsi magiae nomen extulerit ad aliquam consistentiam, eamque probaverit, tamen fatendum nobis est, definitionem ipsi indidisse nobiliorem, quam vulgo creditur. In hac enim scientiam comprehendit, seu rerum divinarum peritiam, sicuti persae (unde nomen istud ortum est) interpretati sunt, quamvis iidem multum a veritate aberrarent. Veteres namque interpretes hujus vocabuli, a persis tenent derivasse ad graecos; idque ab initio (ita Suicerus in Thesauro Ecclesiastico) in laude fuisse usurpatum, fere omnes conveniunt. Qui enim apud persas philosophica et theologica tra-

ctabant studia, appellabantur magi. Hesychius ait: *magum pium et theologum et sacerdotem appellant persae.* Suidas item: *magi apud persas philosophi et philothei.* Ac ideo in Evangelio: *et ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes* etc. De reliquo constat quoque, hanc vocem deinde in perversum sensum traductam fuisse, ac seductoribus inscriptam, incantatoribus, veneficis, qui daemonia consulebant etc.

Et hoc tantum quaesivit Origenes: nominis magiae sensum primaevum, abstracte ibi considerans, nullimode vero, quae deinde arbitrarie et practice sub ea dictione concepta sunt, sanae adversantia philosophiae, moribusque corrumpendis satis idonea. Ideoque cum, praeter hanc significationem, de magiae artificiis locutus est, prorsus ab ipsa abhorruit, ac veluti a religione christiana damnatam repudiavit; ac una fideles ab ejusdem exercitatione et illusionibus deterruit. Id autem paulo ante in eodem Libro I. n. 6. Celso eidem respondens Adamantius, dicit: « Evidens est, nullam a christianis incantationum artem adhiberi, nisi Jesu nomen, et alia nonnulla, quae Scripturae divinae credenda esse docent. »

Haec porro in Libro VI. n. 39. accurata discussione exponit, calumnias refellens in Christianos illatas ab eodem Celso: atque ubi de nominibus deorum ethnicorum similia loquitur sicuti in praefatis dicens, nomina deorum pro varietate nationum derivasse in hominibus, qui relicta prima et pura Conditoris notione, suis diis nomina pro libitu indiderunt: « Verum (subdit) de his jam supra satis a nobis dictum est: nempe ubi probavimus non eumdem esse *Sabahot* et Jovem . . . Deinde rursus magicas praestigias nobis occinit, easque fortasse nemini tribuit; cum sit nemo, qui in religione qualem aggreditur, hujusmodi artem exerceat. » Paulo post ejusdem Celsi obtrectationibus respondens, christianis ascribentis magicas artes, aut expiationes, aut carmina ad infirmitates expellendas, seu in daemonum effigie componenda, aut varia remedia ad amolienda veneficia, in vestibus, in numeris, in plantis etc. concludit: « Quas criminationes non postulat recta ratio ut refellamus, cum horum criminum in nos ne levissima quidem suspicio conveniat. » Item n. 80 in idem

argumentum redit, et unde fortasse magis sensus patebit eorum, quae superius dixit Adamantius de origine magiae: « Postea visum est Celso chaldaeos vocare gentem jam a primis temporibus prorsus divinam, unde tamen in homines derivata est fallax ex natali die divinandi disciplina. Eodem loco et numero habet magos, a quibus ars magica nomen suum traxit; et in ceteras gentes ad exitium ea utentium, dimanavit. » Tandem Homilia XIII. n. 5. *in Numeros*, de Balaam, quem misit Balach ad maledicendum Israeli, ita scribit Auctor: « Nec mireris si est in magica arte tale aliquid: esse enim hanc artem designat etiam Scriptura, sed uti ea prohibet. Nam et daemones Scriptura esse designat; sed coli eos et exorari vetat. Recte ergo etiam magia uti prohibet; quia magorum ministri sunt angeli refugae, et spiritus maligni, et daemonia immunda. Nullus enim sanctorum spirituum obtemperat mago. Non potest invocare magus Michaelem, neque Raphaelem; multo magis non potest invocare Deum omnipotentem, nec Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, nec Sanctum Spiritum ejus..... Magi sunt, qui invocant Beelzebub.... Unde constat esse quosdam daemones malos, qui invocati a magis, adsunt eis ad malum, non ad bonum. Parati enim sunt ad malefaciendum; bene autem facere nesciunt. Isti ergo daemones arte quadam et compositione verborum in amicitias, ut ita dicam, cesserant Balaam. »

Ubi, ubi ergo patrocinium, quod Origenes magicae praestitit arti? Ubi liber, ubi tractatus, ubi verba, in quibus, hoc flagitiosum artificium adstruit Adamantius? Quodque nedum probaret, sed et se fautorem profiteretur hujuscemodi praestigiorum? Plane comprehendistis ejusdem fidem; et quibus armis fortiter se gessit contra christianorum obtrectatores, qui magorum praestigiis et Jesum et apostolos et fideles omnes culparunt. Audistis quali alacritate restitit Origenes in Celsum ac in omnes Christi hostes, ob hoc calumniarum genus nomen christianorum infamantes in mundo. Nihil ergo vos latet de recta Auctoris professione. Quapropter non *confundatur Origenes*, ut ait Theophilus, sed ipse confundatur, seu potius ii ignominia afficiantur et confusione, qui

Origenis sensum corruperunt, pravaque interpretatione vitiarunt, inde in christianorum coetu propalantes tanquam magorum socium et adstipulatorem, virum penitus ab hoc errore immunem. Qui ideo tanta fide et zelo adversus magorum artificia loquitur, ut impiorum et peccatorum nomine, qui talia agunt, vocet: « Sancti (inquit c. XXII. n. 4. *Selectorum in Numeros*) pugnant verbis precum, impii vero et peccatores verbis magicis. »

Demum ut sole splendidior luceat origenianae fidei puritas, suaeque doctrinae integritas; et ut expositionum suarum magis constet sagacitas in Scripturarum difficultatibus diluendis, nec ideo *fautorem esse, nec patronum artis magicae, neque arma tulisse ut contra dogmata veritatis incederet*, non est hic praetereundum quod ipse Origenes Homilia XVI. n. 7. *in Numeros*, divinum mandatum: *non erit auguratio in Jacob, neque divinatio in Israel,* exponens, scribit: « Igitur, quoniam visum est jam nobis diligentius de singulis quibusque discutere, non videbitur absurdum, si etiam quid sit auguratio, vel divinatio; quoniam sic placuit Scripturae commemorare de iis, ne forte quis ignoranter in haec incidat, requiramus. Videtur ergo mihi futurorum praescientia, quantum ad ipsam rem spectat, medium quiddam esse, idest neque proprie bonum, neque proprie malum: quandoquidem potest interdum etiam a parte diaboli ad hominum notitiam futurorum venire praescientia. Sine dubio autem cum tempus et opportunitas poscit, et voluntas Dei fuerit, datur etiam a Deo per prophetas hominibus praescientia; et ideo diximus, quia neque proprie bonum dici potest, quod aliquando a malo venit; neque proprie malum, quod aliquando a Deo descendit. Et quamvis de hoc abundanter etiam ex Scripturis divinis exempla suppeditent, sufficere tamen credimus si utamur eo, quod in Regnorum Libro scriptum legimus: ubi Arca Dei ab Allophylis capta est, et deducta in Azotum, et ibi: *introduxerunt*, inquit, *eam in domum Dagon; et inventus est Dagon cecidisse in terram .... Et congregaverunt sacerdotes et divinos suos dicentes: quid faciemus de Arca Domini? ....* »

Item : « Observa ergo in iis quomodo sacerdotes et divini causam malorum, quae acciderant Allophylis utrum ex manu Dei, et pro Arcae injuria venerint, an fortuitu acciderit, propositis contemplantur indiciis, dicentes : *si per viam suam ad fines suos ascendit in Bethsamis, ipsa nobis fecit haec mala* .... Quis ergo in his si diligenter inspiciat, praescientiam hanc, quae de boum directione praedicta est, vel fortuitam dicat, vel aliqua arte compositam; et non operatione quadam daemonum ministratam, qui timuerunt Arcae Domini virtutem: qua non solum affligebantur et puniebantur Allophyli, verum et cultus ipse daemonum destruebatur, utpote simulacris eorum, templisque, ad ingressum Arcae Domini, corruentibus? Est ergo talis quaedam in ministerio praescientiae operatio daemonum, quae artibus quibusdam ab his, qui se daemonibus mancipaverint, colligitur et nunc per eas, quas *sortes* nominant, nunc per ea, quae *auguria* appellant, nunc etiam ex contemplatione fibrarum, quae *extispicia* vocant, aliisque horum similibus praestigiis comprehendi videtur, et intelligi. Quae artes in tantum profecerunt ad decipiendum genus hominum, ut etiam justissimi Ezechiae filius Manasse hoc errore deceptus etc. »

Et post pauca concludit : « Haec ergo omnia, idest sive auguratio, sive extispicium sive quaelibet immolatio, sive etiam sortitio, aut quicumque motus avium, vel pecudum, vel inspectio quaecumque fibrarum, ut aliquid futurorum videantur ostendere, in operatione daemonum fieri non dubito, dirigentium vel avium vel pecudum, vel fibrarum motus, aut sortium secundum ea signa, quae docuerunt iidem daemones observari ab iis, quibus artis hujus scientiam tradiderunt. A quibus omnibus, is qui homo Dei est, et in portione Dei numeratur, penitus esse debet alienus; nec aliquid in iis habere commune, quae occultis machinis daemones operantur; ne forte rursus per haec daemonibus associetur, atque eorum spiritu et virtute repleatur, et ad idolorum cultum denuo reparetur. Haec enim omnia religio nostra divina et coelestis abjurat, in Levitico quidem aperta lege designans et dicens : non divinabitis, neque augurabimini ...... Non vult Deus auditores nos fieri et discipulos daemonum, neque

vult, ut, siquid volumus discere, a daemonibus discamus. Melius est enim ignorare, quam a daemonibus discere. Et melius est a Propheta discere, quam a divinis inquirere... Quod si Paulus spiritum pythonis testimonium sibi dare non patitur, sed dolet super hoc: quanto magis dolere debemus, siquando decipi videmus animas ab iis, qui velut divino alicui spiritui pythonis aut ventriloquo, aut divino, aut auguri, vel aliis quibuslibet hujusmodi daemonibus credunt? Si ergo (paulo post inquit) expedit praenoscere nos futura; dicentur a Deo per Spiritum Sanctum. Si vero non dicuntur, neque denunciantur, scito, quia nobis non expedit praenoscere futura. Quod si idcirco non dicuntur nobis, quia nobis talia scire non expedit: qui diversis artibus et daemonum invocationibus gestiunt futura praenoscere, nihil aliud faciunt, nisi ea cupiunt discere, quae sibi scire non expedit. »

Vide ergo a falso principio quot falsas consequentias deduxerit Theophilus contra Origenem: et quam immerito pietati viri insultarit, in eum confingens reatus, a quibus immunem ubique se late manifestat.



CAPUT XXXII.

Disputatur de Origenis expositione in Geneseos dicta c. III. 21, **Fecit quoque Dominus Deus Adae et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos.**

Sed hic non cessant oppositiones in Origenis doctrinam; adhuc ei exprobrant Theophilus, Hieronymus et Epiphanius, quod tunicas pelliceas, quas ait Scriptura Deum fecisse, ac induisse protoparentes nostros, pro ipsorum corporibus acceperit; addendo, in poenam delicti, Adami animam assumpsisse corpus, cum antea ab eo separata in felicitate degeret. Hinc Hieronymus in Epistola ad Pammachium concludit: « Haud dubium quia ante peccatum in paradiso sine carne, nervis et ossibus Adam et Eva fuerint. » Item s. Epiphanius de Haeresi 64. n. 4. et 42.

In hac disquisitione prius fontes investigandi sunt, unde praefati praetextum suscepere Origenem redarguendi. Et antea praemittendum est, ipsos non indicasse librum, ubi haec scripsit. Attamen cum aliis puto, hujus accusationis summam contineri in *Selectis*, quae Theodoretus et Auctores *Catenae* collegerunt ex ipsius commentariis *in Genesim*, ac distincte, ubi verba sacra exponit: *et fecit Dominus Deus Adae et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos.* Quae ita interpretatur Origenes: « Quid existimare debemus esse vestes illas pelliceas? Valde quidem stolidum est, et anile, Deoque minime dignum, arbitrari Deum pelles animalium jugulatorum, aut aliter mortuorum accepisse; et inde pelles consuendo coriarii more, in vestimenti formam redegisse. Rursum, ut vitetur haec absurditas, dicere vestes illas pelliceas nihil aliud esse, quam corpora, probabile quidem est, et ad assentionem eliciendam efficax: at non evidens quale esse debet quod verum est. Si enim pelliceae vestes sunt carnes et ossa, quomodo antea dixit Adam: *hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea?* His igitur ambiguitatibus obruti nonnulli asseruerunt, vestes pelliceas esse mortalitatem illam, qua circumdati sunt Adam et Eva, morti propter peccatum addicti.

Sed isti non facile probare possunt, quomodo Deus, et non peccatum, mortalitatem pariat transgressori. Propterea necesse est eos dicere, carnem et ossa propria ratione non esse corruptibilia, siquidem postea patres nostri propter peccatum mortalitatis conditionem acceperint. »

Quam vero Origenis sensus absint ab eorum, de quibus fecimus mentionem, intelligentia, quisque indubie percipiet. Non enim quae sentiebat ibi exponit Origenes; sed potius interpretum varias discutit expositiones circa quae ait Scriptura: *et fecit Dominus Deus Adae et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos.* In quibus ipse palam et quidem jure, illorum primo objicit sententiam dicentium, Deum coriarii more pelles animantium consuisse. Deinde alteram interpretationem expendens, in qua dicitur, sub tunicarum pellicearum nomine corpus humanum contineri, etsi probabilem et magis quam primam, rationi consentaneam: verumtamen (ut sibi vult graecanicus sermo, in quo adversarii non habent, ut interpretis latini incusent varietatem ab originali) subdit: « Rursus ut vitetur haec absurditas, dicere, *vestes pelliceas* nec alias esse quam corpora, *πιθανὸν μὲν, καὶ ἐις συγκατάθεσιν ἐπισπάσασθαι δυνάμενον· οὐ μὲν σαφὲς ὡς ἀληθές.* i. e. probabile quidem est, et quod potest trahere ad assensionem, non tamen patet esse verum. » Ex quo Scriptura manifeste doceat, Adamum et Evam, jam priusquam Deus pellibus eos indueret, carne et ossibus constare: quod idem est ac corpus gestare solidum, palpabile etc.: « Si enim (verba sunt ipsius Origenis) pelliceae vestes sunt carnes et ossa, quomodo antea dixit Adam: *hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea?* » Cum interim ita arguat ipse, collatis, quae ipsius adversarii ex ore suo citarunt, nonne aperta in seipsum contradictio est: sicuti et amplius manifesta calumnia in eumdem lata; cum ii, quod non sensit, quinimmo confutavit, tamquam suam denunciarint opinionem, ideo ipsum condemnantes, ob illud, quod penitus non tradit nec probavit? Et quamvis probabilitatem quamdam praeferre concesserit secundam expositionem, absolute sumptam; nihilominus intentis, quae paulo ante in sacro textu notata sunt, perspicue dicit non esse ipsam acceptandam quippe falsam: ne aliter in antithesim cederet Scriptura.

Cum autem in sequentibus Origenes quosdam ait, sub tunicae scorteae dictione, mortalitatem repraesentare, quam ex culpa subiit Adamus; in hoc eisdem convenit, quatenus non Deus, sed peccatum protoparentes morte affecerit: quorum caro cum esset a Deo incorruptibilis creata, postquam peccarunt, mortis conditionem passa est; prout aeque explicavit Homilia VI. n. 2. *in Leviticum:* « Sed non solum indumentis opus est ad sacerdotales infulas, verum et cingulis. Ast priusquam de specie ipsa indumentorum dicere incipiamus, velim conferre illa infelicia indumenta, quibus primus homo cum peccasset, indutus est, cum his sanctis et fidelibus indumentis. Et quidem illa dicitur Deus fecisse: *fecit* enim, inquit, *Deus tunicas pelliceas: et induit Adam et mulierem ejus.* Illae ergo tunicae de pellibus erant ex animalibus sumptae. Talibus enim oportebat indui peccatorem, pelliceis, inquam, tunicis, quae essent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, et fragilitatis ejus, quae ex carnis corruptione veniebat, indicium. » Ex his ergo cum testimonium patens haurias de peccato originali ab Adamo in totum deinde transfuso humanum genus, videas quoque quam immerito a citatis scriptoribus reprehensus sit Adamantius, ei errores adscribentibus, quos in aliis ipse corripuit.

Et ob hanc sane correptionem, quam in marcionitas adhibuit Origenes, ipsi dicta illius corrumpentes ad placita sua converterunt, quippe putarunt, ut ait Clemens alexandrinus in Libro III. *Stromatum* n. 14. animam ab initio divinam in hunc mundum deductam esse ad locum supplicii; ac tunicas pelliceas, quas Adam et Eva induerunt, corpora esse etc. Ab his quidem insidiatoribus illusi, mutuati sunt deinde Methodius, Epiphanius, Theophilus, Hieronymus aliique. Quorum Epiphanius, bona fide, ideo ad Joannem Hierosolymitanum scripsit Epistolam super congeriem falsitatum redactam, et a s. Hieronymo latine translatam et suis consertam. In quibus haec dicit Cypri Antistes: « Praetereo frivolam ejusdem (Origenis) expositionem super tunicas pelliceas: quanto conatu, quantisque egerit argumentis, ut tunicas pelliceas humana esse corpora crederemus. Qui inter multa ait: *nunquid coriarius aut scortisarius erat Deus, ut conficeret pelles ani-*

malium, et consueret ex eis tunicas pelliceas Adamo et Evae? Manifestum est ergo, inquit, quod de corporibus nostris loquatur. Et si hoc ita est, quomodo legimus ante pelliceas tunicas et ante inobedientiam et de Paradiso ruinam, Adamum loquentem non secundum allegoriam, sed vere : *hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea?* aut unde desumptum est illud, quod divinus sermo testatur : *et injecit Deus soporem in Adamum et dormivit ; et sumpsit unam de costis ejus et adimplevit pro ea carnem, et aedificavit costam, quam tulerat ex eo, illi in uxorem?* Aut quae corpora contegebat Adam et Eva foliis ficus, postquam comederunt de arbore vetita ? »

Ceterum, nonne quae s. Epiphanius de tunicis pelliceis objecit Origeni tamquam prava, nonne ipse Origenes praeclare refutavit in citata pericope? Et unde ab Origenis praefata locutione, ipsius conatus, ipsius argumenta, ut sub tunicis pelliceis comprehendi statuat corpora nostra? Nonne Epiphanii dicta adversus hanc stolidam expositionem, eadem sunt, quae ibi et alibi admisit Origenes contra ejusmodi marcionistarum dogmata ? Nonne de hominis conditione docuit Origenes, Deum creasse Adamum ; et quidem in ipsa creatione anima et corpore fuisse ditatum ; et a dictis : *os de ossibus meis et caro de carne mea*, corpoream designari substantiam a spiritnali distinctam, et membra praeferentem sensibilia, ita ut, et antea, sicuti post peccatum, corpus secum gestarit Adam de terra plasmatum? Homilia I. *in Genesim* n. 14. ex his: *masculum et foeminam fecit eos, et benedixit eis Deus dicens: crescite et multiplicamini et replete terram, et dominamini in ea* (quae verba primum secundum litteram, deinde secundum allegoriam discutit) inquit: « Dignum videtur hoc in loco requirere secundum litteram, quomodo, nondum facta muliere, dicit Scriptura, *masculum et foeminam fecit eos.* Fortassis, ut ego arbitror, propter benedictionem, qua benedixit eos dicens, *crescite et multiplicamini et replete terram*, praeveniens quod futurum erat, dicit: *masculum et foeminam fecit eos*: quoniam quidem crescere aliter et multiplicari non poterat homo, nisi cum foemina. Ut ergo benedictio ejus sine dubio futura esse crederetur, ait : *masculum et foeminam fecit eos.* Hoc namque

modo homo videns crescendi et multiplicandi consequentiam ex eo esse, quod ei foemina jungebatur, certiorem spem gerere poterat in benedictione divina. Si enim dixisset Scriptura: *crescite et multiplicamini, et replete terram, et dominamini in ea*, non adjiciens, hoc quia *masculum et foeminam fecit eos*, utique benedictioni divinae incredulus extitisset etc. »

Nec sane aliter arguere poterat Origenes ex scripturali locutione: *ecce nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea*; nec ideo ad animam, nec ad spiritum, neque ad angelos coelestes referri potest: in quibus nec caro, nec os, nec genus masculinum nec foemininum reperitur. Etsi vis quandoque citata verba ad sensum allegoricum transtulisse Auctorem; attamen non destitit opportune ea litteraliter exponere, et historiae tueri veritatem, ita ut magis pateat adversariorum illusio. Et id manifeste docet Homilia I. *in Exodum* n. 3. ubi corpus ab anima discernit in creatione Adami; et utrumque ait praetulisse antequam peccaret; adjiciens insuper corpus ex terra formatum, animam vero aliunde esse: « Denique statim in initiis ipse Adam quid dicit? *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea*, nec tamen addidit: et anima de anima mea. Sed velim, mihi diceres, o Adam: si os de tuis ossibus agnovisti, et carnem de tua carne sensisti, cur non intellexisti etiam animam de tua anima processisse? Si enim omnia, quae in te erant, tradidisti, cur non etiam animae facis mentionem cum ceteris, quae melior totius corporis pars est? Sed videtur per haec intelligentibus indicium dare; quod cum dicit: *os de ossibus meis, et caro de carne mea*, quae de terra sunt, sua esse profiteri, non audere vero sua dicere, quae scit, non esse de terra. »

Frequentius Origenes de hominis primi conditione disserens, antequam peccaret, duas in ipso distinguit substantias, unam scilicet internam, quam dixit hominem interiorem idest animam, externam alteram, idest corpus, quam dixit hominem exteriorem. Et hanc sapientissimam distinctionem eruit ex Geneseos historia, ubi dicitur homo interior factus ad imaginem Dei; et alter de limo terrae a Deo conditus, carne et ossibus constans. Quibus praeclare adstruitur, Auctorem in Adamo, priusquam peccaret, admisisse corpus solidum et pal-

pabile. Quomodo ergo praesumendum est, Origenem tunicas pelliceas fuisse interpretatum de substantia Adami corporea, quasi corpus solidum non antea praetulisset? Quasi tunc corpus creasset Deus, quo illum induit, quod antea non habuisset? Et qualis igitur homo exterior a limo terrae formatus a Deo, ossibus et carne compactus, si in spiritu tantum vivebat Adam ante praevaricationem? Vide ergo in Origene frequentem sermonis antilogiam, si adversariorum suorum acceperis criminationem. Quam tamen ex haereticorum perfidia, nullimode vero ex genuinis suis scriptis deducere poteris. Quanto autem jure haec statui circa istiusmodi calumniosam imputationem adversus Origenem, in qua viri sancti illusi sunt; ipse Theodoretus, qui originalem, paulo ante notatum, Auctoris textum in sua detulit scripta, manifestissime significavit, alios quidem esse auctores hujus frivolae expositionis (uti vocat s. Epiphanius) et alium haberi Origenem, qui hanc refutavit. Theodoretus, dico, in Libro *Quaestiones in Genesim* inscripto, *Interrogatione* 39. plures congerens interpretationes citati testimonii: *Quid per vestes pelliceas intelligendum est?* in primo loco scribit:

« Qui allegorias persequuntur, pelles ajunt esse carnem mortalem. Quidam vero alii a corticibus arborum eas comparatas esse dixerunt. Ego autem neutrum horum approbo: hoc enim nimis curiosum, illud vero valde fabulosum. Cum enim Scriptura divina dixerit corpus formatum esse ante animam; quomodo fabulosum non est dicere, Deum illis dedisse carnem mortalem post transgressionem mandati? Verum curiose inquirere, unde pelles Deus habuerit, et ob id novam amictus speciem excogitare, superfluum mihi videtur etc. » Deinde citat aliorum, in quibus Origenis, interpretationes, ut eis, quas praemisit refutavitque, opponat; ut sic praeclarius deducatur Adamantii commentarium *in Genesim* non continere fabulosa de tunicis pelliceis inventa, eidem conficta a praefatis scriptoribus.

Demum praeterire nolo, quae Origenes varimode exposuit de tunicis pelliceis, quas induit Adam post peccatum, fuisse quoque nota ceteris Ecclesiae Patribus, in quibus stat Antistes Nyssae in Sermone V. *De Oratione dominica*. Qui

naturae in homine pravatae considerans effectus, quorum quivis particeps est: « Quasi enim, dicit, vivente in nobis Adamo, singulatim omnes homines, quamdiu pelliceas has tunicas circa naturam nostram videmus, et temporalia folia materialis hujus vitae etc. » Id autem latius tractat in Oratione *De Mortuis*: « Etenim, scribit, si tales mansissemus, quales initio fuimus procreati, Dei similitudine in nobis elucente, pellicea tunica neutiquam indiguissemus. » Paulo post: « Etenim cum corpoream istam voluptatem animi laetitiae praetulisset, visus est quodammodo Deus permittere, hominem eo impetu ferri propter tunicam illam pelliceam, quam ob ejus propensionem ad malum induit illum. Qua quidem tunica, naturae irrationalis proprietates homini admixtae sunt. Sapientia enim illa, quae per contraria quod melius, disponit, naturae rationali bestiarum indumentum confecit. Nam tunica illa pellicea secum ferens omnes proprietates, quas bestiarum natura continet etc. »

Siquis igitur conferat, quae Nyssenus scripsit, ceteris ab Origene discussis de eadem Scripturae elocutione; utriusque repererit interpretationem convenire symbolicam: nequaquam vero, ut excludant ab Adamo et ab Eva essentiam corpoream e terrae limo formatam, de qua in illis nullum dubium; sed ut ipsi ex tunicis pelliceis, quas superinduerunt parentes nostri post peccatum eorum, naturam antea incorruptibilem et immortalem repraesentarent conversam in mortalem et corruptibilem, vitiis omnibus et aerumnis in hoc seculo obnoxiam. Quam interpretationem haud spernendam admisit quoque s. Epiphanius, in confutatione ejusdem Origenis; nescius tamen se in hac eidem concordare, quem refutare putavit, haud animadversis, quae genuine ac pie scripsit Origenes de hoc argumento. Ait enim de Haeresi 64. n. 24. ex praefato Geneseos testimonio: « Igitur ne immortale quoddam ac sempiternum malum esset homo, ut jam diximus, ac peccati in se dominationem foveret, utpote quod immortali in corpore pullularet, et immortali perinde alimento glisceret, propterea Deus illum mortalem esse voluit, morteque damnavit. Hoc enim scorteae illae tunicae significabant; ut dissolutione et divisione corporis omne ex imo pec-

catum radicitus enecaretur etc. » Et sic exponens s. Epiphanius, praetermissis genuinis Origenis codicibus, haud sensit (veluti serius hoc sensisse videtur) se eidem interpretationi convenire; quam una cum eo et priscis Patribus admisit irreprehensibiliter Adamantius.

Quapropter, cunctis huc revocatis pro Auctore argumentis, nonne jure s. Pamphilus, Anonymus in *Praedestinato*, Vincentius lirinensis, aliique obtestati sunt, falsa scripta sub Origenis nomine (uti ex praefato Clementis alexandrini testimonio deducitur) vulgata fuisse per ecclesias? et a quibus deinde scriptores nonnulli etsi doctrina et sanctitate insignes, infauste illusi, virum pium et fidelem ut errantem reprobarunt? Interea vero, si Methodii, Eustathii, Basilii, Epiphanii, Theophili, Hieronymi, Antipatri, et Auctoris Epistolae ad Mennam, quorum uni ab alteris successive dicta haereditarunt, parcendum sit illusioni; minime tamen patiar, maledicorum occultari perfidiam; qui genuinos Origenis libros depravarunt, ipsius dogmata falsantes in probi viri ignominiam et posterorum scandalum.



CAPUT XXXIII.

Quanti facienda est s. Hieronymi insimulatio adversus Origenem ob ea quae in Tomo VI. Stromatum *de mendacio scripsit.*

Aliud in Origenem culpationis genus Ruffino objicit Hieronymus. Et hoc ab ipso Hieronymo desumitur e sexto Tomo *Stromatum*, in quo Origenes de mendacio locutus, testimonium Platonis citat, inquiens: « Plato in tertio de Republica Libro: *veritas quoque sectanda magnopere est. Si enim, ut paulo ante rectissima dicebamus, Deo indecens, et inutile mendacium est; hominibus quandoque utile, ut utantur eo, quasi condimento atque medicamine, nulli dubium est, quin hujusmodi licentia medicis danda sit, et ab imprudentibus removenda. Vera, inquit, asseris: ergo principes urbium, siquibus et aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro patria et civibus.* Et nos igitur (loquitur Origenes) illius praecepti memores: *loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*, non debemus dicere, quis est proximus meus? sed considerare, quomodo philosophus caute dixerit, Deo indecens et inutile esse mendacium; hominibus interdum utile; et quod ne pro dispensatione quidem putandus sit Deus aliquando mentiri. Sin autem commodum audientis exegerit, verbis loquitur ambiguis et per aenigmata, quae vult, profert, ut et veritatis apud eum dignitas conservetur: et ut, quod noxium esse poterat, si nudum proferretur in vulgus, quodam tectum velamine proferatur. Homo autem, cui incumbit necessitas mentiendi, diligenter attendat, ut sic utatur interdum mendacio, quomodo condimento atque medicamine, ut servet mensuram ejus, ne excedat terminos, quibus usa est Judith contra Holofernem, et vicit eum prudenti simulatione verborum. Imitetur Esther, quae Artaxersis sententiam, diu tacita gentis veritate, correxit: et in primis patriarcham Jacob, quem legimus benedictiones patris artifici impetrasse mendacio. Ex quo perspicuum est, quod nisi ita mentiti fuerimus, ut magnum nobis ex hoc aliquod quaeratur

bonum, judicandi simus quasi inimici ejus, qui ait: *ego sum veritas.* »

Ex hac Origenis discussione offensus Hieronymus, valde in Ruffinum conqueritur veluti cum ipso Origene consentientem, aut foederatum in mendaciis et perjuriis. Quod aegre tulit Ruffinus idem; uti significavit Hieronymus in Libro I. adversus ipsum, inquiens: « Indignantur (Ruffinus ejusque asseclae) quare origenistas scripserim inter se orgiis mendaciorum foederari. Nominavi librum, in quo hoc scriptum legerim, idest sextum *Stromatum* Origenis: ubi Platonis sententiae nostrum dogma componens, ita loquitur: *Plato in tertio*, etc. ut supra. Deinde concludit Hieronymus: « Haec Origenes scripsit: negare non possumus. Scripsit in libris, quos ad perfectos et ad discipulos loquebatur; docetque magistris mentiendum; discipulos autem non debere mentiri. Qui ergo bene mentitur, et absque ulla verecundia quidquid in buccam venerit, confingit in fratres, magistrum se optimum probat. »

Ex his itaque Origeni et hinc Ruffino quasi ejusdem vindici exprobravit Hieronymus illud, quod primus idest Origenes ab exemplis Judithae, Estheris et Jacobi quodammodo mendacium excuset, aut permittat, Platonis auctoritate praemissa. Qui, gravibus ad hoc agendum patriae circumstantiis exigentibus, ait, prudentes solos mendacio tanquam condimento, seu pharmaco uti posse; idest cum reipublicae in discrimine constitutae consulere velint. Quamvis autem magni quidem momenti haec habeatur quaestio, adeo ut me imparem fatear aptum concinnando responsum; nihilominus nonnulla notatu digna puto lectoris submittere judicio.

In primis, sane durius mihi videtur Hieronymus Origenis dicta animadvertisse, consequentiam inde eruens, *magistris mentiendum esse; discipulis vero id non licere.* Quod revera non ita absolute docuit Origenes; nec multo minus hoc voluit Ruffinus, qui *Stromatum* libros nondum legerat. Origenes enim, sicuti morum christianorum integritati prospicit, sic quoque a sanctis viris ac mulieribus in sacra Scriptura commendatis, et ceu in exemplo nobis traditis, uti par est, defectus omnes, qui illorum sanctitatem labefactare viderentur,

detergere conatur. In quibus maxime elucent Jacob, Esther, et Judith, quarum et ipse Hieronymus virtutes praeclaras colit.

Secundo, quivis sedulo Origenis sermonem consideret; qualive ratione Platonis verba recitet, cum nec prorsus ea commendet, nec omnino respuat, viderit quoque Auctorem Spiritus Sancti auctoritatem praeferre Philosophi mandato, et ab exemplis Scripturae temperare hujus illusionis usum, adjiciendo: « Cum alicui incumbat necessitas mentiri, illud sibi agendum esse, quodam verborum velamine, ita ut non excedat terminos, quibus usi sunt Jacob, Esther et Judith, aliter sciens Evangelio contraire: *ego sum veritas.* » Proinde minus comprobanda venit illatio Hieronymi, quam hinc deducit et Origeni adscribit universim et absolute: « Magistris nempe mentiendum esse, discipulos autem non debere mentiri; qui ergo bene mentitur, et absque ulla verecundia, quidquid in buccam venerit, confingit in fratres, magistrum se optimum probat. » Quod, inquam, praeter Origenis mentem inde elicit Hieronymus.

Tertio, etsi non appareat ex Hieronymi dictis, unde Origenes occasionem repererit hanc ineundi quaestionem de mendacio, attamen non videbor illusus, statuens, hanc ipsum accepisse a praeceptore suo Clemente alexandrino, qui in Libro VII. n. 9. *Stromatum* eadem fere docet, scribens: « Quidquid habet in mente (vir sincerus) id etiam fert in lingua, apud eos, qui digni sunt audire, ex assensione et certa sententia simul docens et vivens. Vera enim simul sentit, et dicit; nisi quando loco medicinae, ut medicus ad aegrotantes, ad eorum, qui laborant, salutem, mentietur, aut falsum dicet, ut ajunt sophistae. Ecce Timotheum circumcidit praeclarus Apostolus.... Se judaeis accommodans, factus est judaeus, ut judaeos lucrifaceret. Qui ergo propter proximorum salutem, quibus se accommodat, se dimittit, is nullius simulationis omnino astringitur particeps ob periculum, quod imminet justis, ab iis, qui eis invident. Propter autem propinquorum utilitatem, faciet quaedam, quae primario non fierent ab eo, si non faceret illorum causa. Is enim seipsum tradit pro Ecclesia, pro familiaribus, quos ipse in fide genuit,

in exemplum iis, qui suscepturi sunt illud officium benigni et pii doctoris, ut ostendat verborum veritatem; et operetur charitatem in Dominum etc. »

E qua discussione, ut praefatus sum, colligitur, Origenem dicta esse interpretatum Magistri. Ubi enim dixit Clemens *sophistae* vel *philosophus*, Origenes scripsit *Plato;* et fere in celeris conveniunt. Nisi quod in sermone Clementis, clare hujus doctrinae scopus comprehenditur, et quali sagacitate usus est Auctor in his dictandis libris. Tantummodo unus ab altero differt, quod Clemens circumcisionem Timothei per Apostolum patratam in exemplum demonstrationis suae tulerit: Origenes vero Judithae, Estheris et Jacobi historiam; adeo ut, si in primo nihil videatur reprehensione dignum, similiter in secundo putandum sit.

Quarto, hic notare juvat, quae ipse Hieronymus *in Epistola* 70. 4. ad Magnum Oratorem Romanum scribit de Clemente alexandrino; cujus vestigia secutus est Origenes in hoc *Stromatum* Opere: « Clemens, inquit, alexandrinae Ecclesiae presbyter, meo judicio omnium eruditissimus, octo scripsit *Stromatum* libros, et totidem *Hypotyposeon,* et alium contra Gentes: Paedagogi quoque tria volumina. Quid in illis indoctum? Quid non e media philosophia est? Hunc imitatus Origenes, decem scripsit *Stromateas*, christianorum et philosophorum inter se sententias comparans; et omnia nostrae religionis dogmata, de Platone et Aristotile, Numenio, Cornutoque confirmans. » Hos sane Clementis libros Alexander Hierosolymorum episcopus et Narcissus insignes vocant et luculentissimos: nec ab ullo alio, ait Ruffinus, reprehensos nisi ab Hieronymo. Nisi quod haud attenderit Hieronymus, cum ob *Stromatum* libros Origenem et origenistas *orgiis mendaciorum foederatos* vocat, alibi ob eosdem libros amplissimis laudibus se celebrasse Origenem. Et sane quidem, si Clementis studium in his concinnandis libris in eo versatum est, ut fidei integritatem, morumque disciplinam in Ecclesia Christiana servaret illibatam; et si eidem aemulatus, vestigia magistri calcarit Origenes in eodem Opere; quomodo suspicandum est istum ab ea cura decessisse, viro christiano licere mendacia loqui ulla absque verecundia docentem?

Ideoque, etsi in contextu verborum Origenis, ceu prodit Hieronymus in Libro contra Ruffinum, quidquam improbabile appareat; tamen ex consequentia deducitur, Origenem secundum apostolicum mandatum fideles hortari, ut mendacium effugiant. *Loquimini*, inquit, *veritatem, unusquisque cum proximo suo*. Nisi quod ait, ob quasdam circumstantias, magnaque rerum discrimina, quandoque instar Jacobi, Judithae, et Estheris, velamine quodam licere rem obtegere: quarum sanctitatem veritus Origenes, illarum locutiones ambiguas, quamvis christianis institutionibus contraire viderentur, excusare statuit; et hinc veniam dari posse aliquando verum occultandi sub talibus conditionibus docuit.

Praeterea Origenis sensus non videntur contemnendi eo magis quod ipsum in hac re imitati sint prisci Ecclesiae Patres, deinceps ceteri Bibliorum interpretes. S. Ambrosius *De Viduis* scribit: « Diuturnis igitur maeroribus, et quotidianis roborata jejuniis sancta Judith, quae seculi oblectamenta non quaereret, periculi negligens, mortisque contemptu fortior, ut commentitium strueret dolum, vestem illam jucunditatis, qua vivente viro, vestiri solebat, se induit etc. » Item in Libro III. Offic. c. XV. Ecce tibi, ait, Judith se offert mirabilis; quae formidatum populis virum Holofernem adiit, assyriorum triumphali septum caterva, quem primo formae gratia, et vultus decore perculit: deinde sermonis circumscripsit elegantia. » Licuit mulieri (inquit Augustinus in sermone *De tempore* 228.) exarmare juvenes, et debellare victores, solicitam defendere civitatem, et barbarum subvertere bellatorem. Decepit sincera corruptum: pudica peremit adulterum; sobria jugulat ebriosum. Illa enim tam barbaros animos insidiosi vultus sui fraude confuderat, ut eum ligaret multarum arte fabularum, ut redderet inter exercitus victum, et inter arma captivum. » Et in sequenti Sermone addit: « Non decuit pudicam mentiri: non intelligentibus dixit: perfecit quod actibus promisit. » Quos et divi Ambrosii et Augustini sensus item exposuit Origenes inquiens, Juditham vicisse Holofernem *prudenti simulatione verborum*. Ideoque si reprehensione dignum quis putarit Origenem ob illud quod Judithae excusarit mendacium, cum Origene exprobrandi e-

runt et Ambrosius et Augustinus, ceterique sacrae Historiae commentatores.

Demum non est hic omittendum, quod Ruffinus in Libro II. n. 1. Hieronymo respondit relate ad hanc adversus seipsum insimulationem, quasi unum ex illis, quos s. Doctor orgiis mendaciorum nominat foederatos: « Est enim, inquit Ruffinus, etiam illud accusationis ejus gravissimum caput, quod similiter, ut cetera mendacia, veritatis falce resecandum est. Ait enim confoederatos esse quosdam Origeni ad perjurium; et istud mysticae ejus traditionis arcanum absconditum esse in sexto *Stromatum* Libro, nec ab ullo alio in tot seculis, nisi a se solo deprehensum. Verum ne risum ei moveam, si jurisjurandi sacramento alienum me esse confirmem a confoederatione perjurii: planiore via ad manifestationem veritatis incedam, ex eo quod facillime probare possum, nec habuisse me unquam libros istos, nec legisse a quoquam praestitos. Et sicut me non possum excusare de eo, quod quale sit, nescio, ita ne accusari quidem possum de eo, quod vel si sit, penitus ignoro. »

Cuncta vero (obiter modo dicam) quae hic narrantur, parum s. Hieronymo decora, ei condonanda putes, haud ignarus, s. Doctorem, postquam in quaestione origeniana Theophilo alexandrino adhaesit, tum aliter sensisse ab eo, quod antea senserat de eodem Origene, tum improbitatis nescium et perfidiae Theophili, istius per omnia consiliis cessisse, dictis et suasionibus, veluti discipulum sub magistri regimine: de qua re in Tomo sequenti.

CAPUT XXXIV.

Convellitur insimulatio in Origenem, quod in suis tractatibus nimium indulserit Philosophiae platonicae.

Altera vero criminis nota in Origenem instituitur ab adversariis, causam inde deducentibus aberrationis suae a veritate catholica, quod scilicet plurimum philosophiae ethnicae praesertim platonicae concesserit. Ita namque Daniel Huetius de eo scribit in Libro II. *Origenianorum* c. I. n. 4: « Unum autem prae reliquis philosophis Platonem admiratus est: sic ut christiana dogmata ad platonicae doctrinae leges, non ipsam Platonis doctrinam ad Christi effata accommodaret.... His ita platonicorum deliriis sincerum doctrinae christianae vas, postquam incrustavit Adamantius, ex ipso doctrina ejus corrupta est, et profanis imbuta erroribus; unde infinitis jactatus conviliis et querelis in summas incidit calamitates, et laudem meritis partam decoxit. »

Quapropter praeter ea, quae ex ejusdem Operibus hausimus, in quibus a suppositis erroribus Auctorem vindicavimus; studiose, quid de Platonis maxime philosophia senserit et qua ratione illius opiniones in suos transfuserit libros, brevi scrutemur. Et primum sane, non ipsi soli Origeni hoc exprobrandum foret, uti vult Hieronymus, praeter recentiores, quod Clementem alexandrinum imitatus, christianorum et philosophorum comparans sententias, omnia nostrae religionis dogmata de Platone, de Aristotile, Numenio et Cornuto confirmarit; verum eodemque jure reliqui redarguendi erint veteres Ecclesiae scriptores, qui ante illius aevum et postea, de re christiana bonemeriti sunt; Athenagoras, dico, Justinus martyr, Theophilus, Tertullianus, Eusebius, Lactantius, Augustinus, Cyrillus alexandrinus, aliique. Ipsi enim in philosophia graeca versati, inde eruerunt tum, quae sibi adjumento forent causa ethnicarum religionum vanitatis ostendendae, tum pariter quae sibi praestitissent commodum ad infidelium animis blandiendum; collatis nimirum quae Christi, quaeque philosophorum erant dogmata, utrinque ea excutientes et il-

lustrantes, donec eorum mentem a veritate alienam, ad meliorem frugem reducerent. Quod proprie christianae philosophiae munus est, nolentis, quantum fieri possit, in christiani dogmatis discussione humanae intelligentiae cohibere vires, sed a nobis exigentis erga illud rationabile obsequium.

Quapropter Clemens idem alexandrinus pro se et pro Origene in Libro I. *Stromatum* scribit. Ait enim: « Et est quidem per se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia, non veritatem facit potentiorem; sed debilem adversus eam efficit sophisticam argumentationem; et propulsans dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes et vallus. Et quae est utique ex fide veritas, tanquam panis, necessaria est ad vivendum. Quae autem praecedit disciplina, est obsonio similis et bellariis: desinente vero coena, suavis placentula, ut inquit Pindarus Thebanus. Aperte autem dicit Scriptura: *astutior erit simplex intelligens. Sapiens autem suscipiet cognitionem* Et: *qui a seipso quidem accepit, gloriam propriam quaerit,* inquit Dominus. *Qui autem quaerit gloriam ejus, qui misit ipsum, verus est, et injustitia non est in ipso* etc. »

Hanc secutus methodum Origenes, conscius pariter, neque in omnibus Legi Dei contrariam esse philosophiam, sicuti neque in omnibus consonam, ita se gessit, ubi opus ei adstitit pro varietate quaestionis, seu potius pro illorum ingenio, quibuscum disserebat, ut omnibus omnia factus, incredulos haereticosque lucrifaceret, dubiis consuleret, Christi Ecclesiam aedificaret. Adeo tamen ut in similibus disputationibus nunquam divinorum Bibliorum auctoritati praemitteret philosophorum dogmata. Haec autem veluti illorum consequentiam adhibens, curiosis auditoribus explanando objiciebat. Et id praesertim egit in libris contra Celsum; quorum in VI. n. 2. ait, philosophos graecos et maxime Platonem utiliter laborasse; eorumque dogmata quaedam eadem esse, ac christianorum; certe vero non esse eisdem eamdem vim ad animas eo adducendas, ut ex iis mores conforment.

Ideoque paulo post n. 5. inquit: « Jam quod ait Plato *summum bonum in anima inflammari tanquam lumen ex igne,*

id ante nostrae docuerant Scripturae. *Illuminate vos*, inquit Propheta, *lumine scientiae.* » Et multis e Scripturis adjectis ad hoc testimoniis concludit: « Nunc vide quantum differat id, quod pulchre de summo bono dictum est a Platone, ab iis, quae prophetae de beatorum lumine dixerunt. Adverte hoc etiam, veritatem, quam de summo bono Plato deprehendit, nihil ad sinceram pietatem adjuvare nec lectores, neque Platonem talia de summo bono philosophatum. Contra vero simplici Scripturarum stilo afflari divino quodam ardore eos, qui bona fide illas evolvunt; et apud quos lumen illud alitur oleo, quo in quadam parabola quinque virgines sapientes lumen lampadum suarum sustentasse dicuntur. »

Deinde nn. 17. 18. Celsum corripit, quod rejectis Scripturis christianorum, sententias e libris Platonis depromat quasi divinis; ex quibus tamen, subdit Origenes Philosophum haud adduci potuisse, ut veram pietatem coleret, abjecta idolorum superstitione. Ac denuo multis e Scriptura de Deo ejusque regno testimoniis adsertis, instans ait: « In sacris prophetarum Litteris inesse quid augustius, quam in platonicis sententiis, quas tantopere admiratur Celsus; si modo oculi legentium ii sint, qui majestatem Scripturarum inspicere valeant. » Ulterius Auctor progreditur contra eumdem Celsum ostendens, Scripturas hebraeorum et sapientia et antiquitate graecorum disciplinae excellere et maxime Platonis; atque hunc ultimum frequenter fabulas suis inseruisse libris; et illud praecipuum, quod in Phaedone *de terra pura in coelo puro sita* philosophatus est: unde subdit Origenes in Libro VII. n. 30: « Nobis hoc erat propositum ostendere, quae de terra sancta credimus, ea nos nec a graecis nec a Platone didicisse; illos vero, qui non antiquissimo Moyse solum, sed etiam plerisque prophetis recentiores sunt, aut male intellexisse, quae de illis rebus a quibusdam obscure indicata sunt, aut illa e sacris Scripturis, quae sibi in manus venerant, falso imitatos, hujusmodi quaedam de meliori terra dixisse. »

Denique in eodem Libro VII. nn. 41. 42. volens Celsus, poetas et philosophos ethnicos praeiisse christianis sicuti et vetustis hebraeis; ac tanquam duces istos habendos esse, ac

Moysi praeferendos ceterisque prophetis, inter illos citat Platonem tanquam efficaciorem rerum theologicarum doctorem, dicentem : *hujus universitatis architectum ac patrem invenire difficile ; et quando inveneris, notum omnibus facere impossibile.* His respondens Adamantius scribit : « Fateor sublimem atque adeo mirandam hanc esse Platonis sententiam. At vide an non divina Scriptura suppeditet majoris humanitatis argumentum in Deo Verbo; quod cum esset apud Deum in principio, factum est caro, ut ad omnes pervenire posset illa doctrina, quam qui invenerit, omnibus notam facere Plato ait impossibile. Plato igitur dicat Creatorem et Patrem hujus universi inventu esse difficilem, innuens fieri posse, ut humana natura Deum pro ejus dignitate inveniat; sin minus, saltem ut multum accedat, et vulgo perfectius cognoscat : (quod tamen si ita esset, sique Deus a Platone, aut a quolibet e graecis vere fuisset inventus, non aliud quid coluissent, non alium vocassent, et adorassent Deum, illum relinquendo, vel cúm illo consociando res, quae cum tanto Deo consociari non poterant); nos autem affirmamus, Deum a natura humana nullo modo quaeri aut pure inveniri posse, nisi adjuvetur ab eo, quem quaerit; quique invenitur ab iis, qui postquam quidquid in se est, fecerunt, se illo habere opus confitentur, qui se notum faciat iis, a quibus aequum judicat se videri, quantum Deus ab homine cognosci, quantum humana anima adhuc corpori alligata Deum cognoscere potest. »

En quanti Origenes fecit philosophorum et praecipue Platonis sensus, iis collatos, qui in divinis Scripturis reperiuntur. Videas, num Auctor Platonis magis assertis cesserit quam Christi institutionibus, in Ecclesiae negotiis excutiendis et in haereticis confutandis; num Bibliorum testimonia, aut regulam apostolicam et ecclesiasticam submiserit philosophiae platonicae sanctioni; utrum denique humanam auctoritatem prae divina considerarit; et an errantium et incertorum philosophorum placita praetulerit certo et infallibili Ecclesiae catholicae Magisterio. Frustra ergo corripitur Origenes quod ob philosophiae platonicae studium in errores inciderit, posthabitis propheticis et apostolicis assertionibus, divini Spiri-

tus afflatu dictatis. Et ut cernas, qua cautione haec omnia in suis Operibus servaverit, legito, quod ipse in Libro III. c. IV. n. 1. *De Principiis* ait, de animae nostrae substantia disserens; ubi expositis variis de ea philosophorum opinionibus, eas abjicit haud Scripturarum auctoritate suffultas: « Ex quibus, docet, illud interim, quod quibusdam graecorum philosophis visum esse diximus, quia tripartita sit anima, non valde confirmari ex divinae Scripturae auctoritate pervideo. Ad alia vero duo, quae reliqua sunt, inveniri possunt aliquanta, quae ex divinis Litteris aptari posse videantur. » Ac paulo ante c. III. n. 4. dixerat, errores, fabulas, impiave dogmata de Christo commenta fuisse ab iis, qui, praeterquam regula Scripturarum patiebatur; docebant.

Porro haec omnia hucusque expensa in Origenis gratiam adversus suos accusatores, perbelle roborantur ab ejusdem Epistola ad Gregorium (Tomo I. p. 30) ubi eum hortatur, ut caute se agat in gentium disciplinis vacando; ne forte in earum laqueos incidat. Plures enim ait, qui postquam Legi Dei nomen dederint, cum externa philosophia versatos ob quamdam cum ipsa initam affinitatem, a veritate decessisse. Itaque scribebat: « Solet tamen divina Scriptura, e terra filiorum Israel in Aegyptum descensum in malis ponere; tacite innuens, quibusdam malum esse versari cum aegyptiis, hoc est cum mundi disciplinis, postquam Legi Dei nomen dederint, et israeliticae in Deum pietati. Ader certe idumaeus, quamdiu fuit in terra Israel nec gustavit aegyptiorum panes, idola non fabricatus est. Cum vero a sapiente Salomone aufugiens descendit in Aegyptum, veluti fugiens a Dei sapientia, cum Pharaone affinitatem iniit, ducta uxore ipsius sorore, et procreato ex ea filio, qui inter Pharaonis liberos educatus est. Quare etsi in terram Israel reversus est, in id reversus est, ut Dei populum divideret, eoque induceret, ut de aurea vitula diceret: *hi sunt dii tui, Israel etc.*

« Ac ego doctus experientia dicerem tibi, paucos admodum inveniri, qui perceptis Aegypti utilitatibus, ex ea egressi sint, et quae ad Dei cultum pertinent, constituerint; multos vero esse Ader idumaei fratres. Hi sunt qui ex quadam graeca solertia (idest ex quadam convenientia cum graecorum di-

sciplinis) haereticas opiniones genuerunt, et ceu vitulas quasdam aureas fabricati sunt in Bethel, quae interpretatur *domus Dei*. His mihi videtur tacite indicari, sua eos commenta affinxisse Scripturis; in quibus Dei verbum habitat; et quae tropice appellantur Bethel... Tu igitur, Domine fili, praecipue attende divinarum Scripturarum lectioni; sed attende: multa enim attentione nobis, qui divina legimus, opus est; ne de iis aliqua inconsideratius dicamus aut sentiamus. Et attendens divinarum rerum lectioni cum fideli, et quae Deo placeat, anticipata opinione, pulsa quae in iis clausa sunt, et aperietur tibi a janitore, de quo dixit Jesus: *huic ostiarius aperit* etc. »

Cernito ergo qua cura Gregorium, ut caute se gerat in graecarum institutionum studio, moneat Origenes, asserens eas in Ecclesia Christi peperisse haereses. Et si talia praecepta Gregorio tradat Auctor, vix, puto, admittendum est, hunc in suis operibus platonicae coaluisse philosophiae, ac zizania superseminasse in agro dominico, ut inde nova ac peregrina dogmata induceret in fidelium coetum, quemadmodum eum culparunt adversarii. Quinimmo et ob hoc monitum Gregorio praebitum, liceat amplius nobis Origenis mentem in hac quaestione et satius comprehendere, et aliter ab eo, de quo hucusque insimulatus fuit; illud, inquam, animadvertentibus, quod ait in altera Epistola (Tomo I. p. 4.) adversus eos, qui nimiam ejus curam in disciplinis graecanicis arguebant: « Cum vero, inquit, me totum addixissem verbo Dei, ac de nostra eruditione fama jam celebrior spargeretur, confluentibus ad me nunc haereticis, nunc graecarum disciplinarum studiosis et maxime philosophis; scrutari haereticorum dogmata, et quaecumque a philosophis de veritate jactantur, excutere constitui. Atque hoc fecimus tum Pantaeni illius, qui ante nos multis profuit, exemplum secuti etc. »

Si itaque ista cum iis, quae ad Gregorium scribit, conferas, sane reperies, quare ipse Origenes in graeca philosophia studium insumpserit; non tantum scilicet ut eruditionis congeriem sibi compararet tanquam absolute rei christianae utilem; verum et praecipue ut infideles et haereticos commodius confutaret, falsa, quae ibi sunt, detegens cetera va-

na seu imperfecta, nullaque soliditate praedita, sicuti et fideli viro non satis prudenti noxia. Praeter hanc utique, quam praedixi, causam, quamque ceteri scriptores ecclesiastici servarunt cum ethnicis disceptantes de dogmate christiano, ubique vidimus Origenem, doctrinam apostolicam et regulam ecclesiasticam, uti ipse dicit, sive cum fidei hostibus disputantem, seu in concionibus pro pietate excolenda fidelium, fundamentum posuisse verborum suorum.

Praeterea, et istud veluti praefatorum adminiculum, si quandoque nonnullas complexus opiniones parum probabiles, Origenes errasse videatur; non quod ex judicio suo proprio seorsim ab aliorum auctoritate, seu quod revera graeci philosophi ita sentirent, deceptum scias: sed ipse illusus probatur, quod sic videretur Scriptura sacra secum et opinioni suae convenire. Ex. g. putavit Origenes, uti legitur in Libro I. c. VII. nn. 2. 3. *De Principiis*, stellas coelorum animatas esse, rationabiles, arbitrii capaces, ac inde non mundas esse a peccato; ex quo dicitur in Scripturis: *mandatum ego omnibus stellis praecepi*, item: *stellae non sunt mundae in conspectu ejus*. Tanta enim in divinum testimonium ipsius pollebat reverentia. De his vero conferas, quae superius dicta sunt. Interea ex his omnibus tum in hoc Capite, tum in praecedentibus, excussis, decernitur quanti sint facienda varia insimulationum genera in Origenem lata. Ipse enim, nec erravit in iis, de quibus accusatur et speciatim in praecipuis Ecclesiae dogmatibus, nec multo minus quod philosophorum obsecutus sit paradoxis.

Demum adversariis et nobis in hac insimulatione valde satisfacient quae Auctor ait in apostolica verba ad Romanos: *quia neque mors, neque vita...... poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro*: « Sed Paulus hic est, qui haec ita potuit dicere; quia nec praesentia, nec creatura alia potest eum separare a charitate Dei... Certe vel illud liceat a nobis confidenter dici, quia neque secularis literaturae amor, neque philosophorum sophismata neque mathematicorum deceptiones et astrorum simulati cursus, neque divinationes subreptitia daemonum fallacia commendatae, neque ullus omnino praescientiae amor

per ea, quae non licet, inquisitae, poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro. An non totius gentilitatis error hinc accepit exordium? etc. » Ita legitur Homilia II. n. 3. *in Librum Judicum*.

Et quomodo coram tantis Origenis obtestationibus resistere poterint criminatores; qui non aliunde nisi ex librorum suorum et maxime *Periarchon* falsationibus eruerunt, ut tam acriter irrumperent in virum, cujus pietas singularis, fides sincera, doctrina orthodoxa ubique eminent? Qui in domo Dei perpetuo elaboravit, ut falsas philosophiae graecae institutiones, divinae Scripturae substerneret auctoritate; et per Jesu Christi doctrinae splendorem magis paterent tenebrosa gentilium documenta?

Ac propterea, postquam pluribus hucusque ostendi argumentis *Periarchon* libros perfida manu falsatos, mihi liceat modo asserere fidenter, Origenem in hoc conflando Opere, illud ipsum intuitum esse, quo miratus est in libris adversus Celsum. In utrisque unus et idem scopus fuit; una et eadem fides; unus et idem terminus; idest Christi triumphus super infideles et super haereticos. Contra Celsum ethnicorum speciatim conculcavit fallacias. In *Periarchon* haereticorum Marcionis, Basilidis et Valentini confutavit impietates. Et hinc nemo offendatur ex his novissimis verbis circa *Periarchon* libros. Donetur mihi codex graecus *Periarchon* in sua integritate, veluti primum ab Origene conflatus est: et ego donabo vobis praestantissimum philosophiae et theologiae christianae Opus.



CAPUT XXXV.

De Poenitentiae Sacramento sive de Exomologesi *Confessione et Remissione peccatorum, quid senserit docueritque Origenes, explanatur.*

Quamvis longissimis discussionibus pro Origene elaboratis lectorem lacessitum videam; nihilominus hostes ab expugnatione lassi non videntur. Undequaque enim et quotidie ab eisdem obsidetur et premitur: et quocumque te vertas et a priscis et a recentioribus agitatur insidiis doctrina ipsius. Multum quidem a coaevis, et valde valde, labente seculo quarto, impetitus fuit ab adversariis. Et si in quibusdam quaestionibus tunc a contradictionibus mansit immunis, modo novis, de quibus veteres siluere, contestationibus, ejusdem fama patitur discrimina. Quae contestationes cum heterodoxorum recentium juvent placitis adversum Canones tridentinos, hinc etiam ipsae Origenis oppugnatoribus prosunt ad ejusdem coarguendos errores.

Hae autem maxime Poenitentiae sacramentum pertingunt, aut potius peccatorum remissionem: ubi visus est cum montanistis et novatianis convenisse Origenes ob ea, quae docuit in Libro *De Oratione* n. 28. Evangelii verba exponens: *et dimitte nobis debita nostra, sicuti et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quibus explanandis haec ab eo notantur dicta ex Joannis capite XX: « *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt.* Ista si absque examine accipiantur, accusandi videbuntur apostoli, quod non omnibus remittant, ut omnibus remittatur; sed quorumdam retineant peccata, ita ut per eos etiam apud Deum retineantur. Utile autem erit exemplum a Lege desumere, ut intelligatur ea, quae per homines a Deo fit, remissio peccatorum hominibus. Prohibentur Legis sacerdotes pro quibusdam delictis offerre sacrificium, ut iis, pro quibus sacrificia offeruntur, remittantur delicta. Nec unquam sacerdos, qui involuntaria quaedam remittendi potestatem habet, aut pro delictis offerendi, jam etiam pro adulterio aut

voluntaria caede, aut quovis alio graviori scelere holocaustum offeret (aut) pro peccato. Sic itaque apostoli, et, qui similes apostolis sunt, sacerdotes juxta magnum Pontificem, disciplina divini cultus instructi et a Spiritu edocti, sciunt pro quibus peccatis et quando et quomodo offerre sacrificium oporteat; et pro quibus non oporteat etiam norunt.

« Quamobrem sacerdos Heli cum peccantes nosset filios Ophni et Phinees, nec quam posset eis opem in remissionem peccatorum afferre, etiam id posse fieri se desperare fatetur his verbis: *si peccans peccaverit vir in virum; et orabunt pro eo. Si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* Sunt nonnulli, qui nescio quomodo sibi arrogant ea, quae sacerdotalem superant dignitatem, forte etiam rudes sacerdotalis disciplinae, gloriantur que quasi possint etiam idololatriam condonare, et adulteria, et fornicationes remittere: quasi, modo pro iis oraverint, qui hujusmodi facinora patrarint, solvendum sit etiam quod ad mortem est, peccatum. Non enim illud legunt: *est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Praetereundus non est fortissimus Job, qui pro filiis offerebat sacrificia, dicebatque: *ne forte filii mei in mente sua mala cogitaverint adversum Deum.* Nam pro iis peccatis offert sacrificium, quae an admissa sint, dubitat, quaeque ad labia usque non processerunt. »

Ex his verbis putarunt, ceu dixi, Origenem docuisse triplex peccatorum genus idest idololatriam, adulteria et fornicationes, insanabile haberi, et proinde a sacerdotibus retinendum: quamvis alii mitius hos sensus interpretari praesumant ex collatione praesertim aliorum locorum, ubi idem agitur argumentum. Ego autem, ut ubique pateat, eamdem fidem professum esse Auctorem, ac sibi sicuti Ecclesiae institutionibus concordem, priusquam citata dicta enucleentur, nonnulla de *exomologesi* et hinc de culparum remissione ab ipso discussa, praelibare statui. Quae non tantum origeniani dogmatis integritati consulant, verum ut recentiorum heterodoxorum illusio appareat, qui Auctorem advocant suae insaniae patronum adversus Romanam Ecclesiam per ea, quae de hoc Poenitentiae sacramento frustra praesumunt.

Et quidem Homilia II. *in Leviticum* n. 4. conferens Moysi instituta in Lege de peccatorum venia illis, quae docuit Christus in Evangelio, vias enumerat, quibus in Lege prius, in Ecclesia deinde remittuntur peccata. Quare ait christianorum animos non esse prae virtute erigendos, neque prae desperatione dejiciendos cum peccaverint, scientes, peccatum et peccati poenas condonari in baptismo, et post baptismum per confessionem sacerdoti factam, et amplius non solum quosdam et leves, sed et universim omnes cujusque generis reatus etiam gravissimos remitti. Scribit enim :

« Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum ; et fiunt ei lacrymae suae panes die ac nocte : et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam secundum eum, qui ait : *dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem cordis mei.* In quo impletur et illud, quod Jacobus apostolus dicit : *siquis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiae, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* » Et en quomodo, nullis exceptis reatibus, Origenes doceat, exacta *exomologesi*, veniam peccatorum obtineri a poenitente.

Insuper nedum publicorum, sed et occultorum statuit Auctor exigi a poenitente reatuum indiscriminatim confessionem : et hoc roborat item Homilia III. *in Leviticum* n. 4. ex istius mandato : « *Si peccaverit*, inquit, *unum aliquid de istis, pronunciet peccatum, quod peccavit.* Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod jubet pronunciare peccatum. Etenim omni genere pronuncianda sunt ; et in publicum proferenda cuncta, quae gerimus ; siquid in occultum gerimus, siquid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri.... *dixi, pronunciabo adversum me injustitiam meam; et tu remisisti impietatem cordis mei.* Vide ergo quia pronunciare peccatum, remissionem peccati meretur. Praeventus enim diabolus in accusatione, ultra nos accusare non poterit. Et si ipsi nostri simus accusatores, proficit nobis ad salutem : si vero ex-

pectemus ut a diabolo accusemur, accusatio illa cedit nobis ad poenam. Habebit enim socios in gehenna, quos convicerit criminum socios. »

Item Homilia X. *in Numeros* n. 1. De eo quod scriptum est: *et dixit Dominus ad Aaron; tu et filii tui, et domus patris tui tecum sumetis peccata sanctorum*, varia sanctorum genera distinguens in Ecclesia, nequaquam sanctos habendos ait, qui in peccatis suis moriuntur: « Qui sancti sunt, pro peccatis poenitudinem gerunt, vulnera sua sentiunt, intelligunt lapsus, requirunt sacerdotem, sanitatem deposcunt, purificationem per Pontificem quaerunt. » Unde concludas, omnia generatim tolli peccata per confessionem coram sacerdotibus sincere exactam; veluti postea Synodus tridentina in Sessione XIV. confirmavit.

Verumtamen valde argumento accommodatur, quod ipse Origenes exponit in Homilia I. et II. ex verbis Psalmi 37. *Domine ne in furore tuo arguas me*: ubi accurate de hoc agit sacramento, ejusque administratione prope illius aetatis consuetudinem. Ubi nimirum *exomologeseos* delictorum etiam occultorum statuit necessitatem: quorum ulla absque malitiae differentia veniam a Deo obtineri dicit, expletis tamen, quae tunc Ecclesia postulabat a poenitentibus. Ita namque sapientissime exorditur Homiliam I: « Creator humanorum corporum Deus sciebat, quod talis esset fragilitas humani corporis, quae languores diversos posset recipere, et vulneribus, aliisque debilitatibus esset obnoxia: et ideo venturis passionibus providens, etiam medicamenta procreavit ex terra, et medicinae tradidit disciplinam, ut, si acciderit aegritudo corpori, non deesset medela. Quo nobis tendit ista praefatio? Ad animam sine dubio revocatur: quoniam et ipsam cum Creator omnium condidisset, sciebat quod futura esset vitiorum capax, et ob hoc subdita atque obonerata peccatis.

« Et ideo sicuti corpori medicamenta praeparavit ex herbis arte et disciplina compositis: ita etiam animae medicamenta praeparavit in his sermonibus, quos per divinas Scripturas seminavit ac dispersit: ut ii, qui aliqua aegritudine fuerint oppressi, statim ut vim morbi senserint, atque alicujus vulneris stimulum doloremque perspexerint: idest cum

viderint animam aliquid praeter naturam gerentem, requirant aptam et convenientem sibi rationabilem disciplinam, quae ex praeceptis Dei eis possit mederi. Nam tradidit et medicinae artis industriam, cujus *archiatros* est Salvator dicens de se, quia *non opus habent, qui sani sunt medico, sed qui male habent.* Et ille quidem erat *archiatros*, qui posset curare omnem languorem et omnem infirmitatem. Discipuli vero ejus Petrus et Paulus, sed et prophetae medici sunt: et hi omnes, qui post apostolos in Ecclesia positi sunt; quibusque curandorum vulnera disciplina commissa est, quos voluit Deus in Ecclesia sua esse medicos animarum, quia non vult Deus noster mortem peccatoris; sed poenitentiam et orationem ejus expectat etc. »

Deinde ex eodem Psalmo plura exponit, quae ad veniam et veram emendationem perducant homines noxios, eosque a culpa amoveant: in quibus, ceu proposito nostro admodum utilia, notantur discussa in Homilia II. n. 6. ex his: « *Quoniam iniquitatem meam pronuncio.* Pronunciationem iniquitatis, idest confessionem peccati, frequentius diximus. Vide ergo, quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur: ita etiam hi, qui peccaverunt, siquidem occultant, et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum.

« Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam; ut ita demum siquid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, siquid consilii dederit, facias et sequaris. Si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt, et tu ipse

facile sanari; multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est. »

Quanta igitur perspicuitate haec de confessione auriculari dictavit Origenes, ut quisque intelligat peccatoris debitum reatus suos declarandi coram sacerdote ad veniam assequendam; tantumdem Auctoris ipsius prudentia pro locis et tempore adhibita, constat, qua ipse animi infirmitatibus potionem salutarem propinat, et sanationem vulnerum. Attamen non ista tantummodo in his Homiliis sunt animadvertenda, quippe ex praefatis quoque constent: sed illud prodest, quod is, nulla culparum instituta differentia, ait, mediante oratione sive absolutione sacerdotali, omnia remitti peccata, cujusvis generis sint, et gravissima. Et hoc eruitur potissimum ex iis, quae de gravioribus peccantium maculis locutus, eosdem hortatur, ut quasque in hac vita perferant poenas et flagella, suis cujusvis generis culpis debita, ut in altero seculo ignis aeterni supplicia effugiant.

Hoc autem perspicue in Homilia I. n. 1. statuit ex Apostoli exemplo in Epistolis ad Corinthios; qui primum incestuosum ab Ecclesia ejecit, deinde poenitentem Ecclesiae admisit. Nemo enim ignorat ipsum et adulterium et incestum patrasse, et talem in publico haberi reum: nihilominus, eo resipiscente, veniam obtinuit, et confirmata est in eo charitas, uti Corinthiis mandat Apostolus: *confirmate in eum charitatem*. Quibus stabilitur Origenem haud adhaesisse montanistarum severitati erga adulteros et alios hujuscemodi reos criminum.

His praemissis, unde digressi sumus, redeamus, considerantes in quibus ille ex citato *De Oratione* Libro n. 28. sibi contraire videtur, insanabiles putans praefatas culpas. Ut autem recte exponantur, expositioni praeeat graecus. Ibi itaque notatis, quae sacerdotibus decent in culpis remittendis ne munus praetergrediantur ait: « *Ουκ οἶδ ὅπως ἑαυτοῖς τινες ἐπιτρέψαντες τὰ ὑπὲρ τὴν ἱερατικὴν ἀξίαν, τάχα μηδὲ ἀκριβοῦντες τὴν ἱερατικὴν ἐπιστήμην, αὐχοῦσιν ὡς δυνάμενοι καὶ εἰδωλολατρίας συγχωρεῖν, μοιχείας τε καὶ πορνείας ἀφιέναι, ὡς διὰ τῆς εὐχῆς αὐτῶν περὶ τῶν ταῦτα τετολμηκότων λυομένης καὶ τῆς πρὸς θάνατον ἁμαρτίας*. i. e. Nescio quo-

modo quidam (sacerdotes) sibi arrogantes, quae dignitatem sacram superant, neque forsitan accurate sacram callentes disciplinam, gloriantur, quippe qui valentes idololatriae parcere, et remittere adulterium et fornicatiónem, sicuti per orationem suam pro illis, qui ea ausi sunt (facinora), gloriantur nempe de soluto quoque peccato ad mortem. »

Haec interpretatio, ceu quisque videt, adeo differt ab ea, quae in Editionibus variis legitur, ut contrarium omnino asserat. Nimirum in quo latinus interpres vertendo significavit, *indulgentia privari christianum*, *qui fornicationem*, *adulterium et idololatriam admiserit*, quasi ita docuerit Origenes: ex adverso graecanicus sermo indicat per sacerdotes condonari hujusmodi reatus; etiamsi ipsi insuper praesumant contra propriam dignitatem, et peccatum ad mortem similiter remittere: quod Origenes non probat ex Joannis Epistola I. c. V. 16: *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Taliter autem se Auctoris mentem haberi constat, ex quo ipse distinxit peccatum ad mortem ab aliis reatibus fornicatione, adulterio, idololatria; et per hanc distinctionem reprehendit Ecclesiae sacerdotes, praesumentes a Deo precari veniam super illos, qui peccatum peccarant ad mortem, eadem ratione ac potestate, qua pro adulteris orant veniamque adprecantur fornicariis et idololatris; eosque a peccatis istiusmodi absolvunt. Quod neutiquam fieri potest, inquit, cum peccatum ad mortem sit aliud a reatibus praedictis.

Hoc autem magis a contextu probatur, ubi citatur Libri I. Regum testimonium c. II. 25: *si peccans peccaverit vir in virum, et orabunt pro eo. Si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* De quo quidem peccato ad mortem infra dicetur. Interim, ita expensis graecanicis verbis, non tantum praecedenti sermoni Origenes convenire apparet circa poenitentiae in nova Lege sacramentum; verum etiam iis, adversus Celsum Libro III. n. 51. dissertis quoad morum christianorum honestatem: et quomodo isti, si peccarint, denuo recipiantur, et quasi mortui resurgant. Ait enim: « Ac Pythagoreorum quidem veneranda schola mortuos reputans suae doctrinae desertores, illis construebat cenotaphia: similiter christiani ut perditos et Deo mortuos lugent eos, qui libidi-

ne, aut quovis alio crimine dejecti sunt: eosdem vero quasi a mortuis excitatos ducunt, si eam morum mutationem fecerint, cujus ratio haberi debeat; tardius tamen admittuntur, quam qui primo recipiuntur: et quia post professam religionem lapsi sunt, ab omni posthac dignitate in Ecclesia Dei arcentur. »

Non ergo dicit Origenes istos, quomodocumque deliquerint, exclusisse a poenitentia Ecclesiam. Quinimmo docet, Ecclesiam sibi illos reconciliare; quamvis tamen a sacerdotii munere deinde arcendi sint. Quapropter si praefati sensus Libri *De Oratione*, uti Interpres exposuerit, acciperentur, in antilogiam perspicue irrupisset Origenes, negando scilicet ibi quod alibi affirmavit: eoque magis quod non tantum hic, veluti montanistae, a reconciliatione excluderet Auctor idololatras, apostatas et adulteros, sed et fornicarios et gravioris peccati reos omnes.

Verumtamen, ut eo amplius in hac re fulgeat Origenis convenientia cum ecclesiastica illius aevi disciplina, nec ullimode ipsum haeresi studuisse, ad ea transeamus, quae scribit Homilia XV. *n.* 2. *in Leviticum de domorum venditionibus et redemptionibus*. Quas alias moeniis cinctas, alias sine moeniis, symbolice considerans, inquit, etiamsi quis in simplicitate cordis et puritate mentis domum sibi aedificavit, cumque simul fieri posset, ut peccans eam venumdare cogatur, tamen ipsius redimendi spem manere.

« Istas ergo domos, si forte alicui, sicut supra exposuimus, lapsus acciderit, semper est recuperandi facultas, ut verbi gratia dicamus, si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quae non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quae muro ecclesiastici et apostolici dogmatis cincta est; sed vel in sermonis vel in morum vitio consistat: hoc est vendidisse domum, quae in agro est, vel in vico, cui murus non est. Haec ergo venditio et hujuscemodi culpa semper reparari potest; nec aliquando tibi interdicitur de commissis hujusmodi poenitudinem agere. In gravioribus enim criminibus semel tantum poenitentiae conceditur locus: ista vero communia, quae frequenter incurrimus, semper poenitentiam recipiunt, et sine intermissione redimuntur. »

Ex his colligitur primo, ceu dictum est, in gravioribus delictis nequaquam ab Origene negari peccatoribus poenitentiam, etsi semel doceat tantummodo dari. Et istud sane destruit quod in Libro *de Oratione* supponitur contradixisse. Quinimmo ex hoc loquendi genere patet, haud ipsum ignorasse tunc temporis Ecclesiae disciplinam de fidelibus reis recipiendis in sanctorum coetum, postquam peccarant. At amplius hic juvat sensum expendere verborum: *semel tantum poenitentiae conceditur locus.* Non enim haec tam litteraliter, sive stricte sumenda sunt, adeo ut post baptismum siquis apostasiam, adulterium aut homicidium non semel, sed bis fortuito admisisset, tamquam damnatus foret perpetuo et absque apud Deum misericordia, et hinc in futuro seculo suppliciis mulctandus aeternis: quod sane infinitae Dei miserationi repugnat. *Non dico tibi septies, sed septuagies septies*, ait Christus.

Itaque Origenes frequenter docet, quomodocumque deliquerint peccatores, donec in hac degunt vita, quotidie tempus adesse resipiscentiae, spemque remissionis ac salutis, contra aliud decretum, quod in Evangelio sancitum est de reproborum in altero seculo insperata redemptione. Quandoquidem, ipse dicit, Deum permittere aliquando hominem in profundas calamitates et miserias propter reatus suos gravissimos ac plurimos submergi, usque dum onera sentiat aerumnarum suarum, et hinc cogitet magnitudinem peccatorum suorum et vanitatem; et sic revertatur ad Deum.

Quapropter praefata elocutio: *in gravioribus criminibus semel tantum poenitentiae conceditur locus,* congruam sortietur interpretationem, si veteri et externae ecclesiasticae disciplinae instemus: qua varii poenitentium gradus instruebantur, praesertim pro eis, qui post baptismum deliquissent. Unde pro diversa eorum malitia ordo poenitentialis ita incedebat, ut siqui baptizati incidissent in apostasiam, aut adulterium, seu homicidium voluntarium patrassent magno fidelium scandalo; tunc isti extra ecclesiam facti et christianorum consortium, post tempus, exacta publica poenitentia, rursus precum et mysteriorum sacrorum admitterentur communioni. Quod si vero fieret ut infauste isti iidem per eadem crimina

denuo se contaminassent; tunc perpetuo ab ecclesia idest a fidelium consortio et precibus divinisque mysteriis arcebantur ita ut numquam cum illis convenire possent, etiamsi poenitudine ducti suorum delictorum. Et istud pro tunc externa Ecclesiae disciplina erga peccatores in hujusmodi peccata prolapsos: quin tamen ipsi, in tam aerumnosa conditione resipiscentes, de divina desperarent misericordia, quae *vult omnes homines salvos fieri.*

Huic porro interpretationi accommodantur, quae ipse Homilia II. *in Librum Judicum* n. 5. scribit ex verbis apostolicis ad Corinthios: *tradidi hujusmodi hominem satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat:* « Vides ergo, inquit, quia non solum per apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, sed et per eos, qui Ecclesiae praesident, et potestatem habent non solum solvendi, sed et ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis, cum pro delictis suis a Christi corpore separantur. Et, ut mihi videtur, dupliciter etiam nunc traduntur homines de Ecclesia in potestatem Zabuli: uno modo, quo superius diximus, cum delictum ejus manifestum fit Ecclesiae; et per sacerdotes de Ecclesia pellitur, ut notatus ab omnibus, erubescat, et converso eveniat illi, quod sequitur, *ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi.* »

Item in Caput XXIX. 4. Hieremiae praefatos Apostoli sensus discurrens, nunquam a peccatore, quamvis ab ecclesia pulsus sit, praecidi ait salutis spem: « Sciat autem, quicumque ab Hierusalem ejicitur, se, nisi competenti tempore extra Ecclesiam, quae agenda sunt, faciat, in Hierusalem non rediturum. Ejicitur vero, qui peccat, licet ab hominibus non ejiciatur. Oportet autem ipsum, dum extra degit, curare, ut domum aedificet, hortosque plantet: quae, si non fecerit, neque symbolicum numerum septuaginta annorum compleverit, qui ad sabbatum quietemque spectat, non redibit communicaturus Ecclesiae sed condemnatus ut extra Ecclesiam degat: » Ex his deduces, Origenem non considerasse in Libro *De Oratione*, absolutionem christiano denegandam, qui fornicationem, adulterium, idololatriam ceteraque facinora admisisset post baptismum: et hinc videas, qua mente a

gravioribus criminibus semel absolutis fidelibus, eisdemque iterum in ea peccata relapsis, asseruerit non esse locum poenitentiae in Ecclesia concedendum.

Et ad hunc locum et pro argumenti illustratione revocare possumus Scholia *in Matthaeum* c. XVIII. v. 21. a Gallandio edita; ubi Christi verba expenduntur: *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus:* ac deinde: *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* De quibus ita: « At Dominus nullos esse debere limites clementiae significans ait, illud *septuagies septem:* hoc est, quotiescumque peccat in te, si eum poenitet, dimitte ei. Quia in excommunicatis mensuram determinavit Christus, non item etiam in poenitentibus, merito interrogat Petrus: quousque oporteat suscipere poenitentem? Attende porro, si fieri potest: quoniam numerus senarius operatorius est etiam in creatione mundi, septenarius vero requietem habet; is qui mundana et materialia diligit peccans, finem habet hebdomadam: quod recogitans Petrus, indulgere vult septies. Ὁ δὲ Κύριος ἐπιτείνει τοῦτο ἐν τῷ ἀυτῷ τρόπῳ, ἀναλόγως γαρ μονάδος πρὸς δεκάδας καὶ ἑκατοντάδας, ὡς τὸν ὑπερβάντα τὰ κοσμικὰ, μηκέτι ἔχειν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων· ἡ γαρ ἄφεσις ἐπὶ τὰ τῇδε ἔιτε βραδὺ ἔιτε τάχιον i. e. At Dominus extendit hoc eodem modo, relata unitate cum proportione ad decadas et centurias: adeo ut qui mundana transcendit, non amplius habeat remissionem peccatorum. Remissio enim hic fit sive serius, sive citius. »

Duas quaestiones in hoc loco discutit Origenes. Una respicit correptionem peccatoris ex Ecclesiae parte monentis: quam si audire noluerit peccator, extra illam ejicitur; et tanquam ethnicus reputatur et publicanus, non amplius Christi particeps promissionum. Altera vero quaestio peccatores simul et poenitentes in Ecclesia respicit. Ideoque hanc in illis constituit differentiam: *quoniam in excommunicatis mensuram determinavit Christus; non item etiam super poenitentes* etc. Ex quibus clare eruitur, hominem peccatorem et quidem fidelem, usque dum in hoc mundo degit, locum obtinere poenitentiae, quotquot et quantavis peccata in hac vita ipse admiserit; dummodo priusquam ab hoc mundo dece-

dat, poenitentiam agat, et confiteatur peccatum suum ad veniam assequendam. Si vero hanc mundi vitam transcendat absque poenitentia, in vita futura nullam inveniet remissionem peccatorum. Quapropter ex hac Origenis discussione comprehenditur (aliter quam nonnulli exposuere) peccatoribus, licet usque septuagies septies peccaverint, nullam misericordiae in hac vita mensuram assignatam fuisse a Deo, quoties ante obitum resipuerint. Et ob hoc dicebat Jesus; *non dico tibi usque septies, sed septuagies septies*, idest semper, idest quoties peccaverit, illi condonato. Et ita probe interpretatus est Origenes, remissionem in hoc mundo sive citius sive serius fieri, nunquam vero in futuro seculo.

Item quanto jure ita Origenis sermo comprehendendus sit: et quanta sapientia hanc ipse tunc probaverit Ecclesiae disciplinam, audiatur, quod scribit Homilia XII. 5. *in Hieremiam*: « Haec autem in Ecclesia saepe accidentia possumus considerare. Peccavit quispiam; et post peccatum postulet communionem. Si ei conceditur, quod rogat, in incommodum venia procedit, et laxatis fraenis, sceleribus panditur via. Sin vero cum rationabili deliberatione, neque ut misericors, neque ut severus judex: sed et quasi uni providens, amplius autem de omnium salute pertractans, consideraverit populi damnum ex communione unius et ex peccati istius venia; patet quod facit ejicere unum, ut salvet multos. Considera quidem medicum: si cessaverit quidem a sectione ejus vulneris, quod secandum est; si non usserit quod indiget cauterio, videlicet propter dolores, qui ex talibus remediis consequuntur, considera quomodo crescat infirmitas, et in deterius vetus humor exuberet.

« Si vero, ut ita dicam, temerarius ad ulcus sector accesserit, et inusserit plagam, curat eum, qui secatur et uritur, quia paululum severitatis assumpsit; licet visus fuerit aegrotanti, ad horam non misereri. Ita et Deus non unum hominem sed universum curat orbem, coelestia atque terrena, et omnia ubique dispensat. Et si hoc provideat, quod uni commodum sit, multo magis providet quid toti mundo conducat et hominibus universis. » Considerato ergo qualiter Origenes a fidelium communione peccantes doceat amovendos ada-

mussim apostolico mandato ad Corinthios, ut traderent hujusmodi fornicarium Satanae in interitum carnis, ut spiritus esset in die Domini nostri Jesu Christi salvus.

Quapropter in sequenti Homilia XXI. n. 12. ex ipsius Hieremiae dictis: *si quomodo sanabitur Babylon,* subdit: « Deinde quia omnis anima recipere potest salutem; et neque una apud Deum est insanabilis, idcirco consilium dat etc. » Paulo post concludit: « Istud est, quod ait accipere resinam correptionis ejus, siquo modo sanabitur. Ubi sunt haeretici? Ubi sunt, qui naturas quasdam introducentes, asserunt esse naturam desperabilem, quae penitus non recipiat salutem? Si est natura, quae pereat, quae alia talis erit, ut Babylon? Attamen neque istam despicit Deus. »

Denique proposito circa hanc Ecclesiae disciplinam ab Origene expositam, facit quod scribit s. Augustinus in Epistola ad Macedonium, ubi (fortasse ob quorumdam inscitiam) dicit accidere quandoque posse, ut post poenitentiam semel actam, iterum renoventur delicta: « In tantum, ait, hominum aliquando progreditur iniquitas, ut etiam post actam poenitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora committant..... Quamvis eis in Ecclesia locus humillimae poenitentiae non concedatur; Deus tamen super eos suae patientiae non obliviscitur. E quorum numero siquis nobis dicat: aut date mihi eumdem iterum poenitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuero, quantum meis opibus adjuvor; et humanis legibus non prohibeor etc. Aut si me ab hac nequitia advocatis, dicite, utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissima vitae blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta fraenavero, si ad castigandum corpus meum multa etiam mihi licita et concessa subtraxero etc. Quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat? nihil tibi ista proderunt in posterum: vade, saltem vitae hujus suavitate perfruere. Avertat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam. »

Post haec manent nihilominus quaedam discutienda de praemisso Origenis testimonio in Libro *De Oratione*: quid scilicet sibi velit Origenes et quomodo interpretetur dictio-

nem Apostoli *peccatum ad mortem*. Quod sane, ait, temere tunc audebant sacerdotes Ecclesiae remittere, aperte obstante Joannis sententia dicentis in Epistola I. c. V. n. 16. 17: « *siquis viderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo (peccato) dico ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est; et est peccatum non ad mortem. Novimus quia omnis natus ex Deo, non peccat: sed qui natus est ex Deo servat seipsum, et malignus non tangit eum.* In his interim scias, quae Vulgatus Textus legit: *omnis iniquitas peccatum est; et est peccatum ad mortem,* lectionem graecam praeferre negativam *non*; nimirum: *omnis iniquitas peccatum est: et est peccatum non ad mortem.* Porro hanc genuinam se haberi lectionem probatur a testimonio Clementis alexandrini, qui in Libro II. *Stromatum* haec eadem verba citat, addita particula *non*: « Videtur autem Joannes quoque in Majori Epistola, in his peccatorum docere differentias. Siquis viderit fratrem suum etc.... πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐστὶ, καὶ ἔστιν ἁμαρτία οὐ πρὸς θάνατον i. e. *omnis iniquitas peccatum est; et est peccatum non ad mortem.* »

His praemissis de integritate textus, modo ipsius sensum ineamus investigatum. Patet sane in primis, Joannem absolute asserere, esse peccatum, idest cujusque generis iniquitatem, cui remissio datur; et esse quoque *peccatum ad mortem*, pro quo peccato non esse ab ullo rogandum Deum. Et quoad primam partem idem Apostolus ab initio c. II. docet: « *Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et siquis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Quoad autem alterum peccatum, quod *ad mortem peccatum* vocat, pro eo, inquit, nemo rogabit: quale hoc sit peccatum, et cur ita dixerit, et quare pro ipso excluserit orationem, nec Apostolus significavit: nec Origenes perspicue exposuit. Tantummodo novissimus adjecit se audaciam mirari quorumdam sacerdotum, qui illud solvi posse putarunt per eorumdem orationes sicuti cetera delicta.

Cum tamen Apostoli penitius velimus verba expendere, ab ipsius contextu videtur erui posse, *peccatum ad mortem* haberi infidelitatem, qua homo negans Filium Dei, abstrahit sè a vita aeterna, quam credentibus donat Deus: *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. Haec scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis aeternam qui creditis in nomine Filii Dei.* Et ob hoc subdit: credentes scimus petitiones nostras acceptas Deo esse. Proindeque quisquis ex fidelibus fratrem suum videns peccantem quodvis peccatum, praeter peccatum ad mortem, a Deo postulet pro eo; et Dominus dabit ei peccanti non ad mortem, vitam: quam vitam habet Filius, eamque donat credentibus in eum.»

Propterea concludit, quicumque peccaverit peccatum ad mortem, idest non crediderit in Filium Dei, qui habet vitam; nemo pro eo rogabit, irritaeque habentur postulantis orationes pro eo. Qui, cum non confiteatur, Christum venisse in carnem, mediatorem et advocatum nostrum apud Patrem, ex Deo non est; et sic postulator fidelis frustra petit pro ipso, qui indignum se facit venia ob peccatum ad mortem. Pro quo peccato, dicit Joannes, nemo precari debet: qui enim non credit, jam judicatus est.

Origenes porro in hanc Apostoli cedens regulam, nonnullos increpat sacerdotes ignaros potestatis suae, jactantes se posse per preces suas, sicuti idololatriae, adulterii, et fornicationis condonant reatus, pari ratione etiam peccatum ad mortem, idest infidelitatem remittere in hominibus; cum hoc haud illorum pertingeret orationis virtus, quippe gratiae Auctorem, peccantes ad mortem negarent, ac mediatorem Jesum Christum Filium Dei, qui est verus Deus et vita aeterna: nec ideo ipsi vitae illius communicarent; neque sacerdotum oratione neque virtute fruerentur. Quapropter relate ad orationem super poenitentes, de qua ait Apostolus et interpretatur Origenes, nobis facit Jacobi testimonium in Epistola c. V. 14. docentis: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem etc.»*

Quisquis igitur presbyter pro fidelibus animo et corpore infirmis rogasset, in utroque proficiebat per virtutem a Christo Jesu eidem traditam sanandi credentium infirmitates, nec ullo modo peccantium ad mortem, pro quibus irritae habebantur illorum preces.

Ceterum in Libro *De Oratione* ex contextu videtur Origenes sub *peccato ad mortem,* quidpiam impietatis genus indicare, quod recta Deum aut Verbum suum divinum laederet; sicubi ibi dicitur *peccans in Dominum*: *cogitans adversus Deum*. Quod crimen sacerdotes Ecclesiae, ministri illius magni Pontificiis Jesu Christi, indigne sibi arrogabant jus dimittendi; sive putabant eadem indulgentia uti erga istos sicuti erga adulteros, fornicarios et idololatras, veluti a me exposita sunt Origenis verba.

Siquis autem nolit hanc probare interpretationem; et hinc durius capiat sermonem Auctoris, de exclusione nimirum a venia illorum, qui similia admiserint peccata fornicationis, adulterii, et idololatriae, necessum duco lectori commendare, quae de ipso peccato ad mortem recensuit Origenes Tomo XIII. Commentariorum *in Matthaeum* n. 30. ex Christi verbis Petro: *si peccaverit in te frater tuus, vade . . . Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* De quibus haec ait.

«Videamus ne forte sententia haec non de quocumque peccato posita sit. Quod si aliquis, qui nominatur frater, peccaverit aliquid peccatorum eorum, quae sunt ad mortem: ut puta masculorum concubitor est factus, aut adulter, aut homicida, aut mollis, nunquid et istum talem sicut aliquem modica peccantem, rationis est, ut arguat solus ad solum: et siquidem audierit, qui talia illa peccavit, statim eum dicere lucrifactum: et si non audierit, non prius eum expelli de Ecclesia, nisi priusquam et coram testibus argutus et ab Ecclesia, perstiterit in actu priori? Non autem ignoramus quoniam alius sequens verba, et aspiciens ad immensam misericordiam Christi, dicere potest, quoniam cum verba ipsa Christi nullam differentiam faciant peccatorum, superfluum faciunt, et contra Christi misericordiam, qui haec ad minima tantum pertinere distinguunt. Sed eum, qui taliter sentit, non arbitror ad utilitatem communem ista sentire.»

Deinde aliorum interpretatione tradita contra asserentium, non de gravioribus peccatis ibidem loqui Christum, sed de minimis, cum istud praetexerent ex fratris nomine; quippe, qui fornicarius est avarus, idolorum cultor non sit hoc nomine in Ecclesia nuncupandus, subdit: « Sicut ergo aestimatione eminentis misericordiae Christi, negligentibus peccandi occasionem dat, qui ad omne peccatum generaliter haec pertinere exponit: sic e contra qui docet in minimis et humanis peccatis peccantem, post agnitionem testium, vel Ecclesiae, fieri oportere sicut publicanum et ethnicum in peccatis, quae non sunt *ad mortem*, aut, sicut Lex appellat in Numeris, *non mortiferis*, aliquid crudelitatis videtur inducere. Nec enim existimo, cito aliquem inveniri in Ecclesia, qui non jam ter in eadem culpa argutus sit, utputa in detractione, qua invicem homines detrahunt proximis suis, aut inflatione, aut in epulatione, aut in verbo mendacii, vel ocioso, aut in aliqua culpa levi, quae etiam in illis, qui videntur proficere in Ecclesia, frequenter inveniuntur.

« Considera ergo ne forte et illos, qui aestimatione immensae misericordiae Christi, etiam ad peccata majora haec pertinere interpretantur, praeterit loci intellectus; et istos, qui haec ad minima peccata asserunt pertinere, et propterea peccatorem minimorum peccatorum nisi bis, vel ter argutus emendavit se, statim sicut ethnicum et publicanum fieri arbitrantur. Quid ergo? Is, qui ter argutus quasi ethnicus et publicanus factus fuerit arguenti, utrum omnino pereat, aut aliquid patiatur, Deus scit: nos autem pronunciare non possumus secundum quod scriptum est: *nolite judicare, ut non judicemini.* Item: *nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus, qui illuminabit occulta tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Primum quidem, quoniam licet ei, qui ter argutus non obaudivit, in quarto autem audire, ut jam non sit sicut ethnicus et publicanus. Memores enim esse debemus ejus, quod dictum est: *sic non est voluntas Patris mei, ut unus ex minimis istis pereat* etc. »

Ex hac Origenis interpretatione perspicue primum hauritur, peccatum *ad mortem*, in quo quidem ipse comprehendit omnes cujusque generis graviores reatus, non ita ab eo ab-

solute et exclusive accipi, ut quisquis in hos lapsus fuerit ab Ecclesia amoveatur, fiatque sicut ethnicus et publicanus ulla sine veniae spe, et hinc a coelesti patria extorris. Verum ex adverso putat ob divinae misericordiae immensitatem fieri posse poenitentiae locum. Et quamvis sciret Origenes ex hac Dei miseratione, infirmis peccandi occasionem dari: nihilominus eum non praeteriit Christi oraculum de Patris sui voluntate erga omnium salutem; ac ideo quovis tempore in hoc mundo peccatores, quoties voluerint et resipuerint, remissionem consecuturos: quippe *Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.*

Denique quod supra ait Origenes de peccato ad mortem, aut exponatur veluti a me nuper dictum est, aut de disciplina illius aetatis: quacum ab Ecclesia et a precibus fidelium ad diuturnum tempus amovebantur, qui talia facinora patrassent. Patent enim, quae tunc invalescerent satis opportunae, severae leges de peccatoribus in Ecclesiam recipiendis speciatim publicis. Quae quidem non tam judiciorum Dei severitatem in delinquentes ostenderent, quam extrinsecam Ecclesiae christianae oeconomiam, hinc inde ab hostibus agitatae, quaerentibus fidelium actus, muneraque episcoporum exprobrandi spernendique occasionem. In quo sane argumento placet huic ultimo loco addere, quae Dionysius episcopus alexandrinus ex Origenis schola, scribebat ea ipsa aetate contra Novatum, inter cetera praetendentem, lapsis denegandam esse poenitentiam.

Is itaque in Epistola quarta ad Dionysium Romanum Episcopum citata apud Eusebium Hist. Eccl. Libro VII. c. 7. contra Novatum ait: « Qui Ecclesiam tam misere discidit: qui fratres quosdam ad impietatem et blasphemiam attraxit: qui scelestissimam de Deo Patre doctrinam invexit: qui benignissimum Dominum nostrum Jesum Christum, tanquam inclementem et crudelem falso calumniatus fuit: qui praeter haec omnia sanctum baptismatis lavacrum abrogavit: qui fidem et confessionem, quae baptismum praecedunt, condemnavit; qui denique ab illis, qui aliquo vitiorum genere se infecerant, Spiritum Sanctum (quamvis spes esset reliqua illius, aut in eorum mentibus permanendi, aut ad eos denuo

redeundi) omnino depulit, fugavitque, non sine causa grave odium concepimus.» (1)

(1) De hujus sacramenti institutione et praxi in primaeva Ecclesia religiose accepta et servata a fidelibus, confer Opusculum sub titulo: *La Confessione vocale de' peccati praticata nella Sinagoga antica e innalzata a sacramento da Gesù Cristo nella Chiesa Cristiana, con appendice intorno alla Confessione degli antichi pagani, usata tra i loro riti religiosi. Trattato Storico-Archeologico-Apologetico del Professore D. Luigi Vincenzi. Roma Tipografia Paternò* 1850.

CAPUT XXXVI.

De Eucharistiae Sacramento exponitur Origenis doctrina orthodoxa praesertim adversus recentiores haereticos.

Ab hujus capitis initio non est ignorandum Origenis testimonium Tomo XI. n. 14. *in Matthaeum* circa hoc mysterium; de quo valde gloriantur heterodoxi; quasi inde quidquam sit eruendum adversus Ecclesiae Catholicae fidem et doctrinam ob ea, quae ipse scripsit Adamantius de Salvatoris sententia: *non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore*: « Dixerit autem aliquis, qui in hunc inciderit locum: quemadmodum *non quod intrat in os, coinquinat hominem*, etiamsi existimetur a judaeis impurum; ita quod ingreditur in os, non sanctificare hominem, etiamsi a simplicioribus existimetur sanctificare id, quod panis Domini appellatur. » Et paulo post: « Cibus ipse per verbum Dei et orationem consecratus, secundum illud quidem ipsum, quod materia constat, in ventrem abit, et in secessum ejicitur; secundum orationem autem, quae illi accessit, juxta proportionem fidei, utilis fit, efficitque ut perspicax fiat animus, spectans ad id quod prodest; nec panis materia, sed super eum prolata oratio ea est, quae illum juvat, qui non indigne Deo hunc comedit. Et haec quidem de typico et symbolico corpore. »

Siquis itaque offensus fuerit, quasi per haec verba Origenes indigne sentiat de Christi reali praesentia in eucharistico sacramento, sciat primum valde sibi ambigendum, num sensus isti sint revera Origenis, an potius graeci Transcriptoris; qui ea et similia intruserit illius scriptis, ejusque mentem falsarit. Superius in prima Parte validis argumentis ostendimus, textum graecum commentariorum *in Matthaeum* ab Huetio latine versum et editum sub Origenis nomine, haud servare originale Auctoris dictatum; sed potius ut glossam haberi cujusdam graeci interpretis; qui aliquas Origenis discussiones omisit; plura adauxit, vel exposuit contraria Auctoris intelligentiae. Quamobrem non est ut catho-

lici de his offendantur, nec heterodoxi glorientur, si quaedam inde putent eruere contra Synodi tridentinae definitionem.

Reapse, quoad hoc mysterium Auctor, quem plures (in quibus ipse Huetius) satis studuerunt, ut eumdem Synodo tridentinae concordem de eo haberent, consuetudine ipsius maxime intenta in Scripturarum tum litterali, tum spiritali investigando sensu, verbis sane explicitis atque convenienti expositione, in Epistolae ad Ephesios dicta: *nemo enim unquam suam carnem odit*, mystice interpretatus, inquit: « Dicamus quod illam carnem, quae visura sit salutare Dei, anima diligat et nutriat et foveat eam disciplinis erudiens, et coelesti saginans pane, et Christi sanguine irrigans, ut refecta et nitida possit libero cursu virum sequi, et nullo debilitatis pondere praegravari. » Hic sane cum statuat Origenes, animam nutrire, atque pane coelesti fovere carnem suam, et sanguine Christi ipsam irrigare, Eucharistiae sacramentum praeclare juxta catholicam fidem definit. Eumdem sensum expendit in Psalmi 123. verba, inquiens, nos christianos eripi e laqueo venantium, sicubi Christus Diabolum contriverit, nobisque dederit virtutem ambulandi adversus inimicum: « Qui contra solos socordes praevalet. Spiritus enim gratiam accepimus; Christique sanguine ac corpore nutrimur. »

Idem Libro VIII. n. 22. contra Celsum tenet, ubi gentilium festa, sacrificia, eorum varii generis ad hoc paratas epulas, secernit ab iis, quae sancte et intemerate fiunt in christianorum solemnitatibus de mensa Domini comedentium, Jesu carnis scilicet et sanguinis participantium. Ait enim: « Is etiam, qui cogitat Christum, quod Pascha nostrum est, immolatum esse; et manducantem Verbi carnem, festum diem agere oportere, semper Pascha, quod transitum significat, celebrat etc. » Deinde in n. 33. eidem Celso, qui daemonibus primitias et preces fundendas, gratiasque necessario peragendas esse ajebat, respondit: « Celsus igitur ea de causa, ut Deum ignorans, gratias daemonibus agat; Ημεῖς δὲ τῷ τῶυ παντὸς δημιουργῷ ἐυχαριστῦυντες, καὶ τοὺς μετ' ἐυχαριστίας καὶ ἐυχῆς τῆς ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι προσαγομένους ἄρτους ἐσθίομεν, σῶμα γενομένους διὰ τὴν ἐυχὴν ἅγιόν τι, καὶ ἁγιά-

ζον τοὺς μετὰ ὑγιοῦς προθέσεως ἀυτῷ χρωμένους. i. e. Nos autem qui Conditori omnium gratias agimus, tum cum gratiarum actione tum precibus super eos, qui nobis dantur, oblatos manducamus panes; qui per orationem fiunt corpus sanctum, et sanctificans eos, qui cum sano proposito eo utuntur.

Praeterea n. 57. quid in eo vocabulo *symbolum* comprehenderit, quo saepe usus est de hoc sacramento locutus (si forte quis de eo offensus sit) apte explicat dicens: « Sed erga Deum ingrati esse veremur, quippe cujus beneficiis cumulati sumus, cujus opus sumus, qui nobis providet quaecumque sorte nos dignatus sit; et a quo post hanc vitam accepturi sumus, quae nos sperare voluit. Atque hujus erga Deum grati animi σύμβολον *symbolum* nobis panis ille est, qui ἐυχαριστία *Eucharistia* vocatur. » Quam (in Expositione Proverbiorum c. VI. 47. ab Angelo Card. Majo edita) sumentes improbos judicium sibi manducare eos dicit: « Peccatis suis improbi homines Christi carnes conterunt, et sanguinem consumunt, rem communem sive profanam existimantes. »

Huc quoque referantur, quae Auctor notat de fidelium reverentia erga hoc mysterium Homilia XIII. n. 3. *in Exodum*: « Volo vos admonere religionis vestrae exemplis: nostis, qui divinis mysteriis interesse consuestis, quomodo cum suscipitis *corpus Domini*, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, et recte creditis, siquid inde per negligentiam decidat. Quod si circa *corpus ejus* conservandum tanta utimini cautela, et merito utimini; quomodo putatis minoris esse piaculi Verbum Dei neglexisse quam *corpus ejus?* »

En quanta in hac Origenis locutione mirabilia, et fidelium meditatione digna. En corpus Domini secundum Christi verba: *hoc est corpus meum.* En Christi mandatum: *qui divinis mysteriis interesse consuestis* Apostolis commissum: *haec quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.* En hujus mandati observantiam ab aevo apostolico ad Origenem usque perseverantem. En reverentiam erga hoc sacramentum religiosissime praestitam a priscis fidelibus, ita ut siquid

de Christi corpore decideret, reos se putarent coram Deo. En morem in Ecclesia antiquissimum divinis assistendi mysteriis, sive Missae Sacrificio, eique communicandi *muneri consecrato*. En hostiam eucharisticam; en agnum immaculatum Christum Jesum, qui se offert Deo Patri in redemptionem peccatorum. En, ut ibi explicite ait Origenes, en *corpus Christi*, en *corpus Verbi Dei*; nec vero dicit figuram, aut repraesentationem corporis Christi, uti vellent recentes Ecclesiae Reformatores. En in praefatis vocabulis *corpus Christi* et *corpus Verbi Dei*, divinam Christi ejusdem et humanam naturam, quam Dei Verbum assumpsit in humani generis reconciliationem; se se substantialiter et realiter abscondens sub panis et vini speciebus; et propter quod Origenes tunc christianorum extollebat reverentiam et fidem erga hoc sacramentum. Et en demum quomodo talis Auctoris elocutio de eucharistico mysterio ab ea variet interpretatione, in hujus Capitis initio citata, et eruta ab ejusdem Origenis commentario *in Matthaeum*, quippe aliena manu interpolato.



CAPUT XXXVII.

De sanctitate et insolubilitate Matrimonii Christiani secundum Origenis doctrinam adversus Theophili criminationem et recentiorum placita.

Nemo ignorat Ecclesiae graecae praxim de conjugio dissolvendo ob adulterium. Quae praxis vel potius abusus inter graecos invaluit; quum ii pedetentim a primaeva Ecclesiae institutione defecerint, ut principum secularium potius assentarentur legibus, veteris disciplinae respuentes statuta, Romanique Pontificatus posthabita auctoritate. Quapropter cum in ceteris hucusque laboravimus, Origenem studiosum ostendere apostolicae traditionis, etiam in hoc argumento de matrimonii christiani insolubilitate audire disserentem, non displiceat lectori. Eoque lubentius hoc agam, ex quo Theophilus alexandrinus in suis adversus Origenem invectivis, adhuc pervenit (nescio vere unde hoc deduxerit) ut in I. Epistola Paschali n. 18. ipsum corriperet, asserens, *Origenem honorabiles condemnasse nuptias.*

Doctrinam autem Origenis de christianorum nuptiis non nisi Tomo XIV. n. 16. *in Matthaeum,* sedulo pertractatam reperimus; et hoc ex scribarum et pharisaeorum tentatione, qua Christo dixerunt: *si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?*... « Vide autem, ait, quomodo irreprehensibiliter respondit. Primum quidem interrogantibus, *si licet dimittere uxorem quacumque ex causa,* dicens: *num legistis quoniam qui fecit ab initio, masculum et foeminam fecit eos?* Ad illud autem quod objecerunt dicentes: *quomodo Moyses praecepit dare libellum repudii?* ait: *propter duritiam cordis vestri.* Vidit enim quia non omnis causa juste solvit conjugium. Sed quoniam oportet virum cohabitare mulieri, quasi vasi infirmiori, et reddere ei honorem, et sustinere onera vitiorum ejus; eos, qui in littera Legis gloriabantur, ex ipsis Moysi Scripturis convincit dicens: *num legistis quoniam qui fecit ab initio, masculum et foeminam fecit eos etc.* Et quod debet esse inter eos, qui ex Deo junguntur, dignum

Deo, qui junxit, addidit dicens: *itaque jam non sunt duo.* Ubi enim concordia est, et consensus viri ad mulierem, et mulieris ad virum, hujus quidem quasi principis, illius autem quasi obsequentis, secundum quod dictum est: *et ipse tui dominabitur,* vere de iis dicitur: *jam non sunt duo.* Ergo Deus est, qui conjunxit duos in unum, ut jam non sint duo, ubi ex Deo comparatur uxor viro. Et quoniam Deus conjunxit, ideo gratia est in eis, quos Deus conjunxit. Quod Paulus sciens, castam conjunctionem gratiam appellavit, dicens: *volo omnes esse sicut meipsum, sed unusquisque propriam habet gratiam ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Qui enim ex Deo sunt juncti, et sapiunt et faciunt, quod mandat Apostolus: *viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Item: *mulier ut timeat virum, sicut Ecclesia Christum.* Eorum conjunctio gratia Dei est. »

Paulo post subdit n. 23.: « Post haec accedamus ad verbum pharisaeorum, quod dixerunt ad Jesum. *Quid ergo Moyses praecepit dare libellum repudii et dimittere?* Quoniam Moyses Legem scribens non tantum aspexit, quae sit vera justitia, sed secundum infirmitatem eorum, propter quos Lex ponebatur, condescendens plura mandavit, sicut et est lex dandi repudii. Quoniam autem secundum infirmitatem eorum dabatur, et non secundum justitiam, subjectus sermo demonstrat dicens: *ab initio autem non fuit sic.* Et in novo quoque Testamento sunt quaedam non secundum veram justitiam, sed secundum duritiam cordis hominum carnalium constituta; ut puta, propter duritiam cordis vestri lex data est dicens: *bonum est mulierem non tangere: propter fornicationem autem unusquisque propriam habeat uxorem, et unaquaeque proprium virum etc.* Si autem hoc propter duritiam cordis nostri mandatum est, quanto magis illud propter duritiam cordis nostri est, quod alibi dicit de viduis volentibus iterum nubere: *quod si se non continent, nubant: melius est nubere quam uri.* Scio enim quosdam, qui praesunt ecclesiis, extra Scripturam permisisse aliquam nubere, viro priori vivente; et contra Scripturam quidem fecerunt dicentem: *mulier alligata est, quanto tempore vivit vir ejus.* Item: *vivente viro adultera vocabitur, si facta fuerit alteri viro.* Non tamen omnino sine causa hoc per-

miserunt: forsitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quae mala sunt, permiserunt adversus ea, quae ab initio fuerunt scripta: *Dico autem vobis: quoniam quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur.*

«Forsitan audax aliquis et judaicus vir adversans doctrinae Salvatoris nostri, dicet, quoniam et Jesus dicens: *quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari*, permisit uxorem dimittere quemadmodum Moyses; quam retulit propter duritiam cordis judaeorum hoc praecepisse: et hanc ipsam, inquiet esse causam fornicationis, per quam juste uxor a viro dimittitur: secundum quam et Moyses praecepit dimittere uxorem, si inventa fuerit in ea res turpis. Sed ad hoc est respondendum, quoniam si secundum Legem adultera lapidatur, manifestum est, quoniam non secundum hoc intelligitur res turpis. Nec enim in causa adulterii oportet dare libellum repudii.»

Et paucis interjectis de causis dimittendae uxoris, circa fornicationis causam subdit: «Disputo ergo quia non praeceptive mandavit, ut nemo dimittat uxorem, excepta fornicationis causa, sed quasi exponens rem dixit: *qui dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, facit eam moechari.* Et vere quantum ad se, facit eam moechari, dimittens eam non moechantem. Si enim vivente viro adultera vocatur, si facta fuerit alteri viro, sine dubio qui dimittit, dat ei occasionem secundarum nuptiarum, et propter hoc facit eam moechari. Sed vir, quantum ad se, uxorem dimittens facit moechari, utputa veneficam, vel homicidam aut aliquid hujusmodi constitutam, si justam excusationem habet apud Deum, tractabis....: Qua enim ratione adultera est mulier, quamvis legitime nubere videatur, viro vivente: eadem ratione et vir, quamvis legitime accipere videatur dimissam ab aliquo viro; non accipit legitime secundum sententiam Christi; sed magis moechatur, quasi alienam accipiens.»

Et en perspicuos sensus Origenis; nec aliter profecto ab his suum potuisset instituere judicium de conjugii christiani insolubilitate: *quod Deus conjunxit, homo non separet,* locutus est Jesus. Et quantumvis Evangelistae sententia quadam

laboret obscuritate, et varias hinc subierit expositiones, ut nunc praesertim ex schismaticorum et heterodoxorum parte; attamen noster Interpres Scripturis apostolicis collatis, ac primaeva consulta traditione ecclesiarum, nunquam destitit ab hoc sensu. Et potissimum hoc vidit ex sermone luculentissimo Doctoris gentium ad Corinthios, Epistola I. c. VII. 10: *iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Quamobrem alibi eamdem doctrinam propugnans, Homilia XVI. *in Numeros* n. 4. inquit: « Denique et per Moysen quidem multa locutus est Deus, aliquanta tamen et Moyses propria auctoritate mandavit: quod Dominus in Evangeliis evidentissima distinctione secernit, cum dicit, de repudio mulieris interrogatus, quia *ad duritiam cordis vestri* scripsit vobis haec Moyses. *Ab initio autem non fuit sic. Qui enim fecit hominem, masculum et foeminam fecit eos, et dixit: propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae; et ambo erunt in carne una.* Et addit: *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Vides ergo, et hic Deum quidem non praecepisse, nec fieri voluisse divortium: Moysem vero propter duritiam cordis judaeorum scripsisse dandum esse repudium. Ostendit haec et Paulus in literis suis, cum dicit de quibusdam: Dominus dicit, et non ego etc. » Et hinc Homilia XI. n. 1. in eumdem Librum, Apostoli verba exponens de matrimonii mysterio in Ecclesia christiana: *mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia*, attamen, non excluso mysterio, subdit quod oporteat utique haec etiam secundum literam custodiri, ipso Domino docente: *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Ab hoc sane testimonio suffultus Origenes sicuti ab eisdem ex Matthaeo verbis Christi, pharisaeorum contundentis duritiam: *ab initio non fuit sic: quod Deus conjunxit, homo non separet*, tam absolute et perspicue declaratis; ac simul cunctis inspectis circumstantiis ab Evangelista notatis, non aliter comprehendit in iis, neque interpretatus est, ut quodammodo induceretur admittere vel tollerare divortium in christianorum conjugio, aut dubitare quandoque sive ob adulterium

aut ob alias causas, sicuti praetendunt nunc heterodoxi, de hujus insolubilitate. Nunquam ac nullibi hoc suspicatus est. Ac propterea in praefatis suis locutionibus indubie et alacriter adversarios expugnat, divortium mosaicum committens super hebraeorum infirmitatem, et cordis eorum duritiam; ac ideo libellum repudii concessum inquiens, sed non *secundum justitiam*. Item paulo post addit: « Si irrationabile videatur, mulieris sustinere peccata adulteriis et fornicationibus pejora: *facere tamen contra voluntatem doctrinae Salvatoris, omnis confitebitur esse impium.* » Similiter deinceps adulteram vocat mulierem, quae alii desponsatur, vivente viro: quemadmodum et virum adulterum dicit, qui dimissam accepit; quippe *non legitime accipit secundum sententiam Christi.*

Quanto porro jure talia deduxit Origenes ex Christi sermone, patet quoque ex sequentibus Evangelistae dictis: Dicunt ei discipuli ejus: *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* De quibus ita scribit Auctor n. 25: « Post haec intelligentes apostoli quanti sint casus inter conjuges, quos debet vir sustinere, et propterea tenere quidem interitum esse, dimittere autem peccatum esse in Domino, responderunt ei quasi ad rem facilem refugientes ad castitatem, et magis utilem: *ergo non oportet nubere, si ita est causa viri cum muliere.* » Ex quo duae inferuntur illationes. Primo, firmatur ab Origene quod antea dictum est, conjugium christianum insolubile manere, cujusque generis sint causae inter conjuges, quas supra distinxit, et unde videretur tollerandum esse divortium; proindeque unum debere alterius conjugis sustinere defectus: cum nullus sit aditus ad secundas nuptias, uno ex conjugibus adhuc vivente. Et, si quandoque fiat ut separetur unus eorum, maneat innuptus, ut ait Apostolus.

Secundo ex quo discipuli, hoc audito, dixerunt: *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere;* sapienter Origenes discipulorum scrutatus mentem, qui Domini mirati sententiam, subdidere, non expedire nuptias, rebus sic stantibus: ab hac responsione, inquam, eruit Origenes, discipulos ipsos ex sermone Jesu ad pharisaeos, comprehendisse, nullimode, nec quacumque ex causa, nec mediante adul-

terio, licere divortium; praesertim cum audiverint: *quod Deus conjunxit homo non separet.* Aliter siquis inde conjicere vellet discipulos Salvatoris dicta: *quicumque dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa et aliam duxerit, moechatur,* comprehendisse licitum repudium et divortium; tunc supponendum esset, eosdem discipulos cum pharisaeis convenisse, quacumque ex causa putantes dissolvi conjugium: ita ut, cum ajebat Jesus, *excepta fornicationis causa,* nequaquam licere dimittere uxorem et aliam ducere (accepto, ut adversarii arbitrantur, Jesum in illis verbis permisisse divortium) ita ut, inquam, in hac causa, divortio probato, nec pharisaeis nec discipulis satisfecisset. Vix putandum est tam subito obstupefactos discipulos de Christi mandato, respondisse: *non expedit nubere*, conscios ibi comprehendi veniam ob fornicationem dimittendi uxorem, et alias ineundi nuptias. Attamen stupor invaluit discipulis ob omnimodam divortii exclusionem, quam Jesus innovavit secundum ab initio institutionem: *et erunt duo in carne una.*

Post haec non est praetereundum quod in praefata Origenis discussione notatur n. 23. de quibusdam episcopis qui alicui permisere nubere, viro priori vivente. Et fortasse, dicit, propter incontinentium infirmitatem, permiserunt adversus Scripturam, et quae ab initio fuerant statuta. Verumtamen in hac permissione primo notatur ab Origene illorum episcoporum abusus adversus Scripturam Deique mandatum; quamvis eos excuset pejorum comparatione, quae mala erant a Scripturis vetita. Secundo, non dicit Origenes illos praesules aut ex Matthaei testimonio seu ex vetere praxi, alicui mulieri a viro suo repudiatae permisisse alias inire nuptias. Tertio, ostendit talem abusum tantummodo antea apud quosdam invaluisse episcopos, nec tamen tunc remanere. Quarto, cum inquit eos episcopos quibusdam mulieribus hanc condonasse licentiam, nec ideo omnibus, a viro suo separatis; nec multo minus dicit hoc viris concessum ab uxore sejunctis, et hinc in eadem conditione positis, satis edocet, ipsos antistites jam persuasos de Christi sententia, matrimonium insolubile haberi: et ita in universa Ecclesia hoc servari divinum mandatum: *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Ceterum Origenis testimonium de insolubilitate vinculi nuptialis, quod ipse a Christi verbis didicit; et a traditione apostolica deduxit, et ubique ecclesiarum in praxi firmatum reperit, tantum proficiet in hac quaestione, quantum lata ipsius Origenis profecit cognitio et accurate acquisita ab omnibus ecclesiis, quas invisit: et in quibus hoc Domini mandatum invaluit, religiose custoditum a fidelibus. Nemo enim ignorat, quot provincias peragravit, quot ecclesias visitavit. Ab Aegypto profectus, adiit Arabiam, venit in Palaestinam, inde in Cappadociam ad Achajam; cum primum Romanam Ecclesiam inviserat tanquam ecclesiarum vetustissimam. Ac undique fidei apostolicae depositum investigans, earum ecclesiarum disciplinam de christianorum nuptiis talem comperit, ut (exceptis nonnullis episcopis, quos antea contra Domini praeceptum, quibusdam mulieribus divortium permisisse dicit) omnes uno ore adversus Legem mosaicam et gentilium jura, profiterentur conjugii christiani insolubilitatem. Quod quidem in Ecclesia Occidentali patet fideliter acceptum, ac sedulo custoditum hucusque perpetuo mansisse.

Propterea, sicut in ceteris institutionibus, Origenis scripta nexum primaevae traditionis ecclesiasticae cum ea, quae post eum adhuc manet, servant; ita etiam in hac parte vetustae disciplinae de fidelium nuptiis manifestatur ordo; ac una posterioris aevi elucet consensus, quem Origenes ipse luculenter ostendit, firmiter professus est; ac per suos libros, ne rumperetur, connexuit. De reliquo, si in primaeva Ecclesia, uno de conjugibus defuncto, vix permittebantur secundae nuptiae, ut fere adulterinae vocarentur, quid putandum erit de divortio, aut de secundis nuptiis, cum adhuc viveret unus de conjugibus sub praetextu quodam adulterii, aut cujusdam gravis culpae?

Nihilominus ut magis constet, quanto jure Origenes conjugii christiani tenuit insolubilitatem, quippe, ut ipse ait, talis insolubilitas sit *secundum veram justitiam;* et mosaicus Libellus de repudio *secùndum infirmitatem hebraeorum*: et ut dignoscatur quoque tam Moysis statutum tam graecorum, tam romanorum jura de nuptiis, inconsiderata in Ecclesia

Christiana relicta fuisse: et in hoc et similibus casibus solum Ecclesiae ejusdem attendendum judicio seorsim ab arbitratu laicali, juvat hic repetere eorum, qui praecessere, dicta Patrum.

Hermas vir apostolicus, cujus Opus *Pastor* inscribitur, in antiqua Ecclesia commendatum, in Libro II. Mandato IV. haec habet de dimittenda adultera: « Domine, inquit, permitte me pauca verba loqui tecum. Dic, inquit. Et dixi illi: Domine, siquis habuerit uxorem fidelem in Domino, et hanc invenerit in adulterio, nunquid peccat vir, si convivit cum illa? Et dixit mihi: quamdiu nescit peccatum ejus, sine crimine est vir vivens cum illa. Si autem sciverit vir uxorem suam deliquisse, et non egerit poenitentiam mulier, et permanet in fornicatione sua, et convivit cum illa vir; reus erit peccati illius, et particeps moechationis ejus. Et dixi illi: quid ergo si permanserit in vitio suo mulier? Et dixit: dimittat illam vir, et vir per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse moechatur. Et dixi illi: Quid si mulier dimissa poenitentiam egerit, et voluerit ad virum suum reverti; nonne recipietur a viro suo? Et dixit mihi: immo, si non receperit eam vir suus, peccat et magnum peccatum sibi admittit. Sed debet recipere peccatricem, quae poenitentiam egit: sed non saepe.... Quod si his factis perseverat, et poenitentiam non agit, recede ab illa; et noli cum illa convivere; alioquin et tu particeps eris peccati illius. Propter hoc praeceptum est vobis, ut coelibes maneatis tum vir tum mulier: potest enim esse in hujusmodi poenitentia. » In quo sermone, Hermae expositio simplex conspicitur apostolici mandati ad Corinthios: *quod si discesserit, manere innuptam*, ut sic via praecludatur ad secundas nuptias, altero vivente conjuge.

Justinus Martyr in Apologia I. n. 15. inquit: « *qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur*. Dein subdit: « Quemadmodum etiam ii, qui ex lege humana duplex matrimonium ineunt, ita et qui mulierem adspiciunt ad concupiscendam eam, peccatores sunt apud Magistrum nostrum. » Athenagoras *in Legatione pro christianis* scribit: « Ut quisque vel qualis natus est, maneat vel unicis in nuptiis. Secundae enim

decorum adulterium : *quicumque enim dimiserit*, (inquit Christus) *uxorem suam et aliam duxerit*, *moechatur* : nec eam dimitti sinens, cujus virginitati finem quis imposuit, nec aliam insuper duci, etc. »

Clemens alexandrinus idem statuit in Libro II. *Stromatum* c. XXIII: « Quod autem consulit Scriptura uxorem ducere, et nec a conjugio unquam permittit discedere legem aperte constituit : non dimittis uxorem praeterquam ob fornicationem. Adulterium autem existimat conjungi matrimonio, vivo altero ex separatis . . . . Qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur, inquit : *siqui enim dimiserit uxorem*, *moechatur ipsam*, hoc est cogit eam moechari etc. » In qua expositione Clemens incedit sicuti aperte suus discipulus Origenes in praefatis verbis amplissime docuit, non licere quacumque ex causa secundas inire nuptias, altero vivente ex conjugibus.

His autem testibus, quamvis Origenis aevo paulo recentius, accommodatur dictum in Epistola; quam omnes episcopi congregati in Synodo adversus Paulum samosatenum, miserunt ad Dionysium Pontificem Romanum, et ad ceteros longinquos antistites; ubi inter alia ejusdem scelera, istud notant (Eusebius Hist. Eccles. Libro VII. c. 24.) : « Quo pacto enim alium, aut reprehendere poterat aut admonere, ut deinceps se mulieris consuetudine abstineret, diligenterque caveret, ne ejus illecebris, sicut scriptum est, illaberetur turpitudinem ; qui una repudiata, duas aetate florentes et aspectu venustas secum habuit ? » En universim quid tunc sentiebat de divortio in Ecclesia christiana Episcopatus paulo post Origenis obitum, quod item omnimode reprobavit: quantumvis contra se, sive contra ejusmodi Ecclesiae ordinationem starent synagogae et gentilium jura.

Sane, inquam, contra hanc Ecclesiae constitutionem hebraeorum, graecorum, et romanorum leges militabant. Et quid hoc Christi mandato et juri episcopali nocuit ? Nequaquam ad Israelem jam reprobatum pertinebat ; nec multo minus Caesaris beneplacito commisit Christus conjugii christiani oeconomiam : sed apostolis et ecclesiis ab apostolis fundatis tradidit Jesus hujus sacramenti administrationem. Et

hoc idem primaeva Ecclesia novit. Novit, dico, ad se spectare regimen conjugii christiani, quaevis contrariae fuerint consuetudines populorum et statuta principum, in quorum dictione vigebat Christi Religio. Per apostolos et deinde per episcopos christianorum nuptiae ratae habebantur; et ad eosdem reportabantur quaestiones inde exortae. Et ideo s. Paulus increpabat Corinthios, quod in suo consortio admisissent incestuosum, mandans itaque, qui sic operatus est, tradi satanae in interitum carnis etc.

S. Ignatius in Epistola ad Polycarpum scribit: « Cum sententia episcopi, christiani ineant conjugium. » Justinus Martyr in praecitata Apologia 1. n. 15, eos arguit, qui ex lege humana duplex matrimonium ineunt, ut sic statueret, aliter statui et exigi in Lege Evangelii; nec ideo leges romanas nec moderatores imperii in his causis consulendos esse. Athenagoras praeclarius in citata Apologia inquit: « Unusquisque nostrum uxorem suam secundum leges ὑφ' ἡμῶν a nobis positas ducit; uxorem existimat usque ad liberorum procreationem. » Notandum vero est ibi nonnullas latinas Editiones loco *a nobis* idest christianis positas, legisse *a vobis* idest a romanis. Quod quidem erroneum est. Talis enim lectio excluditur a graecis codicibus, et ab Editione oxoniensi graecolatina an. 1706. etsi calamo heterodoxo elaborata: ubi legitur *a nobis*, et non *a vobis*. *A nobis* dicit Philosophus, ut excluderet leges romanas a conjugio christiano, sicut et cetera instituta similibus formulis expressa ex g. *nobis mensura concupiscentiae: summa apud nos lex est.* etc.

Tertullianus in Africa, sicuti Origenes ubique, eodem tempore docuit *repudiatam non posse legitime nubere*. Itemque: *nobis, etsi repudiemus, ne nubere quidem licebit;* ac statuens ab episcopis postulandum matrimonium, et coram Ecclesia ineundum, poenas aeternas minatur iis, qui juxta statuta imperii nuptias contrahunt: « Aut nunquid (scribit Libro II. ad Uxorem) tabulas nuptiales die illo apud tribunal Domini proferemus, et allegabimus, quod vetuit ipse? » Et similiter huic aliisque memoratis consectarius Origenes putavit docuitque, conjugiorum christianorum moderamen spectare ad episcopos, quibus Christus commisit Ecclesiae suae

regimen; etsi quorumdam indulgentiam notet, qui nonnullis mulieribus a viro separatis, novas permiserunt inire nuptias contra Scripturam dicentem: *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et hoc satisfiat tum relate ad Theophili criminationem adversus Origenem calumniose institutam, quasi iste nuptias damnaverit; tum relate ad insolubilitatem conjugii christiani juxta ejusdem Origenis doctrinam; tum relate ad Ecclesiae potestatem in hujus sacramenti administratione seorsim a foro laicali.

Demum qui plura in hac quaestione cupiat, celeberrimum Opus adeat *De Matrimonio Christiano, auctore Joanne Perrone e Societate Jesu, Romae Typis s. Congregationis De Propaganda Fide.* an. 1858. Qui in hoc sicuti in ceteris operibus, de Ecclesia Catholica bene valde meritus est.

CAPUT XXXVIII.

Origenis doctrina de invocatione et intercessione sanctorum angelorum, et spirituum eorum, qui in Christo mortui sunt.

Bonum atque utile esse suppliciter sanctos una cum Christo regnantes invocare, decrevit sancta Synodus tridentina Sessione XXV. Hoc porro bonum et utilitatem a Scripturis et a traditione ecclesiastica accipiens, firmaverat Origenes sensu eodem, sicuti a Synodo definitum est, veluti adminiculum ad id, quod a Deo per Christi merita rogamus, facilius impetrandum; ita ut nec hinc haeretici quid habeant causae ipsum sui erroris invocandi patronum, nec ejusdem adversarii eumdem redarguendi errantem.

In Libro *De Oratione* n. 11. inquit: « Neque vero Pontifex solus (Dei Filius) orat cum rite orantibus, sed et angeli, qui magis gaudent in coelo super uno peccatore etc. sed et animae sanctorum, qui dormierunt. » Et in n. 31. addit: « Habet aliquid cum utilitate jucundi locus orationis, ille scilicet, quo fideles in unum conveniunt: credibile est enim, angelicas potestates credentium coetibus adesse, ipsiusque Domini et Servatoris nostri virtutem, immo et spiritus sanctorum: puto autem et eorum, qui dormierunt (nam de superstitibus manifestum est) licet quomodo adsint, facile non sit dicere. » Et allatis e Scripturis testimoniis de Jesu et angelorum adsistentia coetibus christianorum, subdit: « Quod si corpore adhuc indutus Paulus in commune consulere spiritu suo Corinthi posse putavit, non est improbandum eos, qui e vita excesserunt, beatos, ad ecclesias spiritu occurrere, fortasse potius quam is, qui est in corpore etc. »

Item in *Exhortatione ad Martyrium*, Ambrosio, cui hunc dicavit Libellum n. 38. inquit: « Unum autem scito, *non qui filii sunt carnis, hos esse filios Dei;* et sicut tunc dicitur ad eos, qui de semine Abrahae sunt: *scio, quia semen Abrahae estis, et si filii Abrahae essetis, opera Abrahae faceretis:* sic et filiis tuis dictum iri: scio quia semen Ambrosii estis; et si filii Ambrosii estis, opera Ambrosii facite. Et fortasse fa-

cient, plus a te post ejusmodi discessum adjuvati, quam si cum illis remansisses. Scies enim tunc melius quomodo diligendi sunt; et prudentius pro illis orabis, si cognoveris filios tuos esse, non semen tantum. »

Similiter contra Celsum Libro VIII. n. 34. de angelis intercessoribus scribit: « Quod si etiam magno numero cupimus esse, quos beneficos nobis volumus; docemur decies millies, centena millia adsistere ei, et millia millium ministrare ei. Nam hi ceu cognatos et amicos videntes eos, qui ipsorum in Deum pietatem aemulantur, ac Deum invocant, riteque illum precantur, eorum saluti collaborant, illis apparent, putantque sui esse officii illis obsequium praestare etc. » Ideoque Homilia I. in Ezechielem n. 6. ajebat Origenes: « Veni, angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino, a doctrina daemoniorum, ab iniquitate in altum loquente etc. »

Attamen contra praefata quis institerit inquiens, Origenem in Libro V. n. 5. negare quod antea firmavit. Namque in Celsum ait: « Verum angelos, quorum cognitio, quae supra hominem est, comparata non fuerit, a nobis invocari, recta ratio non patitur. Age porro comparata fuerit ... Sed hoc ipsum absterrebit, ne preces alii ferantur, quam sufficienti ad omnia Deo per Salvatorem nostrum Dei Filium etc. »

Profecto seorsim a contextu consideratis verbis, quidquam suspicandum esset de ipsius antilogia. Si vero, uti decet, quaestionis caput investigetur, non sic habebitur res. Patet enim a contextu n. 3. 4. Auctorem confutare Celsum putantem, judaeos et christianos tanquam deos colere angelos. Et ob hoc Origenes rem explanans inquit: « Fatemur angelos esse administratorios spiritus, in ministerium missos propter eos, qui haereditatem capiunt salutis etc. ... Nusquam tamen ibi (in Scripturis) reperias praeceptum, ut, qui Deo debetur cultus, eodem prosequamur eos, quorum nobis ministrandi, Deique dona afferendi negotium est. » Idest ne colamus eos ut deos, cum sint ministri Dei; verum ut administratorios spiritus et hinc intercessores, et etiam secundo loco post Christum mediatores invocemus eos. Cum igitur Origenes hujusmodi cultum soli Deo debitum removeat a fidelibus sicut antea a judaeis amoverat Moyses; haud tamen ab ipsis pro-

hibet invocationem angelorum et aliorum sanctorum, et quidem eo sensu, quem in Libro *De Oratione* nn. 14, 15. docens orandum esse Patrem cum Filio et per Filium, praemiserat inquiens: « Obsecratio et postulatio et gratiarum actio non ἄτοπον importune offerri potest et sanctis. Sed hae duae, supplicatio, inquam, et gratiarum actio non modo sanctis sed et hominibus; deprecatio vero sanctis tantum, siquis inventus fuerit Paulus aut Petrus, ut adjuvent nos, dignosque efficiant etc. »

Amplius de angelis post Dei Unigenitum, uti Dei ministris invocandis, sicuti hucusque dictum est, plurimum facit, quod legitur in Libro VIII. ubi ab initio Celsus christianis exprobrans quod ii daemones non colerent, interea ajebat n. 2. *nefas esse cultum alicui deferre, cui istud a Deo datum non est. Quapropter cultus omnibus delatus qui ad Deum pertinent, non displicet Deo ipsi, quia omnes illius sunt.* Ista porro Origenes n. 13. resumens scribit.

« Deinde putat Celsus ex eo, quod cum Deo Filium ejus colamus, consequens ut non Deum solum sed etiam ejus ministros colendos esse sentiamus; si intellexisset quinam sint post Dei Unigenitum vere ministri Dei, ut Gabriel, Michael, aliique angeli, atque archangeli, et eos colendos esse dixisset; ἴσως ἂν τὸ περὶ τοῦ θεραπεύειν αὐτοῦ σημαινόμενον ἐκκαθήραντες, καὶ τῶν θεραπεύοντος πράξεων i. e. fortasse hujus *colere* significationem expurgantes, et actus colentis, hoc loco diceremus pro rei momento disserentes, quae de his cogitare potuissemus. Nunc vero ministros existimans a gentibus adoratos daemones, nequaquam consequenter allicit nos ad hos colendos; quo mali (daemonis) ministros sermo Dei ostendit, et principem mundi hujus seculi, qui a Deo avertit quoscumque potest. Detractamus igitur omnino illos, quos reliqui homines venerantur, colere et illis servire, quia ministri non sunt (Dei). Etenim edocti haud illos esse summi Dei ministros, dicimus esse daemonia etc. »

Videas ergo quali solertia Origenes in hac difficultate captus, omnia a se removens discrimina, Ecclesiae disciplinam servet quoad cultum angelis debitum et quidem secundo gradu post Deum. Ideoque inquiens se et fideles detractare

daemonibus cultum praebere, *quia ministri Dei non sunt*, docet aliter nec se nec christianos detractare angelos coelestes vere Dei ministros adoratione cultuque prosequi, ut illos sicuti ceteros sanctos habeant apud Deum intercessores, quemadmodum in praemissis apertissime declaravit. Tantummodo in eo vocabulo *terapevin colere*, opportune quidquam notare voluit discrepantiae in hujus cultus praxi, famulatum nempe absolutum segregando a relativo; ne cultus soli Deo debitus eadem significatione acceptus in praxi erga sanctos, dirueret quod saepissime statuit adversus idololatras.



CAPUT XXXIX.

Quo sensu quaeritur accipienda sint, quae Origenes discussit de vario eunuchorum genere ex Evangelistae Matthaei testimonio.

Cum superius in fine primae Partis longa discussione egimus de interpolatione commentarii graeci *in Matthaeum* ab Huetio translati, opportuna nobis hic venit quaestio de vario eunuchorum genere ob id, quod Origeni ipsi imputatum fuit, facinus, stante Jesu sententia: *et sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum.* Verum priusquam textus graeci varietatem a vetere Interprete proferam in hujus Scripturae illustrationem, silentio nolim praeterire in hoc loco famam, quae, adhuc in vivis degente Origene, de eo percrebuit, quasi ipse in corpus suum saevisset, ferro genitalibus excisis. Hoc autem non solum ab adversariis, sed etiam ab iis, qui suas partes suscepere, traditur et praesertim ab Eusebio, qui in Libro VI. c. 7. Hist. Eccles. scribit: « Per idem tempus Origenes, dum Scholae alexandrinae, quam diximus, praeerat, facinus quoddam admisit: quod quidem licet ex animo rudi et juvenili videretur esse profectum, fidei tamen et castimoniae specimen maximum dabat etc. » Narrat deinde Eusebius, Demetrium Alexandriae episcopum, qui etsi tunc facinus non probaverit, tamen nihil contra Origenem molitum esse; nisi quod, fama ipsius in dies augescente, aemulatione quadam incensus episcopus, facinoris hujus reum notare conatus est palam coram eisdem, qui ei manus imposuerant pro presbyterii munere. Et de hoc Origenem arguisse ait Eusebius Demetrium, cum nulla alia in ipsum criminatio sibi suppeteret. Epiphanius vero Haeresi 64. n. 3. hoc idem recensens factum, scribit: « Ceterum eumdem illum Origenem narrant quiddam in corpusculum suum excogitasse; sive nervum sibi, ut quidam existimant, inciderit, quo se illecebrarum molestia liberaret, neque turpibus corporis motibus velut incendio quodam aestuaret: sive, quod alii malunt, medicamento aliquo partibus illis imposito, resiccarit. »

daemonibus cultum praebere, *quia ministri Dei non sunt*, docet aliter nec se nec christianos detractare angelos coelestes vere Dei ministros adoratione cultuque prosequi, ut illos sicuti ceteros sanctos habeant apud Deum intercessores, quemadmodum in praemissis apertissime declaravit. Tantummodo in eo vocabulo *terapevin colere*, opportune quidquam notare voluit discrepantiae in hujus cultus praxi, famulatum nempe absolutum segregando a relativo; ne cultus soli Deo debitus eadem significatione acceptus in praxi erga sanctos, dirueret quod saepissime statuit adversus idololatras.



CAPUT XXXIX.

Quo sensu quaeritur accipienda sint, quae Origenes discussit de vario eunuchorum genere ex Evangelistae Matthaei testimonio.

Cum superius in fine primae Partis longa discussione egimus de interpolatione commentarii graeci *in Matthaeum* ab Huetio translati, opportuna nobis hic venit quaestio de vario eunuchorum genere ob id, quod Origeni ipsi imputatum fuit, facinus, stante Jesu sententia: *et sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum.* Verum priusquam textus graeci varietatem a vetere Interprete proferam in hujus Scripturae illustrationem, silentio nolim praeterire in hoc loco famam, quae, adhuc in vivis degente Origene, de eo percrebuit, quasi ipse in corpus suum saevisset, ferro genitalibus excisis. Hoc autem non solum ab adversariis, sed etiam ab iis, qui suas partes suscepere, traditur et praesertim ab Eusebio, qui in Libro VI. c. 7. Hist. Eccles. scribit: « Per idem tempus Origenes, dum Scholae alexandrinae, quam diximus, praeerat, facinus quoddam admisit: quod quidem licet ex animo rudi et juvenili videretur esse profectum, fidei tamen et castimoniae specimen maximum dabat etc. » Narrat deinde Eusebius, Demetrium Alexandriae episcopum, qui etsi tunc facinus non probaverit, tamen nihil contra Origenem molitum esse; nisi quod, fama ipsius in dies augescente, aemulatione quadam incensus episcopus, facinoris hujus reum notare conatus est palam coram eisdem, qui ei manus imposuerant pro presbyterii munere. Et de hoc Origenem arguisse ait Eusebius Demetrium, cum nulla alia in ipsum criminatio sibi suppeteret. Epiphanius vero Haeresi 64. n. 3. hoc idem recensens factum, scribit: « Ceterum eumdem illum Origenem narrant quiddam in corpusculum suum excogitasse; sive nervum sibi, ut quidam existimant, inciderit, quo se illecebrarum molestia liberaret, neque turpibus corporis motibus velut incendio quodam aestuaret: sive, quod alii malunt, medicamento aliquo partibus illis imposito, resiccarit. »

Porro cum arduum quidem nunc sit, tum de facti veritate decernere, tum de modo, quo id ab ipso patratum fuit, et de causis, quibus ad hoc impulsus esset, diversis stantibus opinionibus historicorum illud ipsum memorantium, judicium de his proferre desino. Tantummodo hujus imputationis sive tollendae, sive imminuendae causa, ipsius Origenis de hac re sensus investigare proderit; eoque magis quod ipse Christi verba, et ista maxime: *sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum,* peculiari studio et in Tomo XV. n. 1. et alibi pertractarit. Si enim ex his locis, ubi ea discussit, de sui animi sensibus arguendum sit, videretur sane, Origenes nedum in suum corpus hoc admisisse facinus, sed et palam reprobasse simul et illos, qui horum Jesu verborum significationem pervertissent, littera accepta, ac spiritali exclusa intelligentia.

In Libro VII. n. 48. contra Celsum de christianorum pudicitia, singulari custodia servata, atque aliter, praestantiusque quam ethnici vulgo praesumebant, locutus, scribit: « Apud athenienses quidem unus hierophanta est, qui cum viriles suas concupiscentias continere ac pro arbitrio domare posse non credatur, virilia membra cicuta oblinit; et sic satis purus existimatur, ut religiosum obeat cultum atheniensium. Sed apud christianos viri sunt, qui cicuta non opus habent, ut pure Deo deserviant. Verbum Dei illis loco cicutae est, ut, omni concupiscentia ex animo ejecta, divinitatem precibus prosequantur. »

Item ex commentario *in Epistolam ad Romanos* Libro II. n. 13. de spiritali circumcisione disserens, citata Evangelii verba recto sensu interpretatur Origenes, et sic ea fidelibus servanda tradit: « Illorum ergo, inquit, est circumcisio spiritalis, qui futuro seculo militant, in quo *neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei;* et eorum, *qui seipsos castraverunt propter regnum Dei;* et quorum in terris conversantium, *in coelis est conversatio* etc. » Ac paulo post in ethnicos dimicans de circumcisione ejusque mysterio addit: « Interrogemus eos et nos, si necessariam dicant filiorum procreationem. Necessariam sine dubio respondebunt. Erunt ergo culpabiles, qui continentiae et virginitatis obtentu, ne-

cessariis naturae officiis non ministrant: et erunt cogendi ad nuptias omnes, qui secundum Evangelii leges, *semetipsos castraverunt propter regnum Dei*, habentes exempli hujus auctorem cum multos alios sanctorum, tum etiam ipsum Dominum Jesum etc.» Ex his itaque percipias, qualem dominico dicto *qui se castraverunt propter regnum Dei* concesserit sensum Origenes: unde vix credendum est, ipsum secundum litteram quandoque illud animadvertentem, carni suae hoc intulisse vitium.

His praemissis, unde digressi sumus, revertamur ad Tomum XV. n. I. ubi non obiter, sed accurate ab ipso Origene disputatum est de vario eunuchorum genere, una considerantes veteris latinae Interpretationis varietatem a graeco Textu; ac amplius scrutati, num ex hoc divino testimonio Origenes praetextum deduxerit sibi secandi genitalia, sive alia ratione corporis sui pessumdandi, veluti fama de ipso tunc invaluit, et usque modo invalescit. Ac interim lectori offerantur, quae tradit vetus Interpres: « *sunt eunuchi, qui ex utero matris suae nati sunt sic. Et sunt eunuchi, qui ab hominibus facti sunt. Et sunt eunuchi qui seipsos eunuchos fecerunt propter regnum coelorum. Qui potest capere capiat.* Priusquam exponamus quae nobis videntur in loco, notum facimus duas esse expositiones loci istius. Quorumdam quidem duas eunuchizationes carnales aspicientes, quasi consequenter dicere existimantes, ausi sunt etiam tertiam eunuchizationem dicere corporalem, utputa, si propter timorem Dei corporaliter eunuchizant; et objecerunt se opprobriis et confusionibus non solum apud alienos fidei, sed etiam apud eos, qui ignorantiae hominum ignoscere solent.

« Alii autem et plerique sic intellexerunt non discutientes modum consequentiae verborum: duas quidem eunuchizationes priores similiter prioribus expositoribus carnales esse dixerunt, et nihil spiritaliter intelligendum in eis: tertiam autem eunuchizationem dixerunt ex verbo, non corporalem, quando spe regni coelestis a severissimo verbo praecidunt concupiscentiae passionem. Et primi quidem facti sunt amatores evangelicae litterae, et non intelligentes quod etiam haec in parabolis locutus est Jesus, consequenter prioribus

eunuchizationibus duabus corporalibus, intellexerunt et tertiam, non quidem peccantes quantum ad consequentiam; necessarie autem peccaverunt, quoniam ab initio duas illas eunuchizationes corporaliter tantum intelligi putaverunt: consequens enim erat postquam corporaliter priores intellexerunt, ut tertiam quoque corporalem existimarent. Secundi autem interpretatores tertiam quidem eunuchizationem salubriter fieri exposuerunt verbi praecisione: non autem consideraverunt quoniam talis expositio conveniens erat etiam in prioribus eunuchizationibus duabus, secundum similitudinem illius tertiae. »

Quisque interea videat qua simplicitate et eloquii perspicuitate Interpres latinus hujus primi paragraphi transtulit Origenis sensus, duas Christi verborum indicantis expositiones de eunuchis; quibus suum ipse tertius interposuit judicium, de quo infra. Modo ex recenti Huetii versione audiatur Amanuensis graecus, qui transcriptor fidelis reputatur codicum origenianorum, ut, unius cum altero collatione facta, quis sincerus appareat mentis Origenis fuisse custos. Ita namque tradit Huetius:

« *Sunt eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt;* usque ad id: *qui potest capere capiat.* Postquam falsas duas, quae in hunc locum proferuntur, explicationes ante eam, quae nobis ad verum videtur propius accedere, proposuerimus, et eas deinde pro virili confutaverimus; ut omni devitato in iis, quae dicemus, errore, meliorem transigamus vitam, si verum hujus loci sensum fuerimus assecuti; ita parati et instructi propositum aggrediamur. Cum enim duabus castrationibus, quas circa corpus exerceri videmus, consequens esse putarent nonnulli, ut tertia quoque ad corpus pertineret, se ipsi prae Dei timore at inconsulto et temere castrationi priorum simili subjecerunt; atque ita se convitiis appetendos, fortasse et ignominia afficiendos non alienis a fide solummodo propinarunt, sed iis etiam, qui res omnes humanas indulgentius ferre sciunt, quam vanum Dei timorem animo insidentem, et immoderatum castitati, amorem labores parientem et corporis mutilationem, et siquid aliud pati potest, qui tantam rem obiit. Alii autem sane non multi haud perpensa verborum

cohaerentia, aliter senserunt. Rati sunt enim priores duas ad corpus referendas a Servatore declarari, quasi praeter sensile nihil proponente. Tertiam vero non ita putarunt proferri, ut ad verbum interpretanda sit, sed castrationem, quae rationis ope fit ea significari censuerunt etc. » Paulo post: « Secundi vero tertiam recte assecuti sunt, cum affectionum ab anima peractam sermonis ope resectionem hanc significari arbitrati sunt: at non observarunt huic explicationi consentaneum esse, duas priores castrationes allegorice haud secus ac tertiam, exponi, vel certe prioribus duabus tertiam quoque exaequari etc. »

Et sic deinde, quae latinus Interpres brevi vertit sermone circa allegoriae usum in Scripturis (ut inde concludat, Christi verba: *qui se castraverunt propter regnum coelorum* spiritali sensu comprehendenda esse) graecus Transcriptor tres fere paginas insumpsit, in quibus, pluribus fere inutilibus occurrentibus repetitionibus, magis comprobatur glossa, in his et similibus ab eo elaborata, et aliquando extra Origenis sensum. Ex. g. ubi vetus Interpres legit ac vertit: *alii autem et plerique,* Anonymus graecus ex adverso legit: *alii autem et non multi;* cui sane prima praeferenda est lectio, quippe dictionis ordini et sensui accommodatior.

Verum non in his tantum improbanda est lectio graecanici Textus, sed et in illis, unde quibusdam visum est erui posse, tale quid temere Origenem perpetrasse in corpus suum. Hoc autem non ex vetere Interpretatione conjiciunt (ubi nihil ejusmodi reperitur) sed ex paraphrasi graeca ab Anonymo concinnata. Et re quidem vera; postquam prope veterem latinum Translatorem, varias Christi sermonis expositiones: *qui se castraverunt propter regnum coelorum*, notavit Adamantius, sicuti antea descripsi, suam denique prodit sententiam, et ait n. 4:

« Nos autem si spiritales sumus, verba spiritus spiritaliter accipiamus, et de tribus istis eunuchizationibus aedificationem introducentes moralem. Eunuchi nunc moraliter abstinentes se a venereis sunt appellandi. Eorum autem, qui se continent, differentiae tres sunt: et quidam quidem sunt natura frigidiores prae ceteris viris, et de quibus rectè dici-

tur: *sunt quidam eunuchi, qui de matris suae utero nascuntur sic.* Quidam autem continentes sunt propter verba hominum; quorum concupiscentiam virilem praecidit non verbum divinum, sed verba humana: utputa, qui philosophati sunt apud antiquos in gentibus, aut apud eos, qui prohibent nubere, apud haereses: isti sunt eunuchi, qui ab hominibus fiunt.

« Qui autem suscipit verbum vivum, efficax, et acutius super omnem gladium bis acutum, et gladium spiritus sicut Apostolus, et praeciderit concupiscentiam suam, corpus suum non tangens; et hoc fecerit non incitatus propter timorem hominum, neque propter laudem humanam, sed propter solam spem regni coelestis, isti sunt, qui eunuchizaverunt seipsos propter regnum Dei. Magna ergo res est propter regnum Dei suscipere eunuchizationem: quod *non capiunt omnes, sed quibus datum est.* Datum est autem omnibus, qui hujusmodi gladium petunt sibi a Deo. » Ex his itaque limpide expositis a latino Interprete sicuti in praefatis, percipitur quantum sit aversatus Origenes litterali sensui verborum: *qui se castraverunt propter regnum coelorum*; quin penitus inde suspicandum sit, ipsum aliquando aut ignorantia, sive zelo, evirationis actum in semetipso aggressum esse.

Hoc idem porro non ita se habet, si textum graecum sectemur; ubi huic contraria indicasse videtur. Postquam enim graecus Anonymus excussit, tam in vetere quam in novo Testamento saepe praeberi necessario sensum spiritalem, littera occidente qui secus putaverit (in quibus ipse latino Interpreti convenit); de suo subdit longam digressionem prorsus desideratam in latina Versione, ubi inter cetera dicit: « Non dubitarunt certe aliqui, qui nobis antecesserunt, causam scriptis suis dare, cum propter coelorum regnum nonnulli tertiam castrationem prioribus duabus similem pati ausi sunt. Nos autem Christum Dei, Verbum Dei, secundum carnem et secundum litteram olim animadvertentes, nunc haud amplius agnoscentes, eorum interpretationem quasi bene comprehenderint, non probamus, qui coelestis regni obtinendi causa tertiam sibi castrationem intulerunt etc. »

Ex his, inquam, uti ex praefatis in n. 1. cum Huetius aliique alibi librorum Origenis non repererint, quo hoc facinus in se admissum deducerent, opinati sunt hinc illum reapse, juvenili aestuante aetate, id perpetrasse; ac tamen re maturius pensitata, et reprehensionibus auditis, facti poenituisse, ceterosque amplius ab eo amovisse.

Nos autem, praeterquam valde dubitandum esse putemus de Origenis eunuchismo, seu de verendorum suorum abscissione, adjicimus ne ex citato sermone quidem adstrui posse. Citatus namque graecus textus non nisi retortam continet genuini sensus expositionem in vetere latina Translatione exacte traditam, et speciatim in his verbis: *nos autem si spiritales sumus, verba spiritus spiritaliter accipiamus*; ubi alio trahit Auctoris quaestionem, repraesentans eum olim Christi verborum sectatorem juxta carnem et litteram: quasi tunc scilicet in juventute hanc sibi conscivisset amputationem. Quando aliter vetus Interpres non supra ipsum Origenem, sed super ceteros id mandat non satis de sermone Salvatoris cautos: quamobrem istos ait (non vero seipsum) qui haec in corpore suo perpetrarunt, Christi verba injuria prosecutos, se confusionibus objecisse et opprobriis non solum coram infidelibus; sed et apud eos, qui indulgentius de humanis erroribus se gerunt.

Denique una collectis, quae de hoc argumento egimus, consequitur primo, Origenem, ubicumque expenderit Salvatoris dicta: *qui se castraverunt propter regnum coelorum*, nunquam ea esse interpretatum de corporea membrorum amputatione, nec ipsum ideo hoc in se facinus aggressum; cum ceteris exprobrasset, qui illud ausi fuerant. Secundo firmatur nullius esse momenti, quae adversarii huic objiciunt eruta ex graeci Transcriptoris codicibus, quippe ab eo interpolatis, ac sensu originali corrupto. Tertio, etsi velit quis antiquae inhaerere famae de reali contra omne fas Origenis eviratione; nihilominus necessario ipsi dicendum erit, illum, inspecta animi sui simplicitate, ingenuitate et humilitate, quibuscum versabatur in Ecclesia, aliquando, ineunte aetate, hoc revocantem crimen, confessum esse quod ipse inconsulto fecerit; ut alios ab eo amoveret, ostendens omnimode hoc facinus

reprobandum, uti a jure divino absonum, ac naturae humanae perniciosum simul et ignominiosum: quum tamen nullibi legitur hanc emisisse confessionem. Et ob has tandem de hoc argumento investigationes haud incongrue conjecit Hermannus Deusingius inquiens: « Quapropter surdo quoque mihi narratur elegans illa de castratione ejus fabella, accepta haud dubie referenda Demetrio episcopo alexandrino, qui invidia et odio Origenis incensus, eam primus evulgavit. »



CAPUT XL.

Ecclesiae unitatem, cujus caput Christum, ejusque successorem Petrum et in hujus persona Ecclesiae Romanae Antistites in regimine ejusdem novit docuitque Origenes.

Sicut in ceteris, quae orthodoxe docuit Origenes, divinis obsecutus est Scripturis et apostolicis traditionibus; sic item maximum intendit studium suum in Christi verba pro Ecclesiae suae unitate, ut omnium fidelium una esset fides mentium et pietas actionum. Et uti ait Apostolus, *unus Dominus, una fides, unum baptisma*: et ita illud fieret, pro quo Jesus rogabat Patrem suum: *Serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.* Et ob hanc unitatem saepius in Parabolis evangelicis Ecclesia symbolice exprimitur sub singularibus titulis, aut agri, aut domi, sive montis, sive arcae, aut ejusdem generis aliis. Quos titulos religiose veneratus Origenes, undequaque suis inscripsit libris, ex illis comprehendens ac statuens unam Christi Ecclesiam; extra quam quisquis sive manens sive egressus, nemo salvus erit. Hoc autem erga hanc Origenis doctrinam eo lubentius suscipiam, quo magis adversarii, quorum princeps Theophilus, ob praesumptos errores ipsum culparint quasi Ecclesiam Dei lacerasset, haereticorum partibus indulgens.

Ac interim, ut de pluribus ejusdem sileam testimoniis argumento aptis, hoc sufficiat, quod exposuit Homilia III. n. 5. in *Librum Jesu Nave* ex sermone meretricis: *scio quia Dominus Deus vester tradidit vobis terram hanc*: « Sed videamus quid egit cum exploratoribus ista sapiens meretrix. Consilium eis dat mysticum et coeleste, nihil habens terrenum... Aliud nullum fuit signum, quod acciperet, nisi coccineum, quod sanguinis formam gerebat. Sciebat enim quia nulli esset salus, nisi in sanguine Christi. Datur etiam hoc mandatum huic, quae quondam meretrix fuit: *omnes*, inquit, *qui inventi fuerint in domo tua, salvabuntur. Qui autem exierint de domo, immunes sumus nos ab hoc juramento tuo.* Siquis ergo salvari vult, veniant in hanc domum hujus, quae

quondam meretrix fuit. Etiam si de illo populo vult aliquis salvari, ad hanc domum veniat, ut salutem consequi possit. Ad hanc veniat domum, in qua Christi sanguis in signo redemptionis est. Nam apud illos, qui dixerunt: *sanguis ejus super nos et super filios nostros*, Christi sanguis in condemnationem est... Nemo ergo sibi persuadeat, nemo semetipsum decipiat; extra hanc domum, idest extra Ecclesiam nemo salvatur. Nam siquis foras exierit, mortis suae ipse fit reus. Hic sanguis est signum, quia hic est purificatio, quae per sanguinem constat. »

Posteaquam vero ex hoc testimonio Ecclesiae christianae unitatem, extra quam non datur salus, apprime apprehendimus; illud quoque patet, Christum ab eodem Origene nuncupatum fuisse *lucem, et caput ejusdem Ecclesiae, quam sibi desponsavit, ac verbi sui veritate tanquam muro circumsepsit.* Ac ideo ad Patrem reversurus, regimen ipsius Simoni commisit, illum speciali titulo nuncupans: *tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Ac propterea Tomo V. commentariorum *in Joannem*, scribit: « *Super hunc Petrum aedificatam Christi Ecclesiam, adversus quam portae inferi non praevalebunt.* » Et ille quidem est, quem Tomo III. *in Genesim*, postquam judaeis, qui in dispersione erant, praedicavit, ait Romam venisse, ibique postremo martyrio coronatum.

Cum autem nonnulli Petri super universam Ecclesiam primatum ex quibusdam ipsius Origenis expositionibus in citata Christi verba exactis, labefactare conentur, ut infra dicetur; ideo illius sensus in hac quaestione illustrandi causa, testimonia ipsius de hoc argumento e suis libris investigatum ineamus, ut deinde quae contra nos facere dicuntur, aequa explanatione donentur.

In primis nobis adstat praeclarum Origenis testimonium de singulari supra ceteros apostolos praerogativa ex commentariorum Tomo II. n. 29. *in Joannem* per ea Andreae dicta ad Simonem fratrem: *invenimus Messiam;* quae ita exponit: « Quae vox a quovis dici poterit, qui invenerit Dei *logon*, et qui ab ipsius divinitate regitur. Fructum vero mox offert Christo fratrem Simonem. Quem munere singulari re-

muneratus est Jesus inspiciendo in eum, *ὅπερ ἐστι διὰ τοῦ ἐμβλέψαι ἐπισκοπῆσαι καὶ φωτίσαι αὐτοῦ ἡγεμονικὸν*: quod est, sive indicans per illum intuitum, se illius (Simonis) curam gerere, ejusque rationem illuminare. Et ipse Simon potuit, eo quod Jesus in eum intuitus est, adeo stabiliri, ut ab opere stabili et firmo cognomen traheret et vocaretur Petrus. »

Et hoc item speciale munus consideravit Origenes Tomo XXXIII. n. 5. in ejusdem Evangelistae dicta: *venit ergo ad Simonem Petrum* etc. « Quod si opus est, ait, Scripturam scrutari usque ad ea, quae minima esse putantur, quaeret aliquis, cur tandem cum in numerandis apostolis primum locum obtineat Petrus? fortassis quia ceteris honorabilior: quoniam etiam vere omnium ultimus Judas ob malum affectum, in ultimum locum projectus jacet etc. » Similiter Homilia V. n. 4. *in Exodum*, docens Origenes neminem in hac vita etiamsi beatum ac altissima ornatum dignitate', immunem iri a tentationibus: « Sed quis ita beatus est, inquit, qui sic tentationum pondus expediat, ut nulla menti ejus cogitatio ambiguitatis obrepat? Vide, *magno illi Ecclesiae fundamento, et Petrae solidissimae*, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: *modicae fidei, quare dubitasti?* » Et ob hoc in c. XXIX. Proverbiorum (ex Editione Cardinalis Maji) de usu vocabuli *judicare* pro *docere*, idem scripsit: « Virum autem hic judicantem gentes dicit Petrum, qui mundum universum docuit Christi fidem et religionem: Paulum item et reliquos per tempora magistros. »

Attamen nonnulli offensi sunt, expositionem Origenis legentes in ea Matthaei verba: *tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferorum non praevalebunt ei*: in quibus aliter consideravit non tantum Petrum, sed et ceteros apostolos et fideles omnes. Inquit enim Tomo XII. *in Matthaeum* n. 10: « Forsitan si et nos diximus quod dixit Petrus: *tu es Christus Filius Dei vivi*, non carne nobis et sanguine revelante, sed Patre, qui est in coelis, mentem nostram illuminante, erimus Petrus, et eamdem beatitudinem consequemur, quam ille propter confessionem nostram similem confessioni illius. Tunc autem non ca-

ro et sanguis revelat nobis Jesum esse Christum Filium Dei vivi, sed Pater, qui est in coelis: quando conversatio nostra in coelis est, et digna revelatione Patris coelestis; tunc vere revelatio Dei abstulit quidem a nobis omne velamentum cordis; dedit autem nobis spiritum sapientiae et revelationis. Si autem secundum carnem et sanguinem conversemur, alias autem confiteamur Jesum Christum esse Filium Dei vivi, ut puta, dogma hujusmodi suscipientes a parentibus traditum nobis: tunc non Pater revelavit nobis, sed caro et sanguis. Propterea nec stabiles sumus in fide ipsius, sicut Petrus, nec similem ei beatitudinem consequemur. Si ergo et nos, Patre nobis, ut diximus, revelante, confitentes Jesum esse Christum Filium Dei vivi, facti fuerimus Petrus: utique et nobis dicetur a Deo Verbo: *tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam* etc: Petra est enim omnis, qui imitator Christi est, ex quo bibebant, qui *bibebant de spiritali consequente petra.* Et super omni hujusmodi petra aedificatur Ecclesia Dei. In singulis enim quibusque perfectis, qui habent in se congregationem verborum et operum et sensuum omnium, qui hujusmodi beatitudinem operantur, consistit Ecclesia Dei, cui portae non praevalent inferorum. »

Et sic in sequentibus prosequitur Origenes, ostendens in his verbis comprehendi et Petrum, et ceteros apostolos et omnes quosque perfectos Christi imitatores, ac omnes ideo fideles esse et dici Petrum et Petram, et in omnibus his aedificari Ecclesiam Christi; adversus quos, cum tales permanserint, inferorum non praevalebunt portae. Et, sicui praevaluerint portae inferi, idest Christi denegatio, fornicatio, avaritia, haeresis, et hujus generis culpae, Petra nequaquam dicendus est. Hinc cernis, Origenem in hoc loco, pro more suo, lato sensu interpretatum Jesu sermonem, quod proprium uni tantum erat, scilicet Petro, improprie omnibus credentibus concessisse. Quod quidem aliis non displicuit priscis interpretibus Ambrosio, Epiphanio, et Theophilacto. Eoque magis cum scimus, hanc interpretationem exordisse Origenem ex ipsius Petri confessione: *Tu es Christus Filius Dei vivi,* aliorum seclusis de Jesu opinionibus quippe falsis. Quapropter in hac confessione studens, quibus alloquebatur, continere

fideles, ne a Jesu desciscerent, sed firmiter se haberent, sicut Simon, qui ideo dictus est Petrus, inquit: *erimus Petrus et eamdem beatitudinem consequemur quam ille, propter confessionem nostram similem confessioni illius.* Proindeque etiamsi sciret Origenes, vere ad Petrum dictum fuisse: *tu es Petrus etc.* tamen ab hujus discussionis initio ad finem patet ipsum sensu litterali sive proprio loqui noluisse; verum ob similitudinem illius Simonis, qui *Petra* dictus est, sincera ipsius inspecta confessione, arbitratus est, ipsa verba referri posse sensu lato aut improprie ad omnes christifideles, cujusque conditionis, et ordinis in Ecclesia.

Ceterum quoad Petri primatum in Ecclesia supra ceteros apostolos ex eodem Christi sermone deductum, et de quo ibidem siluit Origenes; alibi tamen apertissime illum contestatus est; et quidem paulo post in ejusdem commentarii Tomo XIII. n. 14. ubi disserens de statere, quem Jesus pro se et pro Petro dedit exactoribus tributi, revocat dictum *tu es Petrus* etc. et ait: « Venerunt enim in Capharnaum Jesus atque discipuli ejus; ubi et didrachma exigentes accesserunt ad Petrum; et interrogantes dixerunt: *magister vester non solvit didrachma*? Ita Petro respondente ad eos, *etiam:* faciens verbum de didrachmis Jesus mittit Petrum cum hamo comprehendere piscem; in cujus ore dicebat inveniendum esse staterem, ut daretur pro se et Petro. Ego arbitror, quoniam maximum hunc existimantes honorem in Petrum a Christo collatum (quasi per hoc judicasset eum ceteris discipulis majorem) cupiebant, quod suspicabantur, caute cognoscere. »

Deinde in eo Tomo n. 31. non solum primatum sed et potestatem clavium in Petro supra ceteros vindicat Origenes ex verbis: *tibi dabo claves*: « Sed quoniam oportebat aliquid majus habere Petrum prae illis, qui ter arguerant, ideo illi quidem sic dixit: *et tibi dabo claves regni coelorum; et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in coelis: et quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis.* Non ergo modica differentia est, quod Petro quidem datae sunt claves non unius coeli sed multorum coelorum, ut quaecumque ligaverit super terram, sint ligata non tantum in uno coelo, sed in omnibus coelis; et quae solverit super ter-

ram, sint soluta non solum in uno coelo, sed in omnibus coelis. Ad eos autem, qui multi sunt ligatores et solutores in terra sic dicit, ut solvant et alligent, non in coelis, sicut Petrus, sed in uno coelo; quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus, ut alligent vel solvant in omnibus coelis. »

Ideoque hoc probe sciens Origenes ex praefatis Christi verbis ad Petrum, Libro V. n. 10. *in Epistolam ad Romanos*, in eo denuo notat rerum summam ei traditam a Jesu, et non solum agnorum (fidelium cunctorum) sed et ovium (episcoporum) custodiam eidem traditam fuisse: « Et Petro, ait, cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum veluti super terram (petram) fundaretur Ecclesia, nullius alterius ab eo virtutis confessio, nisi charitatis exigitur. »

Novissime, postquam beati Petri primatum super omnem Ecclesiam, ejusque Romam adventum Pontificatus sui sedem ex Origenis dictis agnovimus; non abs re quoque erit investigare quid de ejusdem Petri successoribus in Pontificatu putaverit, deque Ecclesia Romana ab ipso Apostolo fundata. Et primo quidem non est praetereundum quod Auctor *in Epistolam ad Romanos* verba: *quoniam fides vestra annunciatur in universo mundo*, varimode interpretatus, in Libro I. n. 9. inquit: « Potest tamen et ita intelligi, quod fides ista, quam Romani habent, ipsa eademque sit, et non alia, quam quae in universo mundo annunciatur et creditur: quae non solum in terra, sed etiam in coelis praedicatur etc. » Ac propterea Eusebius in Libro VI. c. 12. de Origenis ad hanc urbem itinere ait: « Adamantius, Zephirino eisdem temporibus Romanam Ecclesiam gubernante, scribit se Romam propterea iter suscepisse; quod sibi admodum in optatis erat, Ecclesiam Romanam plane antiquissimam visere, ubi non diu commoratus est. » In quibus verbis considerari interest, Origenem Romanam visisse Ecclesiam, non sicut alias visit urbes episcopales Asiae et Europae, harum scilicet antistites coadjuvandi causa in ministerio praedicationis, in conversione infidelium, in confutandis haereticis. Verum Romam visit, quod in optatis ejus erat, ut ipse ibidem propius imbueretur de Petri fide, de apostolica traditione in ipsa Ecclesia illibate custodita, et ad ipsum hujus traditionis custodem et interpretem fidelem al-

loqueretur Zephirinum, tunc in ejusdem Petri Cathedra assidentem.

Quamobrem, cum postea Origenes ab haereticis et falsis fratribus calumniis impetiretur ob ea quae docebat vel scribebat, ut saepius conqueritur, et hinc in haereseos suspicionem venisset, ad quos calumniae venerant, scripsit; in quibus praesertim Fabiano Romano Episcopo, inquit praefatus Eusebius in Libro VI. c. XXIX. eum certiorem faciens de sua recta et orthodoxa fide. Cum autem Eusebius idem notet, inter plures episcopos et ad Fabianum Pontificem scripsisse, et hinc excludi videantur alii totius orbis christiani praesules et potissimum occidentales, arbitrandum est, Origenem litteras misisse ad Fabianum Pontificem : ex quo ei persuasum erat, Romanum Episcopum potiori muniri auctoritate, suumque judicium supremum aliorum episcoporum antecellere sententiae ; quippe super cunctam Ecclesiam primatum a Christo acceperat per ea verba: *tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Quem Petrum in suis successoribus fideliter ac religiose venerabatur Adamantius.

Et ab hujusmodi Romae singulari praerogativa ob Petri Cathedram ibi fundatam, ipse Origenes ex Pauli Epistola ad Romanos, Romanam supra ceteras extollit orbis christiani Ecclesias propter varias in ea notatas circumstantias. Primo ex praefatis verbis praesertim : *quoniam fides vestra annunciatur in universo mundo.* Praeter enim, quae superius ex hoc testimonio diluit Origenes, et hoc addendum est : « *In universo mundo*, inquit, si simpliciter accipiamus, hoc videtur designare, quod in multis locis mundi, hoc est terrae hujus, eorum, qui Romae sunt, fides et religio praedicetur. » In qua expositione fidei unitas indicatur ab Apostolo, ac una erga Ecclesiam Romanam credentium totius mundi obsequium. Et hoc magnopere iterum praelucet ex salutationibus in Epistolae fine; quas cunctae, ait s. Paulus, ecclesiae fidelibus romanis mittunt: *salutant vos omnes ecclesiae Christi.* Quasque interpretatus Origenes scribit: « Numquid non in una ecclesia positus Paulus haec ait? Et quomodo verum est, quod omnium simul ecclesiarum salutes Romanae mittat Ecclesiae? Sed pro eo intelligere debemus, vel quod unus spi-

opus erat eis in quaestionibus expediendis se se Episcopi Romani judicio submittere?

Praeterea, si necessitas quaestionis talis erat, ut, sicuti vidimus in causa Dionysii alexandrini, alterius patriarchae repeteretur judicium; nonne Hierosolymorum, nonne Antiochiae aderant patriarchae, et quia viciniores, et eorum ecclesiae ab apostolis repetebant originem? Quare his neglectis, Dionysii accusatores ad Ecclesiae Romanae Antistitem confugerunt? Et cur Dionysius ipse quamvis Alexandriae episcopus et totius Aegypti ecclesiae patriarcha, datis tamen litteris ad Romanum Episcopum, se ejusdem judicio tanquam omnium supremo et inappellabili subjecerit? Insuper in Urbe alexandrina Schola eminebat philosophiae et theologiae christianae illustris, et ibi moderatores scientia et pietate insignes; unde minus videretur necessarium longinquam adire regionem, illius homines de his rebus consulendos. Nihilominus Scholae alexandrinae et Aegypti episcoporum neglecta sententia ad Episcopum Romanum se recepit Dionysius.

Et cur similiter causa Pauli samosateni ad Ecclesiam Romanam delata est? Et Aurelianus imperator mandavit, ratam haberi sententiam Cleri Romani; et hinc ab ecclesia Antiochiae expelli Paulum damnatum? Fortasse antea et probe audiverit Aurelianus, Ecclesiam Romanam a beato Petro fundatam, obtinere praestantiam super ceteras orbis christiani ecclesias, etsi ejusdem antiquitatis forent et ejusdem ab apostolis originis?

Ex his praemissis audiant haeretici, audiant schismatici, audiant cujusque generis heterodoxi, audiant reformatores, et novi ordinis in societate humana institutores, audiant rationalistae, audiant denique cuncti Pontificatus et Ecclesiae Romanae hostes; audiant et discant, quo sensu ab antiquissimis temporibus, sive ab ipso christianae Religionis exordio accepta fuisse Jesu verba ad Simonem Barjona: *tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*. Et: *ego autem rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Et amplius: *pasce oves meas*. Audiant et discant, ejuscemodi verba non ad Petrum tantummodo dicta fuisse ob primatum super ceteros

apostolos, sed ad illius quoque successores in Pontificatu. Quam interpretationem ab apostolis ipsis immediate accipientes eorum successores in regimine ecclesiarum, praesertim Hierosolymorum, Antiochiae et Alexandriae antistites, religiose et fideliter transmiserunt posteris, ut hanc custodirent pro se et cunctis christifidelibus, et ut adversus Pontificatus Romani hostes vindicarent perpetuo: quemadmodum ab Origenis, Dionysii et Eusebii documentis hanc normam expletam fuisse ostendi.

Non ergo, concludam, Origenes scidit in partes Ecclesiam; sed ejus adversarii, quorum alii perfidi, alii invidi, alii ignari et incauti turbas concitarunt adversum tam pium virum: qui totis viribus, studio perpetuo, apostolorum zelum aemulatus, contra incredulos et omnes haereses pugnans usque ad vincula, fidei christianae veritatem, et Ecclesiae Christi unitatem in beato Petro apostolorum principe et in suis successoribus servare, tueri conatus est.



ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ

Cunctae in Origenem adversariorum criminationes per argumentationem ab absurdo expugnantur.

Novissime, multiplicis generis regestis in Origenem imputationibus, et singillatim harum omnium discussis momentis, siquid in eo culpabile appareret; comprehenditur quanto jure adversarii ipsum increpuerint. Veluti enim in prima Parte, de aeternitate poenarum deque carnis resurrectione uniformem dogmati catholico seipsum praebuisse Auctorem probatum est; ita in hac secunda Parte pro viribus nostris immunem ipsum ivisse ab erroribus ac praesertim ab impietatis crimine (eidem perquam injuriose inusto) accurate ostendimus; dummodo tamen nonnulla exceperis, quae pariter apud Patres coaevos adhuc dubia manebant et incerta; quippe nondum ab Ecclesia definita.

Interim, siquidem et in prima et in hac altera Parte dictum est, quot criminationum genera audistis ex ipsius sermonibus eruta aut inventa sint ab adversariis ac hujusmodi, ut haereticorum omnium superare dicatur audaciam; praeter ea, quae peculiari egimus investigatione de suis erroribus, summatim nunc animadvertantur Origenis tam perversa dogmata, prout fuerunt ei ab antiquis et recentioribus objecta; ut propterea haereticus et impius reputaretur. Consideretur scilicet qua mente, quo studio, qualive scopo potuerit ipse, hos profiteri et probare sensus, eosdemque fidelibus tradere propugnandos. Antea vero praemittendum est, circa aetatis suae dimidium, sive antequam ab Aegypto exularet, uti velint Theophilus, Epiphanius, Hieronymus, ceterique, Origenem coepisse tam inepta et prava dogmata in vulgum proferre; et usque ad vitae terminum sic perdurasse. His positis, en quid inde inferendum esset.

I

Siquid philosophiae leges polleant; et si rectam rationem, seorsim ab historia critica, cuipiam libuerit praeferre in hac disceptatione, collatis, quae Celsus christiano dogmati

opposuit in suis libris, cum iis, quae Origenes ei respondet; quomodo putandum erit (prope enim adversariorum, quos citavi, mentem loquor) quomodo putandum erit, Origenem talibus onustum impietatibus, ac in graecae philosophiae vanitatibus errantem, contra Celsum dimicasse, ac sollerti studio, ardentique zelo os ipsius iniqua loquentis obstruxisse, cum ipse in eadem causa, in iisdem erroribus versaretur?

Celsus negat, possibilem esse corporis resurrectionem. Idem juxta adversarios negat Origenes. Celsus ait naturarum mortalium conversionem similem esse ab initio ad finem; et ex ordine constituto conversionum, necessarium esse, ut praeterita, praesentia et futura eadem sint. Ista tanquam fabulosa exprobrat Celso Origenes. Tamen et ipse, Origenes (ajunt adversarii) easdem admittit conversiones, et giros in ordine creaturarum. Celsus contendit, animabus coelos e terra petentibus, aut terram e coelo, iter esse per planetas, quod est animarum descensus et ascensus; quam quidem opinionem confutavit Origenes. Et cur confutavit, cum et ipsam admiserit eamque propugnarit? Celsus assentitur iis, qui mundum increatum putant. Ad quid ergo ob hoc ei exprobravit Origenes, qui (uti de eo putant contrarii) eamdem tenuit sententiam, coaeternam asserens Deo materiam? Credit magicis artibus Celsus, inquiens Jesum hoc artificio usum esse ad illudendum gentibus. Item magicam artem inquiunt adversarii, comprobasse Origenem. Frustra ergo in hoc laboravit contra Celsum Origenes. De Jesu, inquit Celsus: « *Homo igitur ille fuit, et talis quidem, qualem et veritas declarat, et demonstrat ratio*. Et Origenes, sic volunt oppositores, hoc idem putavit et docuit. Cur igitur impium vocaverit Celsum Origenes, ex quo similia ipse propugnavit, divinitatem Christi inficiatus?

II

Celsus putat ex male intellecta animarum a corporibus in corpora migratione, ea proficisci quae a christianis dicuntur de resurrectione: et ob hoc ei irridet Origenes. Sed cur Celso irrideat Origenes nescio, cum ex adversariorum placitis eadem doceat in suis libris? Similiter cum Origenes plu-

rimum laboraverit, Celso ostendens, Deo nec corpus, nec figuram neque colorem convenire; alibi vero his contraria adstruens, Deum corporeum et hinc eisdem pollere qualitatibus ac corpora docuisset. Pariter Celsus objicit christianis vana praestigia; et ibidem Origenes impostores vocat, qui in eorum arcanorum cognitione versantur. Nihilominus, acceptis in eum imputationibus, ipse Origenes impostor fuisset, ac nihil in Celso reprehendendum sibi foret. Et ut summatim dicam; cur Origenes tot labores tulit, tam anxius sategit, ut Celsi falsitates argueret in dogma christianum comparatas, eum mendacem nuncupans, iniquum, injuriosum, calumniatorem, protervum, irrisorem, ignarum, impium, qui talia mendacia instruit de Christi institutionibus; cum et ipse Origenes eadem professus esset, eadem sensisset, eadem propugnasset in suis operibus?

Vix, fateor, nescirem an Celsus in his falsitatibus Origenem superarit, an Origenes Celsum. Sane valde mirum, mihique comprehensu difficillimum, quomodo Origenes, postquam tanta blasphemaverit; tanto deinde zelo et studio in Celsum inveheretur sine ulla emendationis tessera eorum, quae alibi ipse pariter blasphemasset: seu cum et ipsi ambo una incessissent in subversionem dogmatis christiani. Quis ergo horum impius? Origenes ne an Celsus? Quis sincerus, quis veritatis vindex? Quis reus, quis judex? Ubi confutator et confutatus? Quid utilitatis in hoc Origenis studio contra Celsi libros, cum simul adversus Christum convenerint? Cur pro virili, uti ipse ait Origenes in Prologo, contra Celsi criminationes decertarit ad ipsius refellenda sophismata? Quid ipse profecerit in Ecclesia Dei? Qualis fidelium usus in his percurrendis libris, cum scirent eosdem alibi propugnare sensus Origenem, quos hic confutare statuit? Et haec est consequentia necessaria et ultronea in illius *rapsodiae* acceptatione pravorum dogmatum, Origenem horum auctorem praeferentis; quoties Theophilo suisque comitibus fidem praestiterimus, ac animadversis, quae contra veritatem evangelicam edidit Celsus; quaeque confutans Origenes reprobavit.

III

Item in ejusdem generis extravagantias, nobisque sane incomprehensibiles incidemus, comparantes, quae docuerunt Valentinus, Basilides, et Marcion: quaeque simul Origeni inscribuntur a Theophilo, Epiphanio et Hieronymo. Negare non possumus, diversa errorum genera, valdeque nomini christiano injuriosa, a praefatis haereticis sata fuisse in Ecclesia summo fidelium scandalo ac praesertim in iis, quae de Deo docebant; dividentes nimirum Deum Patrem a Filio, diversas naturas eisdem, ac contraria attributa cuique eorum designantes. Et quae praeterea commenti sunt de animarum praeexistentia, quas asserebant (teste Clemente alexandrino in *Stromatum* Libro IV.) cum in alia vita peccarint, in hac supplicium pati. Et quae insuper existimarunt de dissimili animarum natura, adversati corporeae resurrectioni, materiam ingenitam admittentes, animarumque transmigrationem; hominis tollentes arbitrium et hinc cujusque merita; nuptiarum sanctitati hostiles; aliosque complexi ejusdem generis errores ultro inde accedentes.

Sed quid contra tam impia et peregrina dogmata, eorumque magistros egit Origenes? Quali ideo titulo nuncupavit valentinianos, basilidianos et marcionitas ita blasphemantes? En quali zelo, divinaeque veritatis aemulator saepissime adversus istos tela calami sui jecit Adamantius. Vide quomodo eos appellet haereticos, infideles, insolentes, blasphemos, pestiferos, impios, doctores immundos, illorum doctrinam adulteram monetam et extra Ecclesiam cusam, perversarum opinionum magistros, zabuli ministros, filios fornicationum, lupanarium aedificatores, portarum inferi constructores, impietatis architectos, ab omni veritatis sapientia lapsos, fabulosarum traditionum concinnatores, in exponendis Scripturis diaboli socios, et Ecclesiae Domini profanatores.

Quid autem inde eruendum sit, patet. Etenim collatis criminationibus Theophili, Epiphanii, et Hieronymi, qui'hos pariter citatos errores adscripserunt Origeni et ob hoc eisdem titulis adversus ipsum conviciis incessere: consequenter praemissis necesse fit ut dicatur, Origenem se in suis scriptis ac

sermonibus coram Ecclesia pro apostolicis institutionibus pugnantem, necesse est, inquam, ut dicatur, seipsum ex labiis suis, palam hujusmodi haberi se velle hominem haereticum, impium, diaboli ministrum, blasphemum, pestiferum, Ecclesiae profanatorem, et extra ipsam factum etc.; cum et ipse secundum Theophili Epiphanii et Hieronymi attestationem, professus est et docuit, quae Basilides Valentinus et Marcion docuere, suisque asseclis credenda tradiderant. Ac amplius alterum subiret absurdum ita, ut in fidelium concionibus, illos ab errore avertens, seipsum impietatis architectum una cum eisdem haereticis jungeret. Et insuper cum (uti ait Homilia I. n. 12. *in Ezechielem*) vellet suffodere, eradicare, subvertere, et disperdere quidquid Marcion in auribus deceptorum aedificavit, ipse cum eodem Marcione videretur ea omnia plantasse, aedificasse, et solidasse. Et hinc inter antilogias discurrens delirus, in proclamando semetipsum impium, pietatem in aliis commendaret; sic diaboli minister cum Marcione factus, Christi disciplina aliorum mentes imbueret. Ipse extra Ecclesiam vagans Origenes, ceteros intra eamdem congregandi, continendique studiosus fieret; ipse infidelis, fidem in eisdem inculcaret; ipse portas inferi cum Valentino construens, credentes ab eisdem pari tempore longe se habere hortaretur. Et quid hac re magis absonum?

IV

Similiter et inter absurda censendum istud est, hypothesi accepta, Origenem talia scripsisse eo usque ab Ecclesia aliena, totam evertentia evangelicam dispensationem, peregrina dogmata de Deo, de Christo, de aeternitate materiae, de mundo, de anima, de angelis, de daemonibus, de secunda redemptione, de reprobis in vita futura servandis, de resurrectione, de humano arbitratu de nuptiis etc. veluti ab Hieronymo ceterisque insimulatur. Nonne absurdum putare, haec omnia professum Origenem, hujusmodi hypocrisi, aut tam versuto consilio usum esse palam, ut ex illis ab ipso edoctis fidem, cum ipso versatis, per eumdem a gentili inanitate conversis, ab haeresi revocatis, intime ipsius sociatis neces-

situdine, nemo suspicaretur, comprehenderetque animi sui pravitatem?

Itemque fieri unquam poterit, ut Origenes Alexandriae, in Arabia, in Palaestina, in Cappadocia, in Achaja et usque Romam, in scholis publicis ac privatis, in ecclesiis, in synodis, coram fidelibus et infidelibus, orthodoxis et haereticis, ac praesertim sub testimonio diaconorum, presbyterorum, et episcoporum docens, aut disputans; fieri dico unquam poterit, ut harum, ubique regionum venenum cordis sui occultarit; et aliud coram profiteretur ab eo, quod intus putaret, aut sentiret? et hinc dogmata sacra simularet, pro quibus usque ad vincula atque tormenta pugnavit? quin ipse, uti variae instarent circumstantiae et hominum et locorum quodammodo animi sui perversitatem proderet (quippe et hominis est ex abundantia cordis os loqui) et quin proinde auditores locutionum suarum ambiguitatem animadverterent, suarumque foetorem cogitationum malarum, si reapse tam improba dogmata professus esset? Ex. g. discipulus ejus s. Gregorius Thaumaturgus Neocaesareae episcopus, Hierosolymorum antistes, alter Caesareae, alter Tyri, alter Cappadociae, alter Athenarum, ac omnes, qui duabus synodis cum eo adstitere in Arabia, episcopi, nec non ceteri viri docti, per ipsum ad veritatem ab haeresi reducti, vel quos Christo ab infidelitate lucratus est, quique ob eximias virtutes postea in Ecclesia praestitere, ac demum martyrio coronati? Qua ratione, dico, praefati sancti et martyres huic communicantes non obiter, sed diu, ac de rebus fidei mutuo consulentes, non adverterint simulatam ipsius pietatem, ac opinionum suarum fallaciam? Aut diversimode, cur Origenes in hos lapsus errores, in concionibus, in scholis, in catechesibus, in synodis ab auditorum auribus illos abscondit, ut deinde scripto mandaret, ac posteritati illuderet? et, ut ita dicam, praesentes servaret; seque posterosque perderet?

V

Item sub eodem argumentationis genere pergendo, Origenis hostium acceptis accusationibus, quis ignorat, agrum

antilogiis satum in talibus exhiberi sermonibus? Cum enim corporeum putent Origenem fecisse Deum, nec illud ignorant, ipsum ex adverso hanc opinionem confutasse penitus. Item cum ajunt, Christi divinitatem denegasse; haud nesciunt quoque ipsum propugnasse Christum Dei, Deum esse, Patri consubstantialem, aeternum etc. Similiter alias de Spiritu Sancto recte sentit, alias non bene. Item secundam Christi redemptionem adstruit, deinde nulla ratione hanc fieri posse contendit. Pariter animarum praeexistentiam alias admittit, alias negat; alias per traducem animas corporibus inseri, alias a Deo indi docet. Alias animarum transmigrationem propugnat, alias penitus confutat. Alias magicam artem uti bonam novit; alias execratur. Quandoque nuptiarum sanctitatem celebravit, aliquando despuit. Modo hominis arbitrium tuetur, nunc tollit. Hic veram corporum resurrectionem fatetur; ibi sine corpore futuram resurrectionem tenet. Ibi ingenitam materiam dicit: alibi negat, ac pluribus argumentis creatam, in adversarios testatur. Saepissime et ad sexaginta vices dogma de aeternitate poenarum propugnat: et ad fere totidem vices huic dogmati resistit. Alias dicit, daemones aliquando resipiscere posse, et ad Deum converti; alias mente captum vocat, qui sic opinatur. Porro cum ita loquitur Origenes, ubi sapiens, ubi logicus, ubi mente compos? Nonne potius insanus, delirus, et extra omnem ratiocinii sensum vagans?

VI

Mirum item est nobisque fere incomprehensibile, Origenem talia blasphemasse eo ipso tempore, quo divinas Scripturas in Schola alexandrina christifidelium aedificatione explanabat, aliaque scribebat absque offendiculo cunctis accepta. Constat enim ipsum, priusquam ab Aegypto secederet, libros *Periarchon* exarasse, ubi plurima impia et falsa dogmata acervasse ab adversariis suis ipse dicitur. Eodemque nihilominus tempore patet, grandi auditorum stupore, profectuque Scholae alexandrinae tunc moderatorem in christianae Religionis mysteriis explanandis, mentesque fidelium sana doctrina imbuendis salegisse valde. Fertur tunc in Aegypto

s pestiferos edidisse: ac in eadem regione circa illud
commentarios in Joannis Evangelium concinnasse; ubi
s fatetur se nil dissonum a veritate catholica repe-
mplius Hieronymus *in Explanationes s. Lucae*,
Origene elaboratos libros admiratus, latineque
suis Romae commendans, inquit: « *Romana*
quantum boni et ante nescierit, et tunc sci-

VII

etrio episcopo Origenes Alexandria
.s, dogmatumque falsitate pernicio-
..utatus, a Palaestinae, Phoeniciae et Acha-
et quidem fide et pietate sincera conspicuis ex-
..r; munusque ei demandatur ab ipsis, publice in Ecclesia concionandi, tamquam in eo munere ceteris presbyteris praestantiori. Ab Aegypto fugatur ut haereticus et homo pravus. In Syria ut orthodoxus et vir sanctus honoratur. Rebus sic stantibus quid dicendum? Fortasse duas habuit mensuras Origenes? quarum altera sacrosancta fidei dogmata, altera haeretica et impia capiebat, pro varietate locorum et personarum ordinata? Proindeque cum una scilicet mensura nonnullis salutaria, ac ipso tempore aliis cum alia mensura propinabat mortifera pharmaca? Aut alios quidquam verum et sanctum sermone docebat; et coram aliis scripto contraria disserebat? Sive modo recta, modo falsa, modo pia, modo impia praebebat hominibus credenda?

VIII

Ex Christi verbo docuit Origenes, unam esse Ecclesiam, ac super Petram fundatam; adversus quam portae inferi non praevaluissent; extra quam unam nemo salvari posset; et erga quam unam, saluberrimam ait exercere Deum providentiam: *Ecclesiam unam sanctam, non habentem maculam aut rugam; in qua fides una, baptisma unum; in qua una corpus unum, spiritus unus: Ecclesiam unam, columnam et fundamentum ve-*

ritatis : Ecclesiam unam, domum Dei, et civitatem Verbi, tanquam muris septam veritate : sicut una arca Noe, ita una Ecclesia Christi : « Ad unum, ait Homilia II. *in Genesim* n. 5. totius constructionis (arcae) numerum summa revocetur : quia unus Deus Pater, ex quo omnia; et unus Dominus, et una Ecclesiae fides est, unum baptisma, unum corpus et unus spiritus; et ad unum perfectionis Dei finem cuncta festinant. »

Quapropter, si unam Christi dixit Ecclesiam ; et ubique librorum suorum unam solummodo admiserit Ecclesiam et quidem immaculatam, Christi sponsam, in qua unum baptisma, una fides, unum corpus, unus spiritus : accepta hypothesi, tot et tanta et perversa et varia et se mutuo collidentia adstruisse dogmata Origenem; non unam ex ipsius ore asserendum foret, Christum in mundo fundasse Ecclesiam eadem fide, eodemque spiritu incedentem, Christi sponsam, dilectam Deo; sed plures instituisse et divisas. Ad quas homines convenientes, unusquisque pro lubitu suo, crederent et docerent; doctrinasque praetexerent sive in numero, seu in essentia varias, sive etiam contrarias, prout ex ingenio suo putarent. Et hinc consequenter deducendum, aut harum singularum ecclesiarum plures haberi Christos fundatores et magistros, plures et varias fidei regulas, plura baptismata, plura corpora, plures dominos, plures deos. Aut saltem arguendum fidem unam commisisse Christum hominum placitis exponendam et acceptandam, sicuti hodie in heterodoxorum scholis mos est. Et ita tandem hujuscemodi opinionum nec sane minoris momenti discrepantiam constituere Christi Ecclesiam unam et immaculatam ; ac tanquam una fides, unus spiritus in ea dominarentur: nihilque ideo facienda esse, quae tantopere Origenes disputavit contra variarum haeresum patronos. Et quid magis hac opinione absurdum ?

IX

Cum Origenes plura doceret istiusmodi prava dogmata, fortasse nescierit se contra statuta apostolica et ecclesiasticam traditionem incedere ? Num dubius aliquando de his omnibus falsitatibus ivit, seu de earum consequentiis incertus?

Istud autem fieri non potuit, ipsum nempe ignorare, se haereticum fore; cum et is tales haereticos nuncupet, qui eadem profitebantur. Et hoc limpidissime patet ex eis, quae edisserit ex Apostoli sermone ad Titum, uti desumitur ex Apologia s. Pamphili c. I. *Haereticum hominem*, ait, *post unam correptionem devita, sciens quia perversus est et peccat, qui est a semetipso damnatus.* Unde ita arguit.

« Nomen haeresis, quantum ego deprehendere potui, etiam in Epistola ad Corinthios designatur hoc modo: *oportet enim haereses esse, ut probati manifesti fiant inter vos*... Per quae cognoscimus, quoniam sicut ii, qui fornicationibus, vel immunditiis atque impudicitiis, et idolorum cultibus maculati sunt, regnum Dei non possidebunt: ita et hi, qui in haeresim declinaverint. Neque enim putandum est, tanti Apostoli tam absolutam sententiam posse ullo genere vacillare. » Deinde enumerat varia haereticorum placita, eorumdem errores notans, et quorum plures ipsi Origeni inscripti sunt ab adversariis, ac veluti animi sui sensus; idest adversus Christi divinitatem, de Incarnatione, de anima humana, de libero arbitrio, de resurrectione, de perpetuitate poenarum etc. Propter quos ita concludit: « Siquis ergo horum aliquid, quae supra exposuimus, commutare vel subvertere conatur, velut *perversus, et a semetipso damnatus* secundum sententiam Apostoli, etiam a nobis ejus praecepto obsequentibus, similiter habendus est. »

Hisce positis, nonne tibi, lector, videtur absurdum putare, Origenem propriae subscripsisse damnationi, cum seipsum haereticum designat, ac ideo per seipsum damnatum? Quid ei sperandum in vita futura? cum ipse fateretur extra Ecclesiam nullum posse salvari? « Nemo ergo (inquit Homilia III. *in Librum Jesu Nave*) nemo ergo sibi persuadeat; nemo semetipsum decipiat: extra hanc domum, idest extra Ecclesiam nemo salvatur. Nam siquis foras exierit, mortis suae ipse fit reus. »

X

Et amplius, neminem latet, haereticos omnes diabolica fraude illectos prope mentis suae aberrationes, actus quoque

suos uniformiter gerere, adeo ut vix haereticorum aut impiorum unum in historia repereris, qui, quod mente contra veritatem concepit, etiam non operibus ostenderit; et praesertim si talis consideretur commentitius pravorum dogmatum cumulus, quorum magistrum haberi velint Origenem istius hostes. Haeresum recensio earumque principum coram omnibus stat tam mentis tam cordis depravati insigne monimentum: qui sicuti fidei sincerae restiterint una simul cordis corruptionem trahentes, ut ait Apostolus, et execranda sentientes, execranda operati sunt. Quapropter si talia sensisset Origenes, ceu ab adversariis insimulatur, profecto in suo vitae regimine ab initio ad finem, falsitatibus, quas professus est, consectarium in moribus se accommodare debuisse videretur. Attamen quis ignoret Origenis vitae austeritatem singulari ratione exactam, de qua non solum dubitavit nemo qui fidem tenebat orthodoxam, sed et haeretici, ac gentium philosophi admirati, obtestati sunt, labores nimirum, vigilias, jejunia, vexationes, carceres, tormenta, eximiam in Deum pietatem, in proximum charitatem, in episcopos observantiam, in Cathedram Romanam obsequium, ita ut stuporem in ecclesiis, ac in sanctis viris excitarit aemulationem? Quis his contraire poterit?

Ideoque praeter communem haereticorum consuetudinem, (si ipse revera errasset) Origenem incessisse pateret; quippe cum tanta ore et scripto blasphemasset, corde tamen parere, actuque operari neglexisset. Ita sane est: haec omnia nescivit Origenes, quinimmo despuit, refutavit, abhorruitque, insigne et praeclarissimum exemplum abnegationis suae posteritati praebens, ac nobile testimonium reddens Jesu doctrinae, tollens crucem suam; et quotidie iens post Christi vestigia. Quae cum sic se habeant, hinc quoque ne in absurdum offendas, innocuum ab haeretica pravitate Origenem necessario evasisse, tibi fatendum erit.

XI

Item hinc inde sive undequaque contrariorum argumentis disquisitis ac dilutis, et hoc nobis mirum, quod, talibus

parumper in Origene admissis erratis, nemo ceteroquin ob oculos cuncta ipsius scripta genuina habens, nec ignorare nec mentiri potest, varias in ipsis pertractatas quaestiones sanam praeseferre doctrinam; et istud non solum recentiores fatentur: sed et veteres praecipui ejusdem adversarii Theophilus et Hieronymus (etsi non de omnibus libris) haud inficiantur. Quomodo ergo fieri potest, ut nullum post se in his tractatibus vestigium aut retractationis, aut emendationis, reliquerit, unde dignosceretur, se aliquando sana dogmata confutasse et haeretica adstruisse; aut aliter se errasse, ac postea resipuisse damnantem, quae antea probaverat illusus?

Nihilominus (libellus enim poenitentiae Origeni inscriptus, de quo inferius, inter apocryphos demandatur) nihilominus, inquam, in cunctis nec numero quidem paucis, quae modo supersunt, sinceris scriptis, quibusdam in adolescentia, aliis in virilitate, ceteris in senectute editis, neque Origenis errores eruuntur; nec multo minus palinodiam coram Ecclesia unquam emissam legimus. Videretur enim necessarium, ut hanc animi sui vel fidei instabilitatem quodammodo indicaret, sive recte antea sentiens, deinde prava complexus, seu ex adverso prava prius concipiens, ac postea mutato consilio probe incedens in fide. Ut summatim dicam, cum alias bene, alias male putaverit et docuerit, necessario mentis suae, praesertim in substantialibus fidei christianae articulis, manifestanda erat conversio, retractando aut vituperando, quae prius adstruisset: aut saltem innuendo, se in similibus quaestionibus mutasse consilium, ne coram ecclesiis ignominiosa corriperetur viri inconstantis nota; ac nullius momenti fierent tot labores pro Christo impensi.

XII.

Denique absurdorum praecipuum ex praesumptis Origenis erroribus istud consequeretur novissimum: ipsum videlicet propriam subscripsisse perditionem, asserentem se non credere, quae tamen dicit omnimode saluti aeternae necessaria, et quorum coram Ecclesia propugnat necessitatem; et hinc contra se ipsum staret judex. Nonne vir sane demens

foret, Christi doctrinam, fidemque catholicam, *sine qua impossibile est placere Deo,* hominibus proponens, ac simul professus se ea dogmata non complecti, nec tenere? Et non ita insaniret Origenes, si, de quibus corripitur, haereticas pravasque profiteretur opiniones? Ex Tomo namque XXXII. in *Joannem* n. 9. de Christi sermone: *ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum,* haec tradit credenda, et amplius fidelibus necessaria, ut vitam consequantur aeternam, quae tamen reprobare dicitur ab adversariis.

« Rursus in haec, ita quoniam dixi ex. g. centum numero existentibus his, quae salvant, dum creduntur, his centum firmiter credentem, omnem habere fidem, explanationis gratia exponemus talia. Ante omnia credito unum esse Deum, qui omnia condidit, et perfecit; quique omnia fecit, ut essent, ex re non existente, idest ex nihilo. Quin etiam credamus necesse est Jesum Christum esse Dominum, et omni credere veritati, quae de ipso dicitur, tum juxta illius divinitatem, tum juxta illius humanitatem; in Spiritum Sanctum quoque credendi necessitatem habemus: et quod liberi cum simus arbitrii, punimur ob ea, quae peccamus; honoramur vero ob recte facta. Age, igitur, ponamus, siquis se credere in Jesum putans, non credat, unum esse Deum Legis et Evangelii; cujus gloriam coeli tamquam ab ipso facti, enarrant, et firmamentum annunciat opera manuum suarum, tanquam earum opus; huic profecto maximum deerit fidei caput.

« Vel rursus, siquis credat Jesum sub Pontio Pilato praeside Cruci affixum, sacram rem quamdam et salutarem mundo attulisse; non item credens, cum ex Maria Virgine et Sancto Spiritu ortum assumpsisse, sed ex Joseph et Maria: huic etiam deerunt maxime necessaria ad habendam omnem fidem. Rursus e regione, siquis divinitatem illius admittat, et humanitate ipsius offensus, nihil humani circa eum fuisse factum credat, vel hypostasim sumpsisse; huic quoque non vulgaria deerunt ad omnem fidem. E contrario denuo, siquis humanas de eo admittat res, spreta hypostasi Unigeniti et Primogeniti omnis creaturae; haudquaquam is dicere poterit, omnem se habere fidem. »

Quapropter si caput fidei dicit Adamantius esse, Deum credere, qui omnia ex nihilo creavit, quomodo quis suspicetur, ipsum materiam Deo coaeternam admisisse? Item, si ibi in secundo loco statuat saluti necessarium credere, Christum verum esse Deum et hominem; cur putemus Origenem Jesu divinitatem denegasse? Pariter si necessario credendum esse in Spiritum Sanctum doceat; quare de hoc ipso dubitarit? Similiter inter fidei articulos numerat liberum arbitrium, idest nos nostri esse juris; cur istud negavit, haud ignarus, sicuti obtestatus est, quisquis hoc dogma, quemadmodum et cetera praefata, respuisset, extra Ecclesiam fieri, per semetipsum damnatum, regnoque coelesti extorrem?

Ideoque merito inter absurda admittenda est illa Cassiodori a priscis suscepta sententia circa Origenis fidem, quam variam in suis tractatibus et contrariam supponit in illis verbis: *ubi bene nemo melius*; *ubi male nemo pejus*. Accepta enim adversariorum hypothesi, Origenem praecipua Christianismi dogmata expugnasse, et usque ad triginta et amplius capita reducantur ipsius errores, ut ipse fatetur Cassiodorus, et a nobis superius saepe dictum est; quomodo stare haec poterit Cassiodori sententia, neminem melius Origene scripsisse ubi bene scripsit, cum in suis libris aedificii christiani diruerit fundamentum? Si autem ita velis ipsum ceteris melius scripsisse, tunc necessario Origenem constitues in contradictione, quin unquam talem adverterit et notaverit offensionis petram, sicuti dictum est.

Ex his igitur argumentis, quibus ostenditur, perpetuo sibi contraire Origenem, ei inscribendo errata, vulgo eidem hucusque inscripta, necessario concludendum est, ipsum ad septuaginta fere annos, hujusmodi fidem dubiam professum esse, ut, ubi ipse staret, faceret, doceret, crederetque, nesciverit. Quod non viro ignaro, sed insano et deliro imputandum sane erit.



INDEX

Monitum . . . . pag. III

CAPUT I.

De rationalium creaturarum statu ante et post resurrectionem, ac de mundi hujus consummatione, expensis potissimum, quae de his diversimode ex Libris Periarchon *interpretati sunt Hieronymus et Ruffinus: unde illustranda veniunt in prima parte discussa de vita futura, ac de poenarum aeternitate; et ubi mens Origenis contra adversariorum placita amplius patebit tum sibi, tum dogmati catholico consectaria* . . . . » 1

CAPUT II.

De mutuis Hieronymi et Ruffini contestationibus ob Periarchon *codicum varietatem et speciatim circa quaestionem de Metempsychosi* . . . . » 11

CAPUT III.

Sequitur recensio in utramque Hieronymi et Ruffini translationem: unde Ruffini versionis in Periarchon *probatur fides sicuti et orthodoxia Origenis, et praesertim de resurrectione* . . . . » 26

CAPUT IV.

De mundi fine, de angelis et de daemonibus ex Periarchon *Origenis sensus explananitur, Hieronymi et Ruffini collatis versionibus* . . . . » 45

CAPUT V.

Sequitur censura adversus Huetium circa Origenis doctrinam de natura angelorum . . . . pag. 57

CAPUT VI.

Cetera illustrantur Origenis testimonia, in quibus errasse dicitur circa angelorum conditionem eorumque ministerium erga homines . . . . » 66

CAPUT VII.

Variae ex Hieronymo et Ruffino discutiuntur lectiones Libri IV. Periarchon, *et praesertim in quibus putatur Origenes secundam admisisse in coelis Christi passionem pro daemonum salute* . . . . » 79

CAPUT VIII.

Sequitur exegesis in Libros Periarchon *ad eorum speciatim illustrationem, quae Origeni a Theophilo, Epiphanio, Hieronymo et ab Auctore Epistolae ad Mennam, objiciuntur uti haeretica de Deo, una cum censura in Hieronymi et Ruffini versionis differentiam circa hoc idem argumentum* . . . . » 97

CAPUT IX.

De sanctissimae Trinitatis mysterio, Verbi et Spiritus Sancti divinitate, Origenis doctrina, praesertim ex Periarchon *disquiritur, simul comparatis Ruffini et Hieronymi versionibus et Epistola ad Mennam* . . . . . . » 112

CAPUT X.

Pergit argumentum de Verbi Dei Incarnatione et praecipue adversus eos, opinatos Origenem, animae Christi praeexistentiam admisisse. . . . . » 130

CAPUT XI.

Origenis doctrina excutitur circa Verbi divinitatem, ejusque cum Patre consubstantialitatem, intentis praesertim, quae in Evangelio ait Jesus: Pater major me est. pag. 141

CAPUT XII.

Sequuntur ex Periarchon *mutuae s. Hieronymi et Ruffini obtestationes circa Verbi et Spiritus Sancti divinitatem, et circa unius generationem a Patre et alterius processionem a Patre et Filio* . . . . » 155

CAPUT XIII.

Alia discutiuntur Origenis testimonia, in quibus blasphemasse praesumitur adversus Dei Filium . . . . » 168

CAPUT XIV.

Contra Theophili illusionem peculiaris instruitur argumentatio ob ea, quae in Synodo alexandrina solemni sed vana et temeraria obtestatione inclamavit adversus Origenis impietatem in doctrina de Verbo Dei . . » 182

CAPUT XV.

Origenis investigatur doctrina de anima humana et de variis ejusdem nuncupationibus e suis libris redactis. » 196

CAPUT XVI.

De mutuis s. Hieronymi et Ruffini contentionibus ex Periarchon *libris excitis circa animae essentiam et creationem, et speciatim circa animarum praeexistentiam, quam negavit Origenes.* . . . . » 208

CAPUT XVII.

Expugnatur insimulatio contra Origenem instituta ob ipsius errores aut incertitudinem circa animae huma-

nae initium et essentiam, intentis speciatim, quas ex philosophia graeca collegit, de hac re opinionibus. pag. 225

CAPUT XVIII.

Origeniana de animae initio doctrina communi veterum Ecclesiae Patrum opinioni consentanea comprobata. » 245

CAPUT XIX.

Excutitur quomodo accipiendum sit, quod Origenes significavit sub vocabulis animarum descensus et ascensus. » 255

CAPUT XX.

Relate ad praemissa expenditur Apostoli testimonium ad Ephesios c. I. 4. Sicut elegit nos in ipso ante mundi καταβολὴν constitutionem . . . . » 267

CAPUT XXI.

Quaeritur num ex Origenis libris argui possit, ipsum sive recta, sive oblique admisisse materiae aeternitatem. » 282

CAPUT XXII.

De pluralitate mundorum ex Origenis mente disputatur adversus suos accusatores . . . . » 290

CAPUT XXIII.

Quo sensu, discutitur, accipienda sint, quae Origenes putavit de solis, lunae et astrorum animabus . . . . » 305

CAPUT XXIV.

Beati Apostoli ad Romanos *illustratur testimonium c. VIII:* Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat etc. *Quo nova luce donantur hucusque discussa de anima corporum coelestium.* . . . . » 314

CAPUT XXV.

Quanto jure, disputatur, reprobatus sit Origenes a Theophilo, a s. Epiphanio aliisve, quod sacrarum Scripturarum sensum litteralem vel sustulerit, vel depravarit . pag. 330

CAPUT XXVI.

Sequitur discussio et quaeritur num jure s. Eustathius antiochenus ac post eum ceteri Origenem reprehenderint ob allegoriae abusum in divinis Scripturis exponendis. » 338

CAPUT XXVII.

Speciali studio quaeritur, num jure s. Eustathius in citata dissertatione corripuerit Origenem ob ea, quae olim in publica concione disputavit de Pythonissa Endor . » 362

CAPUT XXVIII.

Item sancti Basilii et Diodori diluuntur argumenta adversus Origenis commentarios in Geneseos librum. Demum de Canone sacrorum Bibliorum juxta Origenis doctrinam. . . . . » 378

CAPUT XXIX.

Quanto jure investigatur veteres recentioresque Scriptores origenianam reprobarint doctrinam de libero hominum arbitrio. . . . . » 400

CAPUT XXX.

Cetera s. Hieronymi et Huetii praesertim diluuntur argumenta, quibus putarunt Origenem reprobare errantem in dogmate de libero arbitrio . . . . » 420

CAPUT XXXI.

Illorum opinio refutatur asserentium Origenem novae impietatis adsertorem, arti magicae patrocinatum esse. » 437

CAPUT XXXII.

Disputatur de Origenis expositione in Geneseos dicta c. III. 21, **Fecit quoque Dominus Deus Adae et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos** . . . . . . pag. 445

CAPUT XXXIII.

Quanti facienda est s. Hieronymi insimulatio adversus Origenem ob ea quae in Tomo VI. Stromatum *de mendacio scripsit* . . . . » 453

CAPUT XXXIV.

Convellitur insimulatio in Origenem, quod in suis tractatibus nimium indulserit Philosophiae platonicae. . . » 459

CAPUT XXXV.

De Poenitentiae Sacramento sive de Exomologesi *Confessione et Remissione peccatorum, quid senserit docueritque Origenes, explanatur.* . . . . » 467

CAPUT XXXVI.

De Eucharistiae Sacramento exponitur Origenis doctrina orthodoxa praesertim adversus recentiores haereticos. » 486

CAPUT XXXVII.

De sanctitate et insolubilitate Matrimonii Christiani secundum Origenis doctrinam adversus Theophili criminationem et recentiorum placita . . . . » 490

CAPUT XXXVIII.

Origenis doctrina de invocatione et intercessione sanctorum angelorum, et spirituum eorum, qui in Christo mortui sunt . . . . » 501

CAPUT XXXIX.

Quo sensu quaeritur accipienda sint, quae Origenes discussit de vario eunuchorum genere ex Evangelistae Matthaei testimonio . . . . pag. 505

CAPUT XL.

Ecclesiae unitatem, cujus caput Christum, ejusque successorem Petrum et in hujus persona Ecclesiae Romanae Antistites in regimine ejusdem novit docuitque Origenes. » 513

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ

Cunctae in Origenem adversariorum criminationes per argumentationem ab absurdo expugnantur . . . . » 524



IMPRIMATUR
Fr. Hieronymus Gigli O. P.
S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR
Petrus Castellacci Archiep. Petrae
Vicesg.

